Ulrich Middeldorf


Williams

At the end;
officium St<u>ae</u> Margaritae
de Cortona: dated 1736

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM MONACHORUM ORDINIS D. BENEDICTI ABBATIS

È MONASTICIS CODICIBUS

AD BREVIARII ROMANI PRÆSCRIPTUM

IN UNUM REDACTA

PRO SEXUS UTRIUSQUE RELIGIOSORUM USU

Tàm celeberrimi Ducis ſub Vexillo Militantium

QUIBUS A S. SEDE APOSTOLICA

EADEM SIC RECITANDI

FACTA SIT POTESTAS.

PISIS, EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI BINDI,

DEINDE VENETIIS,

APUD ANDREAM POLETI, MDCCXV.

KALENDARIUM SANCTORUM.

JANUARIUS.

12. S. Guilelmi Epiſ. & Conf. Ciſt. dupl. & comm. S. Bened. Abb. in Anglia. pag. 1
15. S. Mauri Abb. dupl. ij. cl. 1
23. S. Ildephonſi Epiſc. Confeſs. & Doct. dupl. *cum comm. S. Emerentianæ V. & M.* 2
30. S. Adelelmi Abb. dupl. 3

FEBRUARIUS.

1. S. Verdianæ Virg. Vallumbr. dupl. 4
2. S. Laurentii Ep. & Conf. dupl. 5
7. S. Romualdi Abb. Cam. dupl. 6
8. S. Petri Ignei Epiſc. & Conf. Vallumbr. dupl. 6
10. S. Scholaſticæ Virg. dupl. ij. cl. *cum oct. etiam in Quadr.* 7
11. De oct. ſem. ut in ij die. 9
12. De oct. ſem. ut in iij. die. 10
13. De oct. ſem. ut in iv. die. 11
14. De oct. ſem. ut in v. die, *& comm. S. Valent. Presb. & Mart.* 12
15 De oct. ſem. ut in vj. die, *& comm. SS. Fauſtini, & Jovitæ MM.* 14
16. De oct. ſem. ut in vij. die. 15
17. Oct. S. Scholaſt. Virg. dupl. ut in viij die. 17
18. S. Helladii Ep. & Conf. dupl. *& comm. S. Simeon. Epiſ. & Mart.* 18
23. S. Petri Damiani Epiſ. & Conf. Camald. dupl. *& comm. Vig. S. Math. Ap. In Anno tamen Biſſext. de Vig. fit die* 24. 19
27. S. Leandri Epiſ. Conf. & Doct. dupl. *In Anno Biſſext. fit die* 28. 19

MARTIUS.

1. S. Svitberti Ep. & Conf. dupl. 21
Eodem die S. Rudeſindi Epiſc. & Conf. dupl. 22
3. S. Chunegundis Virg. dupl. 23
8. S. Veremundi Abb. dupl. 24
Eod. die S. Joannis de Deo Confeſs. non Pontif. ſemid. 25
9. S. Franciſcæ Viduæ Olivet. dupl. *ut in Brev. Rom.*
11. S. Steph. Abb. Ciſt. dupl. *& comm. S. Eulogii Mart.* 26
12. S. Gregorii Papæ Conf. & Doct. dupl. ma. 27
13. SS. Ramiri, & Soc. mm. dupl. 27
15. S. Raymundi Abb. Ciſt. dupl. 28
19. S. Joſeph Conf. 29
21. S. Benedicti Abb. dupl. j. cl. *cum oct. tàm in Quadr. quàm poſt Paſch.* 35
22. De oct. ſem. ut in ij. die. 38
23. De oct. ſem. ut in iij. die. 39
24. De oct. ſem. ut in iv. die. 40
25. De Annunc. B. M. V. dupl. ij. cl. *ut in Brev. ſine comm. oct.* 41
26. De oct. ſem. ut in vj. die. 41
27. De oct. ſem. ut in vij. die. 43
28. Oct. S. Benedicti dupl. ut in viij. die. 44

APRILIS.

4. S Iſidori Epiſc. Conf. & Doct. dupl. 46
16. S. Turibii Ep. & Conf. dupl. 47
17. S. Stephani Abb. Ciſter. dupl. *& comm. S. Aniceti Papæ & Mart.* 48
21. S. Anſelmi Epiſ. Conf. & Doct. dupl *ut in Brev. Rom.* 49
24. S. Melliti Epiſ. & Conf. dupl. 49
25. S. Franchæ Virg. Ciſt. dupl. 50
29. S. Roberti Abb. Ciſt. dupl. 51

MAJUS.

5. S. Pii Quinti Papæ & Confeſs. ſemid. 52
10. S. Petri Ep. & Conf. Ciſt. dupl. *& comm. SS. Gordiani, & Soc. MM.* 53
19. S. Petri Cœleſtini Papæ & Conf. dupl. *& comm. S. Pudentianæ Virg.* 54
22. S. Atthónis Epiſc. & Conf. Vallumbr. dupl. 55
Eod. die S. Romani Abb. dupl. 56
25. S Gregorii Septimi Pap & Confeſs. Vallumbr. dupl. *& comm. S. Urbani Papæ & Mart.* 56

Eod. die S. Genadii Epiſ. & Conf. dupl. 57
26. S. Auguſtini Epiſ. Conf. dupl. *& com. S. Eleutherii Papæ & Mart.* 58
27. S. Bedæ Conf. & Doct. dupl. *& comm. S. Joannis Papæ & Mart.* 59

J U N I U S.

1. S. Ennecónis Abb. dupl. 61
5. S. Bonifacii Epiſ. & M. dupl. 62
7. S Roberti Abb. in Anglia Ciſter. dupl. 63
11. S. Pariſii Conf Camal. dupl. 64
15. S. Felicis Mon. & M. dupl. 64
16. S. Luthgardis Virg. Ciſtercienſ. dupl. 65
19. S. Bonifacii Epiſ. & M. Camald. dupl. *& comm. SS. Gervaſii & Protaſii MM.* 65
20 S. Florentinæ Virg. 67
23. S. Ediltrudis Virg. 67
25. S. Guilelmi Abb. dupl. 67

J U L I U S.

3. S. Theobaldi Conf Cam. dupl. 68
7. S. Willebaldi Epiſ. & Confeſs. ſemid. 68
8. S Chiliáni Epiſ. & Mart. ſem. 69
12. S. Jo: Gualberti Abb. Vallumbr. dupl. *& comm. SS. Naboris, & Felicis MM.* 70
16. SS. Andreæ, & Benedicti Conf. Camald. dupl. 70

A U G U S T U S.

6. SS. Steph. & ſoc. mm. dupl. 71
20. S. Bernardi Abb. Ciſt. dupl. 72
21. B. Bernardi Ptolomæi Abb. Olivet. dupl. 72

S E P T E M B E R.

2. S. Nonnoſi Abb. dupl. 73
11. S. Vincentii Abb. & M. dupl. 75
16. S. Edithæ Virg. 76
17. S. Columbæ Virg. & M. dupl. 76
19. S. Theodori Epiſ. & Conf. 77
26. S. Gerardi Epiſ. & M. dupl. 77

O C T O B E R.

5. SS. Placidi, & Soc. MM. dupl. ij. cl. *& comm. S. Athiliani Ep. & Conſ. in Laud. & Miſs. priv.* 77
7. S. Martini Abb. Ciſterc. dupl. *& comm. S. Marci Papæ & Confeſs. item SS. Sergii, & Soc. MM.* 78
Eod. die S. Juſtinæ Virg. & Mart. dupl. 79
10. S. Paulini Epiſ. & Confeſs. ſemid. 80
13. S. Mauritii Abb. Ciſt. dupl. 81
14. B. Dominici Loricati Conf. Camald. dupl. 82
15 SS. Brunonis Epiſ. & Mart. & Theclæ Virg. 83
16. S Galli Abb. dupl. 83
17. S. Heduvigis Vid. Poloniæ Duciſs. Ciſterc. dupl. 84
24. S. Bernardi Epiſ. & Confeſs. Ciſterc. dupl. 85

N O V E M B E R.

3. S. Malachiæ Epiſ. & Conf. Ciſt. dupl. 86
10. S. Juſti Epiſ. & Confeſs. ſemid. *& commem. SS. Tryphonis, & Soc. MM.* 86
12. SS. Bened. Joann. & Soc. MM. Camald. dupl. 87
Eod. die S. Æmiliani Abb. dupl. 88
13. Feſt. Omn. SS. Monach. dupl. ij. cl. 89
16. S. Edmundi Epiſ. & Conf. Ciſt. dupl. 93
17. S. Gertrudis Virg. dupl. 93
18. S. Oddonis Abb. dupl. 98
24. S. Columbani Abb. ſem. 99
26. S. Silveſtri Abb. dupl. *& comm. S. Petri Alexand. Epiſ. & Mart.* 101

D E C E M B E R.

3. S. Galgani Conf. Ciſt. dupl. 101
4. S. Bernardi Epiſ. & Conf. Vallumbr. dupl. *& comm. S. Barbaræ Virg. & Mart.* 102
14. S. Dominici Abb. Silenſis duplex. 104

Officium S. Benedicti Abb. in feria tertia ſemid. 106
Officium S. Scholaſticæ Virg. ſemel in Menſe ſemid. 117
Bulla Indulg. Clem. X. 127
Kalendarium Sanctorum. iij
Rubricæ pro feſt. in Libello contentis. v

Quæ-

Quædam gener. Rubr. ſpectant. ad recit. ſequent. Offic.

1. OCcur. interd. eod. die plur. SS. feſta, quæ ſi rit. & dignit. fuer. diver. colenda erunt ad Brev. Rom. præſcript.

2. Si verò in rit. & dign. fuerint æqual. ea Kalend. particular. præferenda ſunt illis univerſ. Ita S. R. C. 12. Jul. 1704.

3. In occur. plur. feſt. tit. & Kalend. ejuſd. Eccleſiaſt. Hierarch. ſervand. eſt ordo; quod deducit. ex S. R. C. 25. Mar. 1690. circa Patronor. præcedentiam; & ideò Martyr. præferendi ſunt Confeſſorib. Conf. Pont. non Pont. Iſti Virginib. Virg. Vid. prout etiam patet ex Brev. tàm Rom. quàm Monaſt.

4. Si præd. SS. fuerint rit. dign. & Kal. ejuſd. habenda erit ratio illor. anteriorit. in acquirenda gloria; quod ex dic. Decr. deduci poſs. videt.

5. Quæ omnia ſervanda quoque erunt in reponend. eor. offic.

6. Kalend. partic. prim. loco contin. feſta propr. Eccl. nempe Dedic. & Tituli item SS. quor. Reliq. inſign. ibid. quieſc. ſecundo Monaſtica, tertio Localia.

7. Feſta propr. Eccl. & Localia colenda ſunt juxta Rubr. Brev. Rom. Monaſtica ſecund. eor. rit. hoc tamen notato, quod ea particul. Congr. à nob. celebranda ſunt rit. Rom. qui dupl. min. non exced. etiam quo ad feſt. Congr. fundator. nempe SS. Petri Cœleſt. Pont. Bernar. Romual. Jo: Gualb. & alior. Abb. prout etiam obſerv. omn. Monach. ut videre eſt apud illor. Ordin.

8. Excipiunt. tamen feſt. SS. Mauri Abb. Scholaſt. Virg. Placidi, & Soc. MM. omniumq. Monach. quæ ab. univerſo Monaſt. Ord. rit. dupl. ij. claſs. colunt. & S. Greg. Magn. Pap. Conf. & Doct. dupl. ma.

9. Princip. loci Patron. à nobis quoq. rit. dupl. j. cl. colend. eſt juxta Bull. Greg. XIII. 30. Decembris 1573. ſed ſine oct. S. R. C. 27. Mart. 1628. teſt. Gav. ſect. 3. c. 12. n. 5. niſi id facere libeat in gratiam popul. quod idem dicit. de Patron. min. principal. rit. tamen dupl. ma. Idem. loc. cit. n. 7.

10. De aliis quoq. SS. propr. loci fieri lic. off. rit. dupl. min. inter quos recenſ. Eccl. Cath. Dedic. juxta Prax. Rom. & Floren. ſed ſine oct. Gav. ſect. 8. c. 5. n. 5.

11. Feſta ad lib. occur. in dieb. Dom. Oct. & Natal. SS. alic. Diœc. vel Relig. omit. S. R. C. 24. Jan. 1680. ſi tamen antea d. feſt. coleb. rit. ſimpl. ipſum retin. 13. Jan. d. an. dummodo tal. rit. non exclud. illis dieb.

12. Cum fer. 3. ſeu alia die cujuslib. hebdom. off. nov. lect. non imped. fieri poſs. de S. Bened. Abbat. & ſemel in menſe de S. Schol. Virg. rit. ſemid. extra Adven. & Quadrag. ex conceſs. S. R. C. 22. Febrar. 1687. notand. eſt dic. dies ſemper cenſend. eſſe imped. quando reponend. ſit quodlib. off. nov. lect. ita ead. S. R. C. 8. Februar. 1695. & 20. Mar. 1706.

13. Si contig. præf. off. pro prima anni vice recitanda eſſe ante dd. SS. feſt. lect. ij. n. erunt de menſe Jan. in quo ponunt. Tract. Init. & deinc. illæ menſ. occur. ſi verò d. prim. vice; venerit poſt eor. feſta, dd. lect. erunt de menſe occur. nam tunc illar. Init. lect. erit infr. eor. oct.

14. Quando recitanda erunt dd. off. prid. in Choro annuncianda erunt in Martyrolog. prim. loco ſic: Commemoratio S. Benedicti Abb. vel S. Scholaſticæ Virg.

RUBRICÆ PARTICULARES.

JANUARIUS.

1. DIe 12. feſt. S. Guilelmi Epiſc. & Conf. Ciſt. Dupl. ex Menolog. d. Congr. de quo prima die non imped. poſt oct. Epiphan. Rubr. X. De Tranſl. feſt. n. 1. & de octav. n. 3. In off. tamen hujus diei, quod erit de infr. oct. ſit com. S. Bened. Abb. in Anglia ut pag. 1.

2. Ubi die 14. celebr. feſt. SS. Nom. Jeſ. rit. dupl. ij. cl. in ij. veſp. fit comm. S Mauri Abb. dupl. quoq. ij cl. Rubr. XI. de Concur. off. n. 2. Alibi verò veſ. ij. illius diei erunt de S. Mauro rit. ut ſup.

3. Aliquibus in loc. die 23. celebr. feſt. Deſp. B. M. V. dupl. ma. ibi transfer. illud S. Ildephon. Epiſc. & Conf. nam S. R. C. ipſum ad dupl. min. redux. 22. Maii 1700. cùm eſſet antea ij. cl.

FEBRUARIUS.

1. DIe 10. feſt. S. Scholaſt. Virg. dupl. ij. cl. cum oct. etiam in Quadr. ex Privil. ut in Brev. Monaſt.

2. Si dic. die , ſeu Dom. infra oct. occurr. aliud feſt. ſemid. ad ſeq. diem eſt transfer. dummodo non ſit imped. quoq. alio nov. lect. aut ſit reponend. off. dupl. S. R. C. 30. Sept. 1670. nam eo caſu d. ſemid. protrahend. eſt poſt oct.

3. Si d. feſt. S. Schol. venerit ante Quadr. & infr. oct. incid. dies Cin. ea die nihil de oct. ſed tot. off. erit de fer. cum ſolit. Pſal. Grad. Prec. & Suffr. in ij. tamen veſp. reſum. off de oct. & ſi fer. 5. ſeq. non occurr. feſt. nov. lect. off. erit de die infr. oct. occurr.

4. Si d. fer. v. erit feſt. dupl. Veſp. antec. erunt de eo cum comm oct. & fer. Si ſemid. erunt de oct. & à cap. de d. ſemid. cum comm. oct. & fer.

5. Si verò in d. fer. v. incid. dies oct. Veſp. erunt de oct. ut in j. Veſp. feſti. de ea namq. fieri debet d. fer. v. etiam ſi eo die occurr. quodlib. feſt. nov. lect. quip. illud, in aliam diem non imped. eſt transfer. dummodo non ſit ex illis, quæ cum die 8. conven. Gav. ſect. 3. c. 8. De Oct. n. 12.

6. Occurr. d. feſt. in Dom. Septuag Sexag. Quinq & die Cin. transfer. in prim. diem non imped. Rubr. De occurr. off. dies tamen oct. erit de more die 17.

7. In tali verò caſu prim. die, in qua fiet de infr. oct. lect. ij. noc. ſument. ex die ij. quia ibi ponit. Init. ſerm. Bed. ſi tamen non fuerint, lect. in off. ſemel in menſe, ſeq. tamen die leg. lect. illius diei, ac ſi reliq. lectæ fuerint.

6. Si dies oct. incid. in aliq. ex d. Dom. privil. off. erit de Dom. cum comm. diei viij. tam in j. quàm in ij. Veſp. & Laud. & ſi in Sabb. antec. off. fact. fuer. de die infr. oct. Veſp. d. Sabb. erunt de Pſalt. *Benedictus*. à cap. de Dom. cum comm. diei viij. ut in j. Veſp. feſti, omiſs. prec. ad Compl. & Prim. ſeq. diei. Gav. De Oct. n. 13. & ſi fer. ij. ſeq. occur. feſt. dupl. Veſp. erunt de d. dupl. cum comm. priùs de Dom. & poſteà de oct. Si feſt fuerit ſemid. Veſp. erunt de Dom. cum comm. oct. & ſeq. Idem ut ſup. n. 14.

9. Si autem in præd. Sabb. occurr. feſt. dupl. Veſp. erunt de d. dupl. cum comm. Dom. & oct. ut in j. Veſp. Si ſemid. Veſp. parit. erunt de d. ſemid. à cap. de Dom. cum comm. ejuſd. ſemid. & poſteà de oct. Idem. n. 22.

10. Quando d. feſt. occurr. in Quadr. ſi infr. oct. non ſit aliud feſt. nov. lect. off. erit de die infr. oct. cum ix. lect. & comm. fer. Miſs. verò Convent. erit de fer. occurr. ſine Glor. & Credo, ij. or. oct. iij. Concede , & col. viol. Caſtald. L. 2. ſect. 6. Miſs. verò priv. dici poſs. de oct. ij. or. fer. iij. Concede S. R. C. 24. Jan. 1682. in vim Rubr. Miſſal. Tit. 3. de fer & vig.

11. In Dom. infr. oct. ſi non occurr. feſt. dupl. off fit de Dom. omni temp. cum comm. oct. ad Laud. & Veſp. omitt. tamen prec. ad Prim. & Compl Rubr. 34. de Prec. n. 2. & col. alb. in Dom. Sept. & ſeq. viol. Gav. Par. 1. Tit. 18. de Color. Param. n. 2.

12. Si dies oct. incid. in fer. 4. Cin. eo die nihil de oct. ſed poſt Non. fer. iij. antec. termin. d. oct. Ita in Brev. Mon. & in eo caſu Veſp. d. fer. iij. erunt de Pſalt. ſi tali die agat. de infr. oct. ſed ſi occurr. feſt. dupl. aut ſemid. Veſp. erunt de dd. feſt. abſque comm. oct. nam etiam tunc oct. termin. poſt Non. Gav. Sect. 3. c. 8. De oct. n. 9. & 13.

13. Semid. quod fuit ante feſt. habens oct. transf. poſt eam, dupl. verò reponi poteſt infr. ipſam, dummodo non ſit ex Octav. Privileg. Idem ut ſup. n. 2. & 3.

14. Quando fieri non poteſt off diei 8. rat. ſup. allat. & ſimil. neq. de ipſa facienda eſt mentio in pridiana Martyrol. lect.

MARTIUS.

1. PRim. die feſt. S Svitberti Epiſ. & Conf. dupl. transl. eo S. Rudeſindi ratione in

Rubr.

Rubr. gener. n. 4. nam ille in ſept. hic in nono ſæculo ad coron. glor. pervener. & de primo quoque hodie agit Martyrol. Rom.

2. Die 8. Feſtum S. Veremundi Abb. dupl. & ipſo die Feſtum S. Joannis de Deo Ordinis Hoſpitalitatis Fundatoris ſem. quod transfert. in primam diem non impeditam.

3. Die 19. Feſtum S. Joſeph Conf. & Sponſi B. M. V. dupl. ij. cl. Omn. propr. ex Decr. S. R. C. die 4. Febr. 1714.

4. Die 21. feſt. S. Bened. Abb. dupl. j. claſs. quod nihil à feſt. Patr. loci differt. cum Ord. Monaſt. fuerit Inſtit. Gav. ſec. 3. cap. 12. n. 24. & fit cum oct. tàm in Quadr. quàm poſt Paſch. ſi eò ſit transfer. ex Privil. ut apud Brev. & Miſſal. Monaſt.

5. Si d. feſt. vener. in Dom. 2. 3. & 4. Quadr. non eſt transfer. Rubr. X. de occurr. off. fer. verò ij. quæ ſeq. lect. j. noct. erunt eo caſu de Dom. lic. non fuer. lib. Init.

6. Sin aut. incid. in Dom. Paſs. transf. in prim. diem non imped. Ead. Rubr. In Dom. verò Palm. ſubſ. off. erit de d. Dom. abſque comm. diei oct. nam eo caſu oct. term. in Sabb. antec. poſt Non. & ſi eo die non fit off. dupl. ad Compl. dic. prec. ut in feſto S. Scholaſt. ſub n. 12.

7. Quando Dom. Palm. vener. infr. oct. de d. oct. fieri deb. uſque ad Compl. Sabb. incluſ. & non ulter.

8. Si d. feſt. incid. in fer. 6. poſt Dom. Paſs. offic. erit de S. Bened. & feſt. Sept. Dolor. transf. in Sabb. ſeq. quod ſi fuer. imped. alio feſto dupl. j. vel ij. cl. de Sept. Dolor. eo anno nihil S. R. C. 3. Octob. 1675.

9. Si occurr. in Dom. Palm. ſeu alios ſeq. dies uſque ad Dom. in Alb. incluſ. transf. ad prim. diem non imped. cum ſua oct. & tunc lect. j. noct. infr. oct. erunt de Script.

10. Fer. tamen ij. poſt Dom. in Alb. tali caſu, etiam ſi non fuer. imped. off. nov. lect. non eſt repon. off. S. Ben. eo anno, in quo feſt. Annunc. B. M. V. occurr. fer. 6. Paraſc aut Sabb. S. nam d. fer. ij. tunc à S. R. C. aſſign. fuit tanq. prop. Sed. d. feſt. Annunc. excluſo quolib. alio in ipſum diem incid. quod non ſit rit. altior. Ita 11. Mar. 1690.

11. Si dies viij. incid. in fer. vj. poſt Dom. Paſs. off. erit de Sept. Dolor. cum comm. diei viij. & fer. quod deduc. ab exemplo per Gav. alleg. ſect. 7. cap. 12. n. 2. de feſt. Roſar. quando Dom. j. Octob. vener. in diem viij. S. Michael. Archang. vel S. Hieronymi in propr. Eccl.

12. Cum prim. ponend. erit off. de infr. oct. lect. ij. noct. erunt de die ſecun. Incip. Lib. ſec. Dial. &c. ſi non fuer. lect. in off fer. iij. in ſeq. verò dieb. ſument. à propr. die ac ſi rel. lectæ fuerint.

13. Quoad ea, quæ in hac oct. inſup accidere poſſ. & quænam Miſ. dicenda ſit infr. illam vid. Rubr. feſt. S. Schol.

14. Die 25. in off. Annunc. B. M. V. non fit comm. oct. Rubr. de Comm. n. 4. in ij. tamen Veſp. ſi ſeq. die agend. erit de infr. oct. fit de ea. comm. ſecus verò ſi de alio feſto, vel de Dom. Gav. ſect. 3. c. 8. n. 18.

A P R I L I S.

1. Quoniam à die 29. præſ. Menſ. uſque ad 3. Jun. in off. ix. lect. occurr. poſ. fer. ij. Rog & Vig. Aſcenſ. Dom. tunc in j. noct. off. SS. Petri Ciſt. Petri Cœleſt. Atthon Greg. Sept. Genad. & Auguſt. Conf. PP. lect. erunt de Comm. *Fidelis ſermo*.

2. Item in off. SS. Rober. Roman. & Ennecon. Abbat. *Laudemus viros*, de Comm. Conf. Pontif. ij. loco.

M A J U S.

1. Die 5. Feſtum S. Pii Quinti Papæ Conf. ſem. ex noviſſimo Decr. S. R. C. die 17. Febr. 1713.

2. Die 22. fit de S. Atthone Epiſ. & Conf. dupl. & de S. Romano Abb. prim. die non imped. prout in Rubr. gener. n. 3. Epiſ. enim Abbati præſt.

3. Parit. die 25. fit de S. Greg. Sept. Pont. Max. transl. feſt. S. Gennadii Ep. ead. ratione.

J U N I U S.

1. Die 19. fit de S. Bonif. Ep. & M. Camal. dupl. penitus omiſs. off. S. Romual. Abb. Inſtit. d. Congr. nam de eo actum eſt cum univerſ. Eccl. die 7. Febr. & à nulla alia Monach. Congr. excepta Camaldul. d. S. Patriar. colit. præt. d. diem 7. Febr.

J U L I U S.

1. Ubi die 16. fit de B. V. M. Mont. Carmel. dupl. ij. cl. transf. feſt. SS. Andr. & Bened. Conf. Camald. in prim. diem non imped.

A U G U S T U S.

1. Die 21. feſt. B. Bernardi Ptol. Abb. Oliv. Congr. Inſtit. dupl. cujus ij. Veſp. erunt de Oct. Aſſumpt B. M. V. ut in j. Veſp. feſti. Ita S. R. C. 20. Febr. 1687. ejuſque off.

reci-

recitand. eſſe ab omnib. Monach. ſex. utriuſque ead. Congr. 24. Novemb. 1691.

SEPTEMBER.

1. DIe 11. feſt. S. Vincentii Abb. & M. dupl. juxta Martyrol. Rom.

2. Die 16. In off. occurr. ix. lect. & comm. S. Edithæ Virg. & poſt. SS. Euphem. & Soc. mm. ita Rubr. gen. n. 2. In Quat. Temp. verò ix. lect. de hom. & comm. fer. poſteà S. & SS.

3. Die 24. Feſtum B. M. V. de Mercede dupl. & de S. Gerardo die 26. Ita S. R. C. 1. Septemb. 1696.

OCTOBER.

1. DIe 5. SS. Placidi, & Soc. mm. dupl. ij. cl. in quam diem ſi incid. feſt. SS. Roſar. off. erit de SS. cum ix. lect. de homil. & comm. Dom. item S. Athiliani Epiſc. & Confeſs. in Laud. & Miſs. priv. eoque anno feſt. Roſar. omitt. nam à Summ. Pontif. Gregor. XIII. & Clem. VIII. d. feſt. aſſign. fuit prima Dom. Octob. & ita S. R. C. 6. Februar. 1638. & 20. Mar. 1683.

2. Si feſt. Roſ. celebr. die 4. Veſp. ij. erunt de SS. Plac. & Soc. cum comm. Roſ. tant. ſi verò die 7. fiet de d. feſt. etiam ſi S. Juſtina alicubi colat. rit. dupl. ma.

3. Die 17. feſt. S. Heduvig. Pol. Duciſ. Vid. Ciſt. dupl. ex Decr. Innoc. XI. cum alioque occurr. Idib. hujus.

NOVEMBER.

1. DIe 12. SS. Bened. Joann. Matth. Iſaac, & Chriſtini MM. Camald. dupl. qui omnes hac ipſa die Martyr. coron. meruer. ut ex Martyrol. Rom. eorumque lect. collig. ij. Veſp. cujus feſt. erunt de Omnibus SS. Mon. dupl. ij. cl. in quibus fit comm. præc. S. R. C. 22. Mar. 1700. & idem ſervand. eſt ubi d. die fit de S. Æmiliano Abb.

2. Die 18. fit de Dedic. Baſil. SS. Apoſt. Petri, & Pauli transl. feſt. S. Oddonis Abb. dupl. & ratio eſt, quia licet hæc feſt. in rit. ſint æqual. tamen Dedic. Eccl. antecellit in dignit. quælib. alia SS. feſta. Gav. ſect. 3. c. 8. n. 7.

3. Die 24. S. Columbani Abb. ſemid. tanquam propr. Sed. cum ipſius Natal. 11. Kalend. Decembr. occurr.

DECEMBER.

1. DIe 14. S. Domin. Abb. Silen. dupl. à S. R. C. aſſign. ut in Brev. Mon. nup. impreſs. nam in antiq. eſt ſub die 20.

2. Notand. eſt tand. quod à die 17. hujus uſque ad Vigil. Nat. Dom. excluſ. fieri poteſt de feſt. tàm dupl. quàm ſemid. etiam transl. ex Decr. S. R. C. 17. Maii 1692.

Laus Deo B. M. V. D. Benedicto Abbati, & omnibus SS. Monachis ejus Filiis. Amen.

S. BENEDICTI ABB. *Hymnus in fer. iij.*

LAudibus cives réſonent canóris
Templa ſolémnes moduléntur hymnos
Aurea ſummi Benedíctus arce
Gaudet olympi.
Ille floréntes, &c. *ut in feſto pag.* 35.

OFFI-

OFFICIA.

DIE XII. JANUARII.

Feſtum S. Guilelmi Epiſc. & Conf. Ciſt. dupl. & comm. S. Benedicti Abb. in Anglia. Omnia de Comm. Conf. Pont. præter ea quæ ſequunt. Oratio. Da quęſumus. *Pro S. Bened. ut ſup. Oratio.*

DEus, cujus virtúte Beátus Benedíctus Conféſſor tuus contra mundi illécebras viríliter decertávit in terris, concéde propítius, ut ejus exémpla ſectántes, cum ipſo coronári mereámur in Cęlis. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script. in Quadrag. ſi eò transferat. Fidelis ſermo.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

BEátus Guilélmus à primæva ætáte Avúnculo ſuo Sveſſionénſi Archidiácono à paréntibus tráditus eſt, móribus, & líteris informándus. Poſt hæc cùm in Sveſſionénſi, & in Pariſiénſi Eccléſia Canónicus efféctus eſſet, nóxia ſæculi blandiménta fúgere géſtiens, ad Grandimonténſem Erémum convolávit: ac póſtmodum, majóri ánimæ ſecuritáti cónſulens, ad Pontiniacénſe Ciſterciénſis Ordinis Monaſtérium ſe tránſtulit. Fama pietátis, ac virtútum ipsíus in dies excreſcénte, primùm fontis Joánnis, deínde Károli loci propè Silvanéctum Abbas efficitur: tandémque in Primátem Bituricénſis Eccléſiæ eléctus eſt.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

IN hujus dignitátis faſtígio collocátus, ſimul cum exterióri hábitu, ac prístina victus auſteritáte eámdem mentis humilitátem, oratiónum inſtántiam, morúmque ſanctitátem, quam ánteà, retínuit. Fuit ipsíus in páuperes miſericórdia exúberans: erga omnes afflíctos ſinguláris cháritas; in ſuſtinéndis contradictiónibus, & perſecutiónibus mira patiéntia; dénique Cathólicæ veritátis defenſióne zelus admirábilis, ítaut étiam ſénio conféctus contra hæréticos Albigénſes profectiónem paráret, votíſque ſatisfecíſſet, niſi advérſa córporis valetúdine præpéditus fuíſſet.

℟. Póſui adjutórium. *Lectio vj.*

INgraveſcénte morbo, cùm óbitus ſui diem certò præſcíret, ſe Sacramentórum præsídio matúrè præmuníri curávit: ac nocte inſequénti, compléto matutináli offício, quod coràm ſe cantári júſſerat, depóſitis Pontificálibus veſtiméntis, ſe próprio niſu depónens in terram, ſignáculum Crucis adſtántibus cóntulit: moxque cum ipſa benedictiónis grátia ſpíritum felíciter emíſit.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Homo péregrè. *de Communi.*

Miſſa. Státuit.

DIE XV. JANUARII.

S. Mauri Abbatis dupl. ij. claſſis. Omnia de Communi Conf. non Pont. præter ea, quæ hic ſunt propria. Oratio. Intercéſſio.

In primo Noct. Lect. de Libro Sapientiæ. Juſtus ſi morte præoccupátus.

In ſecundo Noct. Lectio iv.

MAurus Nóbilis Románus puer à patre Eutychio Deo ſub Sancti Benedícti diſciplína oblátus, brevi tantùm divína grátia profécit, ut ipſi magíſtro admiratióni eſſet: qui illum ſæpè, véluti reguláris obſervántiæ, & virtútum ómnium ſpécimen, céteris dicípulis ad imitándum proponébat, cujus adhuc adoleſcéntis illud admirábilis obediéntiæ exémplum à Sancto Gregório Papa commemorátur.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

NAm cùm Plácidus Mónachus, in lacum prolápſus, aquárum ímpetu raperétur, Sancti Patris juſſu accúrrens Maurus, & ſuper aquas incédens, ſócium capíllis apprehénſum ad terram attráxit. Continéntiæ tantæ fuit, ut per Quadragéſimam bis tantùm in hebdómada, & quidem parcíſſimè cibum súmeret. Somnum ſtando, vel cùm nímia eum laſſitúdo compulíſſet, ſedéndo ſuper aggéſtum calcis, & sábuli, ſtrato cilício, capiébat.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

MIſſus in Gálliam ab eódem Sancto Benedícto, célebri Monaſtério extrúcto, cui annos quadragínta præfuit, Monáſticam diſciplínam mirificè propagávit. Dénique ſanctitáte, & miráculis clarus, ſeptuagenário major, migrávit in Cœlum, anno ſalútis quingentéſimo ſexagéſimo quinto.

℟. Iſte homo.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in Communi Abb.*

Miſſa. Os juſti. *de Communi Abb. & dicitur* Credo.

DIE XXIII. JANUARII.

S. Ildephonſi Epiſcopi, Confeſſoris, & Doctoris. Duplex.

Omnia de Communi Confeſſoris Pont. præter ea, quæ hic ſunt propria. Oratio.

DEus, qui per glorioſíſſimam Fílii tui Matrem Beátum Ildephónſum Confeſsórem tuum, atque Pontíficem, miſſo de theſáuris Cœléſtibus múnere decoráſti: concéde propítius: ut per ejus preces, & mérita, múnera capiámus ætérna. Per eúmdem Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. In Quadr. Fidélis ſermo.

In ij. Noct. Lectio iv.

ILdephónſus natióne Hiſpánus, Toléti nobiliſſimis Stéphano, & Lucía paréntibus ortus, omníque cura nutrítus, liberálibus diſciplínis inſtrúctus eſt. Primum hábuit præceptórem Eugénium Toletánum Antíſtitem, à quo, ob præcláram índolem, Híſpalim ad Iſidórum, magna tunc eruditióne polléntem, miſſus eſt. Apud quem duódecim annos commorátus, tandem fruge bona, doctrináque ſana imbútus, Tolétum remeávit ad Eugénium: à quo propter exímias virtútes, periciámque non vulgárem, Eccléſiæ Toletánæ Archidiáconus efféctus, mundi cúpiens láqueos declináre, in Agaliénſi Monaſtério Ordinis Sancti Benedícti Monáſticum inſtitútum ampléxus eſt: fruſtrà paréntibus précibus, & minis ómnia tentántibus, ut eum à ſancto propóſito revocárent. Mónachi non multò pòſt in defúncti Abbátis locum eum ſubrogárunt: ſuſpiciébant síquidem in eo (præter virtútes réliquas) æquitátem, morum facilitátem, prudéntiam, & admirábilem ſanctitátem.

℟. Invéni David. *Lectio v*

TAntus ítaque fulgor, tanta veræ pietátis lux (quod ipſe timébat) latére non pótuit. Eugénio namque vita functo, Cleri, Senátus, totiúſque pópuli decréto, Toletánus Archiepíſcopus eléctus eſt. In qua dignitáte, quantùm pópulo ſibi commíſſo, verbo, & exémplo profúerit, quæ miráculа edíderit, quàm multis fúerit nomínibus de Vírgine Matre beneméritus, non poteſt paucis explicári. Cœnóbium Vírginum in Deilfénſi Víllula ædificávit, ac magnis munéribus auxit. Hæréticos quoſdam, qui in Hiſpánia hæreſim Elvidiánam, tolléntem perpétuam Maríæ, Dei Genitrícis, virginitátem, diſſeminábant, doctíſſimè confutávit, & ab Hiſpánia ejécit. Ejus autem hac de re diſputátio, libro, quem ſcripſit de Beátæ Maríæ Virginitáte, continétur: ipſa miráculo ſervi ſui zelum confirmánte.

Cùm

Cùm enim Ildephónſus ad preces matutínas Expectatiónis Beátæ Maríæ in Eccléſiam nocte deſcénderet; cómites ejus in Eccléſiæ límine, fulgóre quodam repentíno detérriti retroceſsérunt: ille verò intrépidus ad aram progréſſus, Vírginem ipſam vidit, & adorávit, ab eadémque veſtem, qua in Sacrifíciis uterétur, accépit.

℟. Póſui adjutórium. *Lectio vj.*

CUm étiam dies Leocádiæ feſtus agerétur, & Clerus, frequénſque pópulus conveníſſet, Ildephónſus ad ſepúlchrum Vírginis accédens, flexis génibus, orábat; & ecce, reſeráto repéntè Sarcóphago, Leocádia ſanctíſſima pródiit: videntibúſque cunctis, & audiéntibus, Ildephónſi mérita de Vírgine María commendávit, dicens: O Ildephónſe, per te vivit Dómina mea, quæ Cœli cúlmina tenet. Illa verò recedénte, Ildephónſus, arrépto Receſvínthi, qui fortè tunc áderat, gladíolo, veláminis partem, quo caput Leocádiæ tegebátur, resécuit, eámque régio ſimul cultro, célebri pompa, in ſacrárium íntulit; ubi uſque hódie ſervátur. Scripſit multa luculénto ſermóne; ſed váriis moleſtiárum occupatiónibus impedítus, áliqua imperfécta relíquit. Obiit tandem felíciter, cùm ſedíſſet in Epiſcopátu annos novem, menſes duos, ſepultúſque eſt in Basílica Leocádiæ circa annum Dómini ſexcentéſimum ſexagéſimum séptimum, Receſvíntho in Hiſpánia regnánte. Cujus corpus in generáli à Saracénis Hiſpaniárum occupatióne, in Civitátem Zamorénſem translátum eſt, & in Eccléſia Beáti Petri honorífice quiéſcens, magna illíus pópuli religióne cólitur.

℟. Iſte eſt qui ante Deum.

In iij. Noct. Homil. Vos eſtis ſal terræ.

℟. viij. In médio Eccléſiæ.

Lectio ix. & commem. S. Emerentianæ.

Miſſa. In médio Eccléſiæ. *fit commemoratio S. Emerentianæ ſine* Credo.

DIE XXX. JANUARII.

S. Adelelmi Abbat. *Duplex.*

Omnia de Communi Abb. præter ea, quæ hìc ſunt propria. *Oratio.*

DEus, qui nos Beáti Adelélmi Abbátis præcláris virtútum exémplis erudíri voluíſti: concéde propítius, ut quod te donánte, devótè promíſimus, ejúſdem patrocínio fidéliter adimplére valeámus. Per Dóminum noſtrum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Noct. *Lectio iv.*

ADelélmus Lugdúni, quod eſt óppidum Gálliæ, illúſtri, Chriſtianáque ortus família, puer litterárum ſtúdiis óperam dedit: adoléſcens verò coáctus eſt à paréntibus milítiam ſectári; in qua ità ſe geſſit, ut expers per ómnia illórum vitiórum fúerit, quibus illud hóminum genus immérgi ſolet. Paréntibus defúnctis, cùm aliquándo illud ex Evangélio audíſſet: Si vis perféctus eſſe, vade, & vende ómnia quæ habes, & da paupéribus, & veni, & séquere me; património paupéribus diſtribúto, vile ſibi induméntum índuens, ac mendícans, Romam properávit, ubi cùm ferè biénnium oratiónibus, jejúniis, carníſque afflictiónibus intendíſſet, tandem ad Robértum Caſæ Dei Abbátem, quem ante Románam profectiónem inviſerat, revértitur. Poſt mútuam congratulatiónem, monáſticam ibi vitam proféſſus eſt, in qua multos languóres ſignò Crucis, & Dei grátia curávit.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

DEvolútis poſt áliquot annis, invítus Caſæ Dei Abbas creátus, virtútum ómnium ſpécimen exhíbuit; ſed quia divinárum rerum contemplatióni jam per negótia vacáre, ut ántea, non póterat, ut Chriſto pléniùs deſervíret, præſulátu ſe abdicá-

 vit.

vit. Ejus verò fama jam longè, latéque diffúſa, omnes in admiratiónem ſui vérterat, cùm Angliæ Regína letárgum pátiens, ſpeque ſalútis prorsùs amíſſa, núntios ad eum miſit: ut vel micam panis, cui ipſe benedixíſſet, tranſmítteret ad medélam. Rénuit inítio vir ſanctus; ſed tandem précibus victus, fruménti mensúram miſit, quo Regína primùm, mox quotquot per ínſulam morbo tenebántur, convaluérunt. Accítus poſt hæc lítteris Conſtántiæ Regínæ, Alphónſi Sexti uxóris, in Hiſpániam venit, ubi à Rege, ſimul & Regína perhumánè ſuſcéptus & hábitus, quantæ eſſet virtútis, miráculo comprobávit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

NAm per vada Tagi propè Tolétum, cùm Régius eſſet exércitus fortè trajiciéndus, nullis, vel qui equis valéntibus vehebántur, flúminis æſtui, ripas ex ſolútis nívibus occupántis, ſatis fidéntibus, Adelélmus débili aséllo insídens, pronunciáto ex pſalmis oráculo: Hi in cúrribus, & hi in equis, nos autem in nómine Dómini; undárum globos cum ómnium ſtupóre tranávit. Céterùm cùm cópiam fáceret Adelélmo deligéndi ſibi locum ad habitándum, quem máximè vellet, Sacéllum Sancti Joánnis Evangelíſtæ, quod in ſubúrbio Burgórum Urbis Rex ipſe conſtrúxerat, pétiit & réliquo vitæ témpore peregrínis, & paupéribus miníſtrans frequentávit; ubi felíciter migrávit ad Dóminum, atque ibídem insígne monuméntum ejus relíquias cóntinens, ac nomen réferens conſpícitur. Cláruit Sanctus Adelélmus in Hiſpánia, Alphonſo Sexto, & Conſtántia ſecúnda ejus Uxóre, Ludovíci Francórum Regis fília regnántibus.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. *de Comm. Abb.*

Miſſa. Os juſti. *de Communi Abbat. ut ſup.*

DIE I. FEBRUARII.

S. Verdianæ Virg. Recluſæ. *Dupl.*

Omnia de Communi Virg. præter ea, quæ hìc ſunt propria.

Oratio. Exáudi nos Deus.

Lect. j. Noct. de Script.

In Quadr. de Communi Virg. j. loco.

In ij. Noct. *Lectio iv.*

VErdiána in Caſtro Florentíno ex illúſtri Attavantórum família nata, à prima ætáte oratiónis, & abſtinéntiæ ſtúdiis dédita, dúrius quoddam vitæ genus duodénnis aggréſſa eſt, multíſque à Deo miráculis honoráta. Hæc cùm diligénter conſideráſſet quidam illíus Conſanguíneus, vir opuléntus, eam in domum ſuam accépit, cuſtódem, & adjutrícem cónjugis ſuæ; ſed cùm in annónæ charitáte páuperum miſérta, legúmina dómini ſui in eóſdem erogáret, ita in illam iracúndia exárſit, ut ad clamórem vicíni accúrrerent; Verdiána verò cùm à Deo opem imploráſſet, arcam legumínibus plenam Dómino oſténdit, qui eo miráculo motus, eámdem deínceps ſumma veneratióne proſecútus eſt. Ad Compoſtéllam póſteà cum quibúſdam piis muliéribus, atque inde Romam, ad veneránda Sanctórum Apoſtolórum límina, peregrinatiónem aggréſſa, cùm domum revertíſſet, anno milléſimo centéſimo nonagéſimo ſecúndo, Régulæ Benedictínæ ſub ſtrictióri Vallisumbroſánæ Congregatiónis obſervántia ſe addíxit, in qua incluſórum rigórem ampléxa, ipſum juventútis florem Dómino conſecrávit, multíſque jejúniis, & afflictiónibus carnem ſuam caſtigavit; nam vino perpétuò abſtínuit, paviméntum pro lecto hábuit, férreo cíngulo, & cilício corpus cinxit, in cráſtinum nihil resérvans, in páuperes ómnia, quæ frugaliſſimæ menſæ

de...

detráhere póterat, erogávit. Paſſiónem Domínicam quotídiè cum lácrymis recolébat, & à collóquiis hóminum ita abhórruit, ut nec quidem vocáta reſpondéret.

℟. Propter. *Lectio v.*

CUm váriis ærúmnis exercéri ad Magni Antónii imitatiónem expéteret, bini ſerpéntes, qui ſummo horróri tenérrimæ Vírgini erant, per fenéſtram Céllulæ ingréſſi, ab ea deínceps, máximè dum menſæ accúmberet, non recesſérunt; quin & caudis gráviter flagellábant, niſi & illis cibum porrígeret, aut eódem ex vaſe paſci síneret. Hos dum Epíſcopus Florentínus, qui ad eam inviséndam vénerat, expéllere vellet, ipſa, ne tali patiéntiæ exercítio privarétur, exorávit. Quæ abſcíſſas caudas illis reſtítuit Crucis Domínicæ ſigno ſupra ſerpéntes formáto, qui tamen illi magis inféſti poſt accéptum benefícium extitérunt, donec uno ab íncolis interémpto, alter deínceps non compáruit, ex quo Verdiána diem ſuprémum ſibi inſtáre, intelléxit.

℟. Dilexíſti. *Lectio vj.*

CLáruit exímia miraculórum virtúte, nam aquam prodigióſè in vinum vertit: fractum púeri genu, & bráchium curávit, cæcam puéllam, palma impóſita, vidéntem réddidit, áliaque plura miraculóſè patrávit. Demum trigéſimo recluſiónis anno, dum Pſalmos Pœnitentiáles recitáret; puriſſimum ſpíritum Deo réddidit Kaléndis Februárii anno milléſimo ducentéſimo vigéſimo ſecúndo, cujus mortem Campánæ ſpontè ſonántes publicárunt: concúrſu proindè Cleri, populíque facto ad céllulam, & muro díruto, ſacrum ejus corpus repértum eſt in génua eréctum, ſublátis in Cœlum mánibus, & miram éfflans cœléſtis odóris fragrántiam, quod pro confluéntium ſolátio dies séxdecim inhumátum, insígnibus intérea miráculis illuſtrátum fuit: quibus diligénti inquiſitióne perſpéctis, Clemens Séptimus Póntifex Máximus, Offício Eccleſiáſtico coli, mandávit.

℟. Afferéntur.

In iij. Nocturno Homilia in Evangel. Símile erit regnum Cœlórum decem Virgínibus. *de eodem Communi primo loco.*

Miſſa. Dilexíſti. *de Communi.*

DIE II. FEBRUARII.

S. Laurentii Epiſc. & Conf. *Dùplex.*

Omnia de Communi Conf. Pontif. præter ea, quæ ſequuntur.

Oratio. Da quæſumus. *de eod. Comm.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In Quadrag. Fidélis ſermo.

In ij. Noct. *Lectio iv.*

LAuréntius unus fuit ex iis Mónachis Sanctíſſimis, quos à Beáto Gregório Divus Auguſtínus, Archiepíſcopus Cantuariénſis, ad prædicándum Chriſti Evangélium in Anglia ſodáles accépit, quem étiam ipſe adhuc vivens ſibi in Epiſcopátu ſuccesſórem ordinávit, nè, ſe defúncto, ſtatus Eccléſiæ tam rudis, vel ad horam Paſtóre deſtitútus vacilláret, imitátus in hoc Apoſtolórum Príncipem, qui, Cleméntem ſibi adjutórem ſimul, & ſuccesſórem conſecráſſe, perhibétur. Lauréntius ígitur, Archiepiſcopátus gradu potítus, ſtrénuè curávit novæ Eccléſiæ jacta in Anglia fundaménta ad proféctum débiti cúlminis verbo, & exémplo provéhere, adeóque ardénter in eam curam incúbuit, ut Scotos étiam, & Británnos conátus ſit ad Eccléſiæ Cathólicæ conformitátem redúcere, qui circa Paſchæ celebratiónem, & ſimília ab ejus conſuetúdine deviáverant. Cùm autem vita functus eſſet Ethilbértus Angliæ Rex, qui ad Auguſtíni prædicatiónem primus Chriſto nomen déderat, eíque ſuccesſíſſet fílius, tali patre prorsùs indígnus, quippe qui non tantùm fidem Chriſti averſabátur,

quin étiam inaudíta géntibus libídine, juxta Apóſtoli dictum, ſeſe pollúerat, accípiens Novércam in uxórem, genti ſuæ áditum patefécit ad príſtinum, peſſimúmque vivéndi morem reverténdi.

℞. Invéni David. *Lectio v.*

ACcéſſit huic ex vicíno malo non contemnéndum increméntum: ex humánis enim ſubláto Sáxonum Orientálium Rege Seberécto, regnóque ejus à tribus fíliis, qui in infidelitáte perſeveráverant, occupáto, mox Idólis cœpérunt palàm ſervíre, ac abjuráta Chriſti fide, paſſim pópuli ad falſam religiónem revérſi ſunt. Eo túrbine in fugam verſus Mellítus, Sáxonum Epíſcopus, ad Lauréntium ſe cóntulit, accitóque Juſto Coepíſcopo, quid facto opus eſſet, ſéduló conſuléntes, in pátriam redíre decrevérunt, ut ibi Dómino libériùs deſervírent, qui inter rebélles fídei Bárbaros diútiùs commorántes, ſtérili, ut ſibi videbátur, ótio indulgébant. Prióres diſceſsére Juſtus, & Mellítus, quos inſequútus Lauréntius, ſtratum ſibi Angliam relictúro, ea nocte in Ecclésia Sanctórum Apoſtolórum Petri, & Pauli parári mandávit; in quo poſt multas preces, & lácrymas ad Deum pro Ecclésiæ ſuæ ſtatu devotíſſimè fuſas, ſomno oppréſſus quiévit.

℞. Póſui adjutórium. *Lectio vj.*

SEd ecce quieſcénte Archiepíſcopo, adeſt Apoſtolórum Princeps Petrus, qui eum ad multam noctem flagéllis acerbíſſimè cædens, Apoſtólica auctoritáte ſciſcitabátur, cur gregem ſibi ab ipſo créditum deſéreret, vel cui paſtóri oves in médio lupórum póſitas, fúgiens ipſe relínqueret; En mei, inquit, oblítus es exémpli, qui pro párvulis, mihi à Chriſto in ſui amóris erga me ſignum, commíſſis, vérbera, cárceres, afflictiónes, mortem dénique ipſam, & mortem quidem crucis cum ipſo pértuli? Hiſce verbéribus, & exhortatiónibus animátus Lauréntius, manè Regem adit, rejectóque veſtiménto, plagárum ei ſtígmata oſténdit, facinoríſque auctórem quærénti, rem omnem, ut ſe habébat, órdine expónit. Rex primùm veheménter obſtúpuit; indè in ſe revérſus, cultu Idolórum abjécto, illegítimam uxórem répulit, & fide Chriſti ſuſcépta, eam deínceps mirífice propagávit, quo ſupérſtite, natúræ concédens Lauréntius, regnum cœléſte conſcéndit quarto Nonas Februárii.

℞. Iſte eſt, qui ante.

In iij. Nocturno Homil. in Evang. Homo péregrè. *de Communi Conf. Pontif. Miſſa.* Státuit. *de Communi.*

DIE VII. FEBRUARII.

S. Romualdi Abbat. *Dupl.*

Omnia ut in Brev. Romano. In Quadr. Lect. j. Noct. Laudémus viros. *de Communi Confeſſ. Pontif. ij. loco.*

DIE VIII. FEBRUARII.

Sancti Petri Ignei Cardinalis, Epiſcopi Confeſſoris. *Duplex.*

Omnia de Communi Confeſſoris Pontificis præter ea, quæ hic ſunt propria. Oratio. Da quæſumus omnípotens Deus, ut Beáti Petri Ignei. *ut in eodem Communi.*

In primo Noct. Lect. de Script.

In Quadrag. Fidélis ſermo.

In ij. Noct. *Lectio iv.*

PEtrus ex nobilíſſima Aldobrandeſcórum gente, Floréntiæ natus eſt, cùm Deſidérius, Soanénſium Comes ejus Pater, pro Imperatóre Henrico Sancto illi Urbi præſidéret. Puer ſepténnis Sancto Joánni Gualbérto Vallisumbróſæ Abbáti à Patre ejus Conſobríno commendátus, ac Mónachi hábitu indútus, tanto ſe dignum Magiſtro insígni ſanctitáte probávit; ea síquidem humilitáte, & obediéntia enítuit, ut licèt in delíciis educátus, pécora páſcere, & aſellórum curam ágere juſſus, non erubéſceret; ſed ómnibus mundi honóri-

nóribus extrémam illam abjectiónem præférret. Inde ad altióra provéctus, cùm Sancto Patri insígne Monaſtérium Paſſinianénſe reſignátum fúerit ad reformándum, Petrus eídem præféctus, Mónachos, ac Presbyteros ibídem degéntes ad perféctam Monáſtici Ordinis diſciplínam redúxit. Orta autem cùm eſſet diſsénſio in Pópulo Florentíno propter Simoníacos, quos máximè averſabátur Sanctíſſimus Abbas Joánnes, Petrus cum Beáto Rodúlpho Romam miſſus, ibíque malè vexátus, cum sóciis imperfécto ópere Floréntiam rédiit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

POſtulántibus verò Mediolanénſibus, cum eódem Rodúlpho, aliíſque Mónachis in Insúbriam permeáre coáctus unà cum Ariáldo Diácono Mediolanénſi (qui Petro inſtánte cucúllum índuit Vallumbrosánum, & qui ab Hæréticis trucidátus martyr effèctus eſt) & cum Herembáldo Duce, máximè contra Nicolaítas, & Simoníacos profécit, ut penè tota Gállia Ciſalpína ab hæreſi liberarétur. Revocátus in pátriam, & fervénte adhuc ódio inter Clerum, & Mónachos, cùm Venerábilis Abbas Joánnes incáſſum ſua verba procédere comperíret: quóniam, inquit, verba non proſunt, veniámus ad ſigna. Mox rogus duódecim pedum extrúitur, intra quem parva sémita, qua unius tantùm hóminis persóna transíre poſſet, relínquitur, quæ ex accénſis lignis, ne áliquis ibi locus à flamma vacáret, conſtérnitur. Tum Petro Diſcípulo ſuo (qui ex hoc facto Igneus appellátus eſt) præcépit, ut per accénſi rogi flammas indubitántèr intráret, qui juſſui Patris obtémperans, poſtquam Deo Sacrifícium óbtulit, Cáſula ſe expólians, ad ignem venit, & magna voce Deum orávit, ac Sanctæ Crucis ſe ſignáculo múniens, per médias flammas conſtánter ingréſſus eſt.

℟. Pósui adjutórium. *Lectio vj.*

CUm ígitur úndique eſſet flammis circúmdatus, & cùm omnes jam consúmptum putárent, súbitò ex ália parte, Chriſti grátia comitánte, egrédiens proſilívit; cùmque jam penè ex igne debéret egrédi, vidit ſe máppulam in mánibus non geſtáre, & in ignem ſibi eam cecidíſſe consíderans, per médias íterùm flammas revértitur, & ſecum máppulam éxtrahens reportávit, ut non modò veſtiménta, ſed ne capíllus quidem læſus viderétur ab igne; quo viſo miráculo, qui áderant, imménſas Deo egérunt grátias, atque in unum, abjécta hæreſi, conjúncti ſunt. Exínde Petrus Abbas Ficiclénſis eléctus eſt, & aſsúmpto ad Pontificátum Beáto Gregório Séptimo, Cardinális Epíſcopus Albanénſis creátus, plúrimùm in tolléndis graviſſimi ſchíſmatis ſemínibus laborávit, eodémque pro negótio legatióne in Germánia perfúnctus, felicióri póſteà ſuccéſſu in Gálliam legátus multa præclára pro reparánda Eccleſiáſtica diſciplína geſſit. Sénio tandem conféctus, & méritis plenus, anno ſalútis milléſimo nonagéſimo quarto, ſanctíſſimè vita functus eſt, & in ſuo Vallisumbróſæ Monaſtério, apud Sacram Turrim ſepúltus, ubi & céteri Sancti, ac Beáti illíus Ordinis quiéſcunt.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evangel. Homo péregrè proficíſcens. *ut in Communi Confeſs. Pontif. primo loco.*

In Quadr. ix. Lect. de Homil & comm. fer.

Miſſa. Státuit. *de Communi.*

DIE X. FEBRUARII.

S. Scholaſticæ Virg. Dupl. ij. claſſis.

Omnia de Communi Virginum præter ea, quæ hìc ſunt propria. Oratio.

EXáudi nos Deus ſalutáris noſter, ut ſicut de Beátæ Scholáſticæ

Vírginis tuæ feſtivitáte gaudémus: ita piæ devotiónis erudiámur affécłu. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. De Virgínibus præcéptum. *ut in Communi.*

In ij. Noct. *Lectio iv.*

Ex Libro ſecúndo Dialogórum ſancti Gregórii Papæ.

SCholáſtica, Beatíſſimi Patris Benedícti Soror, Omnipoténti Dómino ab ipſo infántiæ témpore dedicáta, ad eum ſemel per annum veníre conſuéverat. Ad quam Vir Dei non longè extra jánuam in poſſeſſióne Monaſtérii deſcendébat. Quadam verò die venit ex more, atque ad eam cum diſcípulis venerábilis ejus deſcéndit frater, qui totum diem in Dei láudibus, ſacríſque collóquiis ducéntes, incumbéntibus jam noctis ténebris, ſimul accepérunt cibum. Cùmque adhuc ad menſam ſedérent, & inter ſacra collóquia tárdior ſe hora protráheret, éadem Sanctimoniális fœmina, ſoror ejus, eum rogávit, dicens: Quæſo te, ut iſta nocte me non déſeras: ut uſque manè de cœléſtis vitæ gáudiis loquámur. Cui ille reſpóndit: Quid eſt, quod lóqueris ſoror? manére extra Cellam nullátenùs poſſum. Tanta verò erat Cœli ſerénitas, ut nulla in áere nubes apparéret.

℟. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próſperè procéde, & regna. Et dedúcet. *Lectio v.*

SAnctimoniális autem fœmina, cùm verba fratris negántis audiviſſet, insértas dígitis manus ſuper menſam póſuit, & caput in mánibus, omnipoténtem Dóminum rogatúra, declinávit. Cùmque leváret de menſa caput, tanta coruſcatiónis, & tonítrui virtus, tántaque inundátio plúviæ erúpit, ut neque venerábilis Benedíctus, neque fratres, qui cum eo áderant, extra loci limen, quo conſéderant, pedem movére potúerint, Sanctimoniális quippè fœmina, caput in mánibus declínans, lacrymárum flúvium in menſam fúderat, per quas ſerenitátem áeris ad plúviam traxit. Nec paulò tárdiùs poſt oratiónem inundátio illa ſecúta eſt; ſed tanta fuit conveniéntia oratiónis, & inundatiónis, ut de menſa caput jam cum tonítruo leváret: quátenùs unum: idémque eſſet moméntum, & leváre caput, & plúviam depónere. Tunc Vir Dei inter corúſcos, & tonítruos, atque ingéntis plúviæ inundatiónem, videns, ſe ad Monaſtérium non poſſe remeáre, cœpit cónqueri contriſtátus, dicens: Parcat tibi omnípotens Deus, Soror, quid eſt, quod fecíſti? Cui illa reſpóndit: Ecce rogávi te, & audíre me noluíſti: rogávi Deum meum, & audívit me: modò ergo ſi potes, egrédere, & me dimíſſa, ad Monaſtérium recéde. Ipſe autem exíre extra tectum non valens, qui remanére ſpontè nóluit in loco, manſit invítus.

℟. Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.

℣. Propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam. Proptéreà.

Lectio vj.

SIcque factum eſt, ut totam noctem pervígilem dúcerent, atque per ſacra ſpirituális vitæ collóquia ſeſe vicária relatióne ſatiárent. Cùmque die áltero éadem venerábilis fœmina ad Cellam própriam receſsíſſet, Vir Dei ad Monaſtérium rédiit. Cùm, ecce, poſt tríduum in Cella conſíſtens, elevátis in áera óculis, vidit ejúſdem Sorόris ſuæ ánimam de córpore egréſſam, in Colúmbæ ſpécie Cœli ſecréta penetráre. Qui tantæ ejus glóriæ congáudens, omnipoténti Deo in hymnis, & láudibus grátias réddidit, ejúſque óbitum frá-

fratribus denunciávit. Quos étiam prótinùs miſit, ut ejus corpus ad Monaſtérium deférrent, atque in ſepúlcro, quod ſibi ipſi paráverat, pónerent. Quo facto cóntigit, ut quorum mens una ſemper in Deo fúerat, eórum quoque córpora nec ſepultúra ſeparáret.

℟. Afferéntur Regi vírgines poſt eam, próximæ ejus: * Afferéntur tibi in lætítia, & exultatióne.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próſperè procéde, & regna. Afferéntur.

Glória Patri. Afferéntur.

In iij. Noct. Homil. in Evangel. Símile erit regnum Cœlórum decem virgínibus. *ut in Communi Virg.*

In Quadr. ix. Lect. de Homil. & com. fer.

DIE XI. FEBRUARII. SECUNDA DIE

Infra Octavam. Omnia ut in feſto.

Lect. j. Noct. de Script.

In Quadr. De Virgínibus. *ut in Communi, & ſic per totam Oct.*

In ij. Nocturno.

Sermo venerábilis Bedæ Presbyteri. *Tom. 7. Operum ejuſdem Bedæ.*

Lectio iv.

QUia beátæ Scholáſticæ feſtum perágimus, fratres chariſſimi, libet de ejus vitæ méritis áliquid de vita Beatíſſimi Patris Benedícti huic opúſcolo introdúcere, ut quantæ excelléntiæ ſanctitátis fúerit, ſiléntio non tegátur; ſed prímitùs omnipoténti Deo preces mittámus, qui ómnia in ſapiéntia fecit, ut ipſe donáre dignétur, quia dignátus eſt dícere: Qui ſitit, véniat, & bibat, & de ventre ejus fluent aquæ vivæ; ut cœpta ſic dignè proſequámur, ut tantæ Vírginis pertíneat ad honórem, & veſtræ charitáti præbeat increméntum.

℟. Propter veritátem. *Lectio v.*

SOror ígitur Benedícti Scholáſtica omnipoténti Dómino ab ipſo infántiæ témpore dedicáta, ad eum ſemèl per annum veníre conſuéverat. Prímitùs quidem virtútem tanti nóminis inquirámus, ut ſuo decóre orátio decúrrat. Scholáſtica enim à Schola derivátur, quæ eſt ſapiéntiæ nutrix; ab ipſa virtútum ómnium norma concréſcit, & tota virtus ánimi procax fit ad diſcéndum bona, & mala, ut recto límite cúrrere poſſit viam ſalútis, quáliter peritúra mundi deſpíciat, ne obérrans, bonum ducat pro malo, malum pro bono, ténebras pro luce, & lucem pro ténebris, amárum pro dulci, & dulce pro amáro; & diſcérnere poſſit, quæ virtus ſit ſpíritus, quæ carnis, ne indiſcrétè cuncta péragens, ibi bonum elígere ſperet, ubi tota eſt malítiæ norma, ut eſt illud: Qui non fúerit diſcípulus veritátis, erit magíſter erróris.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *Lectio vj.*

SEd videámus, qui hujus tantæ ſoróris poſſit eſſe germánus? per ómnia Benedíctus, non ſolùm nómine ſed ópere, non ſolùm in terris, ſed étiam in cœlis. Iſta non Philoſophórum ſchola, Scholáſtica facta, ſed Chriſti. Mundi ludíbria ab infántia fúgiens, cœléſtem ſibi ſponſum aptávit, ſicut ille pueritiæ ſuæ témpore abrúpta vitiórum, litterárum mundanárum Romæ ſtúdia cernens, ſeníli corde eum, quem in ingréſſu mundi posúerat, pedem retráxit. O quam felix Núrſiæ tellus, tales quæ mittit alúmnos! nam Canópica regna áurea mittunt tyránnos: tu Chriſto Proles ſuper æthera dignas. O felícia tanta víſcera matris, quæ tali gérmine sóboles mundo dedére, ideſt benedictiónis, & ſapiéntiæ! Verè iſta eſt illa fértilis gleba, quæ ſumpto sémine, áliud centéſimum, áliud ſexagéſimum fructum prodúxit.

℟. Afferéntur Regi.

In iij. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Le-

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile erit Regnum Cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades ſuas exiérunt óbviàm ſponſo, & ſponſæ. Et réliqua.

De Homilía ſancti Gregórii Papæ.

Homilia 12. *in Evangelia.*

NOtándum verò, quòd omnes lámpades habent; ſed omnes óleum non habent, quia plerúmque bona in ſe ópera cum eléctis, & réprobi oſténdunt, ſed ſoli ad ſponſum cum óleo véniunt, qui de his, quæ foris égerint, intùs glóriam requírunt: Undè per Pſalmíſtam quoque de ſancta electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus. Dormitavérunt omnes, & dormiérunt. Dormíre mori eſt. Ante ſomnum verò dormitáre, eſt ante mortem à ſalúte languéſcere: quia per pondus ægritúdinis pervenítur ad ſomnum mortis.

℞. Hæc eſt. *Lectio viij.*

QUid eſt autem, quòd fátuæ à prudéntibus óleum petunt, niſi quod in advéntu júdicis, cùm ſe intùs vácuas invénerint, teſtimónium foris quærunt? Ac ſi à ſua fidúcia decéptæ próximis dicant: Quia nos quaſi ſine ópere repélli conſpícitis, dícite de noſtris opéribus, quid vidíſtis? Undè & prudéntes per increpatiónem ſubdunt: Ite pótiùs ad vendéntes, & émite vobis. Venditóres quippe ólei, adulatóres ſunt. De quo profécto óleo Pſalmíſta dicit: Oleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

℞. Média nocte. *Lectio ix.*

O Si ſápere in cordis paláto poſſit, quid admiratiónis habet, quod dícitur: Venit ſponſus? Quid dulcédinis: Intravérunt cum eo ad núptias? Quid amaritúdinis: Et clauſa eſt jánua? Pensáte, fratres chariſſimi, ante conſpéctum tanti júdicis, qui in illo die terror erit, quando jam in pœna remédium non erit. Quanta verò tunc erit electórum lætítia, qui de ejus meréntur viſióne gaudére, de cujus conſpéctu vident & eleménta ómnia contremíſcere, cum eo ſimul ad núptias intráre? Qui & in ſponſi núptiis gáudent, & tamen ipſi ſunt ſponſa, quia in illo ætérni Regis thálamo viſióni noſtræ Deus conjúngitur.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes, & alias Horas, omnia ut in die feſti.

Sic dicitur Officium per tot. Octav.

In Quadrag. per totam Octav. Lect. primi Noctur. De Virgínibus præcéptum Dómini. *de Communi. ix. Lect. de Homilia, & comm. fer.*

DIE XII. FEBRUARII.

TERTIA DIE.

Lect. primi Nocturni de Script.

In ſecundo Nocturno.

De Sermóne venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lectio iv.

SEd cur ſemel in anno, ò ſancta Soror, ad fratrem veniébas? fórſitàn longitúdinem itíneris tua ténera planta formidábat? an munus parábas, quod ferres? an fórſitan tantùm te ſemèl in anno fœcundábat bonus frater rore verbi cœléſtis, ut madefácta méntium prata ſufficeret ad increméntum ſalútis? an in mente habébas illud Salomónis: Próhibe pedem tuum de domo próximi tui, ne fortè ſatiátus óderit te? & illud: Mel inveníſti, fili mi, cómede quod ſúfficit tibi, ne fortè ſatiátus évomas illud.

℞. Propter veritátem. *Lectio v.*

SIc, ſic agant omnes ſorótes, non denſis gréſſibus fratrum límina frequéntent, non inéptas réſonent fábulas, non munus déferant tantùm, quod tela depíngit, vel magíſtra manus adórnat, non olfactorióla, non variórum placéntas ſapórum,

rum, ſed cum Scholáſtica ſacram Benedícti fratris requírite Scholam, ut magis cibo cœléſti, quàm dono terréno ſatiáti, revérti ad própria queátis. Ad quam Vir Dei non longè extra jánuam in poſſeſſióne Monaſtérii deſcendébat.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *Lectio vj.*

QUàm ſanctus, quàm pudícus, quàm diſcrétus accéſſus, ut frágilis ſexus non laſséſceret, óbvius frater occúrrit, ne fortè labor itíneris frángeret mentis devotiónem. An illícitum cernébat, ut tanti limen cœnóbii calcári fœmíneo pede debuíſſet? an fortè ſæculárium latrátus vitábat, qui bonos Monachórum mores caníno more deváſtant, & hoc credunt in illis, quod ſuis malis áctibus ágere non recúſant; etſi hoc de tanto Patre ſperáre illícitum eſſet, de tenerióribus Diſcípulis infláto gútture criſpárent cachínnos? Idcircò non in ſæculárium, ſed in própriis poſſeſſiónibus deſcendébat Pater almíficus.

℟. Afferéntur Regi.

In iij. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Lectio vij.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile erit Regnum Cœlórum decem Virgínibus, quæ accipiéntes lámpades ſuas exiérunt óbviàm ſponſo, & ſponſæ. Et réliqua.

Homilía ſancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 4. in Matt. cap. 25.

HAnc parábolam quidam ſimplíciter in virgínibus interpretántur, quarum áliæ, juxta Apóſtolum, & córpore, & mente ſunt vírgines; áliæ virginitátem tantùm córporum reſervántes, vel cætera ópera non habent propóſito ſuo ſimília, vel paréntum cuſtódia reſervátæ; nihilóminùs mente nupſérunt, ſed mihi vidétur ex ſuperióribus álius ſenſus eſſe, qui dícitur, & non ad virginália córpora, ſed ad omne hóminum genus comparátio pertinére.

℟. Hæc eſt. *Lectio viij.*

QUi idcircò omnes vírgines appellántur: quia gloriántur in uníus Dei notítia, & mens eórum idololatríæ túrbine non conſtuprátur. Oleum habent Vírgines, quæ juxta fidem & opéribus adornántur: non habent óleum, quæ vidéntur ſímili quidem fide Dóminum confitéri, ſed virtútum ópera négligunt. Póſſumus quinque vírgines ſapiéntes, & ſtultas quinque ſenſus interpretári, quorum álii feſtínant ad cœléſtia, & ſupérna desíderant: álii terrénis fæcibus inhiántes foménta non habent veritátis, quibus ſua corda illúminent.

℟. Média nocte. *Lectio ix.*

DIcámus áliquod, quod fórſitan lectóri útile ſit. Tradítio Judæórum eſt, Chriſtum média nocte ventúrum in ſimilitúdinem Ægyptii témporis, quando Paſcha celebrátum eſt, & exterminátor venit: unde reor, & traditiónem Apoſtólicam permansíſſe, ut in die vigiliárum Paſchæ ante noctis dimídium, pópulum dimíttere non líceat, expectántes advéntum Chriſti, & poſtquam illud tempus transíerit, ſecuritáte præſúmpta, feſtum cunctos ágere diem. Tunc ſurrexérunt omnes vírgines illæ: quæ lámpades ſuas querúntur extíngui, oſténdunt, eas ex parte lucére: & tamen non habent lumen indefíciens, nec ópera perpétua.

Te Deum laudámus.

DIE XIII. FEBRUARII.

QUARTA DIE.

Lect. primi Nocturni de Script.

In ſecundo Nocturno.

De Sermóne venerábilis Bedæ Presbyteri. *Lectio iv.*

QUadam autem die venit ex more, atque ad eam cum diſcípulis

lis venerábilis ejus frater deſcéndit. Ex more enim venit, quia ex bona couſuetúdine mentis appropinquábat, & fide non ficta. Quàm ſanctus accéſſus, quàm ſanctus advéntus, quàm pius curſus, qui magis amóre mentis currébat ad Chriſtum, quàm devotióne pedum ad fratrem, imò & ad Chriſtum fratrem: nam & ipſe dicit: Si quis fécerit voluntátem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt. Sed quali devotióne Scholáſtica virgo currat, Pſalmíſta dicat: Sicut cervus deſíderat ad fontes aquárum, ita deſíderat ánima mea ad te Deus.

℟. Propter veritátem. *Lectio v.*

SEd quare Pſalmíſta metaphóricè cervi propoſúerit mentiónem, ut ita currat ánima ad Deum, ut cervus ad fontem, non vácua myſtériis manent? Numquid ſolus cervus, & non colúmba, turtur, & paſſer fontem requírunt? Sed áliter cervus, áliter colúmba ad fontis amnem recúrrunt. Iſte curſu pedum, iſta aéreo volátu deſcéndit: iſte inſecútus frequénter arte venatórum laſſabúndus currit ad aquas; hæc verò infatigáta sólita accédit. Quod ſi myſticè pensáre vólumus, inviſíbilis ánima, viſíbilis animális habet formam, qua uno curſu fatigatiónis hìc pergit ad fontem terrénum, hæc ad fontem cœléſtem: iſte fatigátus vócibus canum: iſta conſecúta ſpirítibus malígnis, pro quo ad fontem illum curréndum eſt, qui eſt fons vivus, púteus domus Jacob, ex quo aquæ vena ſaliéntis ebúllit in vitam ætérnam.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *Lectio vj.*

CErtè tanta ſoror tali fide venit ad fratrem: nam áliter æger, áliter ſoſpes ad médicum vadit; iſte ut ſanus ſanum víſitet, ille ut languéntem ſanum procúret: nam & ad fontem áliter sítiens feſtínat, áliter crapulátus à vino; iſte ut háuſto refocíllet mentem, ille ut recto itinere insítiens pergat. Soror verò iſta in tanto fratre ambas grátias cernens, ſapiénte pede infatigáta venit, priùs ut ſana ſanum víſitet, ſequénter ut ægram non torpóre, ſed mente curet documénto ſalútis, quia nec ipſa aſtra munda ſunt in conſpéctu Dei.

℟. Afferéntur Regi.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Símile erit Regnum Cœlórum decem Virgínibus. *ut in feſto S. Cœciliæ virg. & mart. xxij. Novemb.*

℟. *verò ut in iij. Noct. de Comm. Virg.*

In Veſp. commemor. S. Valentini presb. & mart.

DIE XIV. FEBRUARII.
QUINTA DIE.

Lect. j. Noct. de Script.

In ij. Nocturno.

De Sermóne venerábilis Bedæ Presbyteri. *Lectio iv.*

QUi totum diem in Dei láudibus, ſacríſque collóquiis ducéntes, incumbéntibus noctis ténebris ſimul accepére cibum. Beáta talis víſio Paréntum præ óculis habens Dómini præcéptum: Primùm quærite regnum Dei, & juſtítiam ejus, & hæc ómnia adjiciéntur vobis. Beáta tália fércula, ubi priùs pónitur panis Angelórum, quàm hóminum, & ubi priùs refocillátur mens, quàm venter: nam hìc repónitur cibus, qui placére poſſit menſæ cœléſti; ibi verò eſca manet, quam indigéries córporis mittit. Et beátus ſermo, qui toto diéi ſpátio protelátur laude divína, & qui à primo lucis ortu uſque ad occáſum, alternátim reciprocántur prædicámina ſacrosáncta. Cùmque adhuc ad menſam conſidérent, & inter ſacra collóquia tárdior ſe hora protráheret, éadem ſanctimoniális fémina, ſoror ejus, eum rogábat, dicens: Quæſo te, ne iſta nocte me déſeras, ut uſque manè áliquid de cœléſtis vitæ gáudiis loquámur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

AD menſam ſedent, cibum ſumunt, uno dente charitátis rúminant panem, & collóquia ſacra, ut unum eſſet os, quo terrénum panem frángeret, & cœléſtem. Nam venter plenus cibo, mens erat adhuc jejúna verbo ſalútis: idcírcò quaſi famélica rogat, ut divínis cibáriis mentem ſatiáret. Cui ille reſpóndit: Quid eſt, quod lóqueris ſoror? Manére extrà cellam nullátenùs poſſum. Ecce percontátur frater ſorórem, magíſter diſcípulam, ſanctus ſanctam, quaſi néſciens, quid díxerit ſoror. Sed iſta inquisítio magìs iraſcéntis eſt, quàm interrogántis, dum benè Pater audíſſet, quid ſoror rogáverit, tanquam ſi díceret: Non benè eſt hoc, quod rogas, ut insólitus extra cellam máneam, quod implére mínimè poſſum.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *Lectio vj.*

O Sanctitátis amátor, quare germánæ dénegas, quod étiam extráneis præbes? Sed hoc Relígio facit, non cauſa dolóris. Scis Dómini præcéptum: qui díligit patrem, aut matrem, aut fratrem, aut ſorórem, pluſquàm me, non eſt me dignus; ideóque ad aſſuétum recúrris oratiónis locum, ubi magìs Deo, quàm ſoróri ſólitus es adhærére. Sed præſuménti voce dícimus: Numquid non Deus hic eſt, ubi bona ſoror ſacraménta Dei perquírit, cùm ipſe dicat: Ubi duo, vel tres congregáti fúerint in nómine meo, in médio eórum ſum? Ecce non rogat, ut longo te témpore cernat more paréntum, ſed unius noctis ſpátium póſcit, quo præbeas collóquia ſacra. Quàm durè atténdis, ſancte frater, preces ſoróris ob tuæ cauſam ſacræ Religiónis! Illa benè quærit, ut à te hábeat; tu ſimíliter ut rédeas; illa fide, tu fide; illa amóre Dei, tu páriter ut illa: illa ut cum ſorore in prædicatióne tempus noctis exólvas, tu ut cum frátribus sólitas Dómino réferas laudes. Sed quis è duóbus méliùs, ſequens ſenténtia monſtrat. Tanta verò erat cœli ſerénitas, ut nulla in áere nubes apparéret: verè nulla nubes eſſe pótuit, ubi erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum.

℟. Afferéntur Regi.

In iij. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Lectio vij.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile erit Regnum Cœlórum decem Virgínibus, quæ accipiéntes lámpades ſuas, exiérunt óbviàm ſponſo, & ſponſæ. Et réliqua.

Homilía ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

POſt ingéntes labóres, poſt incredíbiles ſudóres, & acérrimas pugnas, poſt trophæa, quæ de natúræ rábie ſtatuérunt, resúrgunt cum dedécore, & lampádibus eárum extínctis, terram aſpiciéntes recédunt. Nihil ſanè tenebróſius eſt, quàm virgínitas óleo carens: undè ſic vulgò multi immiſericórdes tenebróſos ſolent appelláre. Quid ígitur ex virginitáte lucrátæ ſunt, quæ nec ſponſum quidem vidérunt, nec ſaltem ad pulsándum uſque pervenérunt, ſed terríbile illud verbum audivére: Abíte, néſcio vos?

℟. Hæc eſt. *Lectio viij.*

QUod cùm ipſe díxerit, nihil áliud, quàm gehénna, & intollerábilis cruciátus relínquitur: imò verò étiam gehénna, iſtud verbum grávius eſt. Hoc verbum operántibus étiam iniquitátem dixit: vigiláte, quia neſcítis diem, neque horam. Crebrò id répetit, ut ignorántiam éxitus ab hac vita útilem eſſe oſténdat. Ubi ſunt ergo, qui per totam vitam deſídia torpéſcunt, & quando à nobis admonéntur, reſpondére non dúbitant, ómnia ſe pau-

paupéribus moriéndi témpore relictúros.

℟. Média nocte. *Lectio ix.*

Audiant hæc verba, & eméndent ſe: multi enim abeúndi tempus expectántes, ita repéntè rapti ſunt, ut nec injúngere ſuis quicquam potúerint. Sed hæc quidem parábola ejus eleemóſynæ grátia, quæ cum pecúnia confícitur, dicta eſt. Cur autem hæc parábola ſponſum addúcit? Ut vídeas, quantùm Virgínibus Chriſtus affícitur iis, quæ ſua paupéribus érogant: hæc enim & vera virgínitas eſt. Nam & Paulus huic rei hanc deſcriptiónem attríbuit dicens: Innúpta ſollícita eſt de iis, quæ Dómini ſunt, ut ſit ſancta córpore, & ſpíritu.

Te Deum laudámus.

In Laud. fit commem. Sancti Valentini mart.

In Quadrag. ix. Lect. de Homil. & commem. fer. & S.

In Veſperis commem. SS. Fauſtini, & Jovitæ fr. mart.

DIE XV. FEBRUARII. SEXTA DIE.

Lect. j. Nocturni de Script.

In ij. Nocturno.

De Sermóne venerábilis Bedæ Presbyteri. *Lectio iv.*

Sanctimoniális autem fémina, cùm verba fratris negántis audíſſet, insértas dígitis manus ſuper menſam póſuit, & caput in mánibus, omnipoténtem Deum rogatúra, declinávit. Dic Virgo beáta, cujus te ſcola dócuit, quæ contra Magíſtrum ſenténtiam propónis? numquid non dicit: Perféctus omnis diſcípulus erit, ſi ſit ſicut Magíſter ejus? & in Evangélio inquit: Néſciat ſiníſtra tua, quid fáciat déxtera tua; & tu ambas manus innéctis? Et illud: Míttite in déxteram navígii rete, & tu utróque látere rete immérgis? Ille à dextris oves cóllocat, tu étiam in ſiníſtro?

℟. Propter veritátem. *Lectio v.*

Pſalmíſta hinc à dextris ponit, dicens: Dixit Dóminus Dómino meo: Sede à dextris meis; necnon: Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me. Et in Cántico: Déxtera tua Dómine gloriſicáta eſt in virtúte, & tu iſta dérogans, non ſolùm manus impléctis, ſed étiam dígitos ínſeris? Dóminus dicit in Evangélio: Tu autem cùm oráveris, intra in cubículum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum: & tu ad cœnam ſedens ante humános óculos preces, lacrymáſque fundis?

℟. Dilexíſti juſtítiam. *Lectio vj.*

Sed quàm laudánda ſunt tua facta, ò ſanctíſſima feminárum! Quid tu in conclávi facis, quando tália paténti cœlo péragas? Nam ídeò tibi una eſt déxtera, lævaque pars, quia fábricam atténdis illis, qui nullam habent ſiníſtram, ut dicit: Vidit Deus cuncta, quæ fécerat, & erant valdè bona. Et in Cántico Canticórum: Læva ejus ſub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Et in Pſalmo: Manus tuæ Dómine fecérunt me, & plaſmavérunt me. Et illud in Cántico: Manus meæ ſtillavérunt myrrham. Hac quippe auctoritáte, quàm pulchrè tuæ manus compléxæ consíſtunt, ſuper quas caput reclínans, imbrem cœlitùs, & lácrymas effudíſti; ſed quod caput, Apóſtolus dicat: Caput mulíeris vir, caput viri Deus: nam cujus viri, niſi illíus, unde Prophéta dicit: Vir, óriens nomen ejus? Ecce ille, qui pro ſalúte ómnium in cruce inclináto cápite trádidit ſpíritum, ſuo cápite tuas nunc declinávit in palmas, ut ſui myſtérii, quod mente quærébas, arcánum tibi manáret ab aſtris. Quæ tantum insértis dígitis egíſti miráculum, quid fáceres ſi palmas extendíſſes ad preces?

℟. Afferéntur Regi.

In iij. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Lectio vij.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile erit Regnum Cœlórum decem Virgínibus, quæ accipiéntes lámpades ſuas, exiérunt óbviàm ſponſo, & ſponſæ. Et réliqua.

Homilía ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Homil. 23. de verb. Domini poſt init.

INtelligámus, charíſſimi, ad omnes nos, ideſt ad univérſam omnínò Eccléſiam, iſtam pertinére parábolam, non ad ſolos præpóſitos, nec ad ſolas plebes, ſed prorsùs ad omnes. Quinque iſtæ, & quinque Vírgines illæ, omnes omnínò ſunt ánimæ Chriſtianórum, ſed ut dicámus vobis, quod Deo inſpiránte ſentímus, non qualeſcúmque ánimæ, ſed tales ánimæ, quæ habent cathólícam fidem, & habére vidéntur bona ópera in Eccléſia Dei, & tamen ex ipſis quinque ſunt prudéntes, & quinque fátuæ.

℟. Hæc eſt. *Lectio viij.*

QUare ergo appellátæ ſunt quinque, & quare Vírgines, priùs videámus. Omnis ánima in córpore ídeò quinário número censétur, quia quinque ſénſibus útitur; Qui ergo ſe ábſtinet ab illícito viſu, ab illícito audítu, ab illícito odorátu, ab illícito guſtátu, ab illícito tactu, propter ipſam integritátem, Vírginis nomen accépit. Sed ſi bonum eſt abſtinére ab illícitis ſentiéndi mótibus, & ídeò unaquæque ánima Chriſtiána Vírginis nomen accépit; quare quinque admittúntur, quinque autem repellúntur?

℟. Média nocte. *Lectio ix.*

ET Vírgines ſunt, & repellúntur. Parum eſt, quia Vírgines ſunt, & lámpades habent; Vírgines, propter abſtinéntiam ab illícitis ſénſibus; Lámpades habent, propter ópera bona: De quibus opéribus Dóminus dicit: Lúceant ópera veſtra coràm homínibus. Item Diſcípulis dicit: Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris: in lumbis accínctis virgínitas; in lucérnis ardéntibus ópera bona. Si ergo ab illícitis abſtinéntia bona eſt, undè virgínitas nomen accépit; & ópera bona laudabília ſunt, quæ ſignificántur lampádibus; quare quinque admittúntur, & quinque repellúntur?

Te Deum laudámus.

ix. Lect. & commem. SS. Fauſtini, & Jovitæ fr. mart.

In Quadr. ix. Lect. de Homil. & comm. fer. & SS. mart.

DIE XVI. FEBRUARII. SEPTIMA DIE.

In ij. Nocturno.

Sermo venerábilis Bedæ Presbyteri. *Lectio iv.*

CUmque leváret de menſa caput, tantæ coruſcatiónis, & tonítrui virtus, & tanta inundátio plúviæ erúpit, ut neque venerábilis Pater Benedíctus, neque fratres, qui cum eo áderant, extra loci limen, quo conséderant, pedem movére potuíſſent. Quàm nova mirácula mundo, quàm cunctis laudánda præcónia ſæclis! Ubi nulla erat umbra nubis, aer íntonat clamóribus omnis, & denſa tonítrua ſonant, ubi nullíus erat concúſſio venti. Nam unus fons oculórum & menſam rigábat lácrymis, & æther ímbribus arva. Stet nunc ſancta cháritas fixa, ſtent immóbiles pedes fratérni, quod ſoror poſcit, non déneget diléctio fratris: Da volens, nolens, pernox ſacra collóquia Pater. Ecce iſta præcéptum Dómini complet, petit, ut accípiat; quærit, ut invéniat; pulſat, ut aperiátur ei.

℟. Propter veritátem. *Lectio v.*

QUid petit, ipſa dicat: Ut uſque manè áliquid de cœléſtis vitæ gáudiis loquámur. Nam ídeò deſcen-

deſcendíſti óbvius, ut iſta dona proférres: pérfice, quod cœpíſti, nam non inítio præmium extat, ſed in fine óperum bonórum. Idcírcò è súperis fudit Dóminus imbrem, ut tu non déneges prædicáminum amnem. Verè non poſcit munus cadúcum, ſed regni cœléſtis éxpetit lucrum. Sanctimoniális autem fémina, caput in mánibus declínans, lacrymárum flúvios in menſam fúderat, per quos ſerenitátem áeris ad plúviam traxit, nec pauló tárdiùs poſt oratiónem inundátio illa secúta eſt; ſed tanta fuit conveniéntia oratiónis & inundatiónis, ut de menſa caput jam cum tónitru leváret, quátenùs unum, idémque eſſet moméntum, & leváre caput, & plúviam depónere.

℞. Dilexíſti juſtítiam. *Lectio vj.*

QUàm bonus Deus Iſrael rectis corde, quàm pius ánimæ quæréntí illum! Ecce qui ſcrutátor eſt méntium, & corda ómnium cernit, qui per Pſalmíſtam dicit: Invocábit me, & ego exáudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatióne. Ecce non diſtulit, non multas expetívit preces, ſed in ictu óculi, & puncto cordis peténti tríbuit donum. Nam leváto de mánibus cápite, una fuit oratiónis conveniéntia, & inundatiónis. Gaude, & lætáre virórum Sanctíſſime, quia ecce tenes, quod voluíſti, ecce habes, quod ſemper quæsíſti, ecce mirácula cernis insígnia, cœlo, terráque probáta. Verè ſi negáſſes, quod expetébas, non fúerant ſigna humánis óculis nota, quæ toti ſemper mundo léctio ſacra ſonat. Ecce illíus mirácula plebs ſancta congáudet: ecce quam cultáſti sárculo cœléſti, fructus fert ſignórum.

℞. Afferéntur Regi.

In iij. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Lectio vij.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile erit Regnum Cœlórum decem Virgínibus: quæ accipiéntes lámpades ſuas, exiérunt óbviàm ſponſo, & ſponſæ. Et réliqua.

De Homilía ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

ALias dixit prudéntes, alias ſtultas. Undè intuémur? Undè diſcérnimus? De óleo. Aliquid magnum ſigníficat óleum, & valdè magnum. Putas non cháritas eſt? Quæréndo dícimus, non ſenténtiam præcipitámus. Undè mihi videátur, óleum charitátem ſignificáre, dicam vobis. Apóſtolus dicit: Adhuc ſupereminentiórem vobis viam demónſtro. Si linguis hóminum loquar, & Angelórum, charitátem autem non hábeam, factus ſum æraméntum ſonans, aut cymbalum tínniens: Ipſa eſt ſuperéminens via: ideſt, cháritas, quæ méritò óleo ſignificátur. Omnibus enim humóribus óleum ſuperéminet.

℞. Hæc eſt. *Lectio viij.*

QUid ergo fratres? Jam diſceptámus de quinque Virgínibus prudéntibus, & quinque fátuis. Voluérunt óbviàm ire ſponſo, corde ire, expectáre ejus advéntum. Sed ille tardábat. Dum tardat ille, dormiérunt omnes. Quid eſt ſomnus iſte? Ne fortè tardánte ſponſo, quóniam abúndat iníquitas, refrigéſcit cháritas multórum. Síccine intellectúri ſumus iſtum ſomnum? Non mihi placet: dico, quare? quia ſunt ibi prudéntes. Et útique quando dixit Dóminus: Refrigéſcit cháritas multórum, ſubjécit, & ait: Qui autèm perſeveráverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Non ergo eis obrépſit frigus caſtitátis, non in eis refríguit cháritas, ſed fervet uſque in finem.

℞. Média nocte. *Lectio ix.*

EST álius ſomnus, quem nemo evádit. Non recordámini Apóſtolum dicéntem, De dormiéntibus

autèm

autem nolo vos ignoráre, fratres: ideſt, de his, qui mórtui ſunt? Fátua ſit virgo, prudens ſit virgo, ſomnum mortis omnes patiúntur. Ad noviſſimam tubam ſurgent omnes. Prudéntes autem illæ tulérunt óleum ſecum in vaſis ſuis; ſtultæ verò illæ non tulérunt óleum ſecum. Ibi óleum, magnum óleum. De dono Dei eſt hoc óleum. Tu ergo tecum porta, intùs porta. Ubi videt Deus, ibi porta teſtimónium conſciéntiæ tuæ. Qui autem ámbulat ad teſtimónium aliénum, óleum non portat ſecum.

Te Deum laudámus.

Veſp. dupl. ut in primis Veſp. feſti.

DIE XVII. FEBRUARII. IN DIE OCTAVA.

In ij. Nocturno.

De Sermóne venerábilis Bedæ Presbyteri. *Lectio iv.*

TUnc vir Dei inter corúſcos tónitrus, atque ingéntis plúviæ inundatiónem, videns, ſe ad Monaſtérium non poſſe remeáre, cœpit cónqueri contriſtátus, dicens: Parcat tibi omnípotens Deus, ſoror, quid eſt, quod fecíſti? Quare quæris vir Dei, quid ſoror fécerit? Numquid non cernis, quid ipſa fécerit? Numquid non vides plúviæ guttas? Numquid non audis concrepántes mugítus ætheris? Numquid non ſentis mirácula coruſcáre, ſigna flúere, fundámina domus contremíſcere, & dicis, quid fecíſti? Numquid ipſa hoc fecit, quod magis tua ſancta negátio fecit, quia ſi non negáſſes, miráculum non eveníret. Hoc Chriſtus geſſit pietátis amátor; nam peténti Chananææ mulíeri preces audíre díſtulit, ut ejus fidem fáceret acutiórem, ut quæréṅti catéllo micas, filiis darétur panis; ſed illa ut extránea à fínibus tunc venit, jam non extránea à consórtio Chriſti: iſta verò à cunábulis Chriſto dicáta cum María glorióſa Vírgine audíre méruit, Optimam partem elégit. Et quare Pater contriſtátus dicis: Parcat tibi omnípotens Deus, Soror, quid eſt quod fecíſti? O vir Dei, tibi hóminum mentes patéſcunt, tibi aer numíſmata fundit, tibi árida dólia óleum manant, tibi alta profúndi laci ferrum redúcunt ab imo; ipſi ínferi ánimas reddunt, & nunc quaſi contriſtátus néſciens, dicis, quid fecíſti? O Pater beáte, ſi fas eſt dícere, quantùm fúerat júſtius dícere: Parcat mihi omnípotens Deus, quia tuas bonas non áudio preces, quàm dícere: Parcat tibi omnípotens Deus, quid eſt, quod fecíſti? Hoc eſt illud Salomónis: Argue ſapiéntem, & díliget te.

℟. Propter veritátem. *Lectio v.*

CUi illa reſpóndit: Ecce rogávi te, & audíre me noluíſti: rogávi Dóminum meum, & exaudívit me. Subaudiátur, Te quidem rogávi ut fratrem, ſed tu ut germánam noluíſti audíre. Sperábam, ut mente habéres víſcera matris, partus dolórem, lácteas mammas, cunas nutrícis, lavácra obſtetrícis, fáſcias temporáles, quibus infántia olim nutrívit: ſed tu me noluíſti audíre, & magis feſtinábas ad fratres, quod tibi ſola cháritas Chriſti facit germános, quos étiam neſcis, à quo límite ad tua cunábula hos mundus tranſmíttat; idcírcò rogávi Dóminum, & audívit me.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *Lectio vj.*

TU non attendébas, quòd unus pater ambórum cóntulit membra; tu non cernébas, unam nobis manſiónem fuíſſe inter úteri ſepta; idcírcò ad illum Patrem cucúrri, qui nobis ánimam dedit, qui terréna tríbuit, & cœléſtia non denegávit. Modò ergo, ſi potes, egrédere, & me dimíſſa, ad Monaſtérium redi. Modò enim præséntis eſt témporis; modò enim quando tibi omnípotens Deus itínera clauſit; modò, quandò

áditum eúndi denegávit; modò, ſi potes, me dimíſſa, ad Monaſtérium redi. Et cur Pater fatigáris? Numquid non hìc eſt Monaſtérium, & Doctor ómnium Monachórum, dum non locus hóminem, ſed homo ſanctíficat locum? Sta nunc Pater Sanctíſſime invítus, ut altérius diéi Sol tibi præbeat greſſum.

℟. Afferéntur Regi.

In iij. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Lectio vij.*

IN illo témpore: Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile erit Regnum Cœlórum decem Virgínibus; quæ accipiéntes lámpades ſuas, exiérunt óbviàm ſponſo, & ſponſæ. Et réliqua.

De Homilía ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

INténdat ítaque cháritas veſtra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de conſciéntiæ ſecuritáte, de interióre glória, de íntima charitáte. Ardébant tamen & illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? Quia non déerant laudes hóminum. Póſteà verò quàm ſurrexérunt, ideſt, in reſurrectióne à mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades ſuas, ideſt, paráre Deo óperum ſuórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo eſt, qui laudet, omnis homo cauſæ ſuæ vacat; non erant enim, qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades.

℟. Hæc eſt. *Lectio viij.*

CLáuſum eſt óſtium. Et quid illis dictum eſt? Non novi vos: non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo eſt, non novi vos? Improbo vos: Réprobo vos: in arte mea non vos agnóſco; ars mea neſcit vítia. Hoc eſt autem magnum, & neſcit vítia, & júdicat vítia: neſcit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt; intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes ad iſtam prudéntiam quinárii número pertinéntes. Véniet enim hora, & quando neſcímus, véniet. Sic clauſit Evangélium: Vigiláte, quia neſcítis diem, neque horam.

℟. Média nocte. *Lectio ix.*

COrde vígila, fide vígila, ſpe vígila, charitáte vígila, opéribus vígila: & quando córpore dormíveris, véniet tempus, ut ſurgas. Cùm autem ſurréxeris, præpara lámpades. Tunc non extinguántur, tunc in interióre conſciéntiæ óleo vegeténtur: tunc ſponſus ille incorpóreis néxibus ampleciátur, tunc te intródúcat in domum, ubi nunquàm dórmias, ubi nunquàm poſſit tua lampas extíngui. Hódie verò laborámus, & lámpades noſtræ inter ventos ſæculi hujus, tentationéſque flúctuant: ſed árdeat in rubóre flamma noſtra, ut ventus tentatiónis áugeat ignem pótiùs, quàm extínguat. Te Deum laudámus.

In ij. Veſp. à Capit. de ſeq. commem. præced. & ſancti Simeonis Epiſcopi & mart.

DIE XVIII. FEBRUARII.

S. Helladii Epiſc. & Confeſſ. Dupl.

Oratio.

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ ſalútis Beátum Helládium miníſtrum conceſsíſti: præſta quæſumus, ut qui executor mandatórum tuórum éxtitit in terris, interceſſor noſter ſemper eſſe dignétur in Cœlis. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In Quadrag. Fidélis ſermo.

In ij. Noct. *Lectio iv.*

Sermo S. Ildephónſi Epíſcopi.

HEllàdius Epíſcopus poſt Auráſium, ſedis ejus adéptus eſt locum. Hic, cùm régiæ aulæ illuſtríſſimus, publicarúmque rector exíſteret rerum, ſub ſæculári hábitu votum Mónachi explébat, & opus. Nam ad Monaſtérium meum (illud

Aga-

Agaliénſe dico) cujus me ſuſcéptio Mónachum ténuit, quod múnere Dei, perenníſque, ac paténtis ſanctitátis decóre & inopinábile cunctis, & palàm eſt totis: cùm ſæpè diſcursántium negotiórum ductus itínere pervéníret; remóta cliéntum, ſæculariſque pompa decóris, ædes Monachórum peculiaritátibus inhærébat; ut turmis junctus eórum, ſtipulárum faſcículos ad clíbanum deportáret.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

CUmque inter decórem, inſoléntiámque ſæculi ſolitúdinis & amáret, & ſectarétur arcána, céleri fuga, relíctis ómnibus, quæ eſſe nóverat mundi, ádiit ſanctum Monaſtérium, quod frequentáverat voto: venítque permansúrus optáti voti uſu. Ibi factus Mónachus páriter méritis, & ſtúdiis ſanctis vitam Monachórum débitè rexit: & ſtatum Monaſtérii totíus rei commúnis divítiis cumulávit. Ex hoc feſſis penè sénio ártubus, ad Pontificátus ápicem evocátur, & quia vocarétur, victus páriter, & invítus, illic majórum virtútum exémpla, quàm Mónachus dedit, quia ſtatum mundi, quem contémpſit virtúte magna, perhibétur rexíſſe diſcretióne.

℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

MIſeratiónes, eleemoſynarúmque cópias tàm lárgiter egénis contulíſſe probátur, ac ſi illíus ſtómacho putáres ínopum, & artus pendére, & víſcera confovéri. Scríbere rénuit: quia quod ſcribéndum erat, quotidiána operatiónis página demonſtrávit. Me ad Monaſtérium rédiens memorátum, ultimo vitæ témpore Levítam fecit. Senex óbiit: decem & octo annos ſacrum régimen ténuit, tempóribus Siſibúti, Suntilláni, & exórdiis Siſenándi Regum. Beátus hábitus fuit: & poſt beátam glóriam, Cœléſtis Regni bona plenus ſenectúte promeruit; hàctenus ſanctus Ildephónſus. Obiit autem anno Chriſti ſexcentéſimo vigéſimo quarto.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Hom. Vos eſtis ſal terræ. *de Comm. Doctorum.*

ix. Lect. & commem. S. Simeonis.

In Quadrag. ix. Lect. de Homil. comm. fer. & Sancti.

Miſſa. In médio. *de Comm. Doct. commem. S. ſed non dic.* Credo.

DIE XXIII. FEBRUARII.

S. Petri Damiani Epiſc. & Confeſſ. Camald. Dupl.

Omnia, ut in Comm. Confeſſ. Pontif.

Oratio. Da quæſumus.

In j. Noct. Lect. de Script.

In Quadrag. verò de eod. Communi j. loco. Fidélis ſermo.

In ij. Noct. Sermo S. Maximi Epiſc. ex Homil. 59. *quæ eſt ij. de S. Euſebio.* Beáti Petri Damiáni mérita. *ij. loco de eod. Comm.*

In iij. Noct. Homil. S. Gregorii Papæ in Evang. Homo péregrè proficíſcens. *de eod. Comm.*

ix. Lect. & commemor. Vigiliæ S. Mathiæ, vel de feria, ſi venerit in Quadrag.

In anno biſſextili de Vigil. fit die 24.

Miſſa. Státuit.

In ij. Veſp. fit de S. Mathia, cum commem. præced.

DIE XXVII. FEBRUARII.

S. Leandri Epiſc. Confeſſ. & Doct. Dupl.

Omnia de Comm. Confeſs. Pontific. & Doctor.

Ad Magnificat in utriſque Veſp. O Doctor óptime. *Oratio.*

DEus, qui Ariánam pravitátem Beáti Leándri Confeſsóris tui, atque Pontíficis doctrína, & méritis ab Hiſpánia repulíſti: da plebi tuæ, ut ejus interceſſióne, ab omni errórum, ac vitiórum labe ſemper, líberi conſervémur. Per Dóminum noſtrum.

In primo Nocturno Lect. Sapiéntiam. *de Communi Doctor. etiam ante Quadrag.*

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

LEánder Archiepíſcopus Hiſpalénſis, patre Severiáno, viro claríſſimo, & matre Theodóra ortus eſt. Fratres hábuit Iſidórum Hiſpalénſem Archiepíſcopum, & Fulgéntium Epíſcopum Aſtigitánum, doctrína, & ſanctitáte præſtantíſſimos, & Floréntiam (quam álii Florentínam vocant) Vírginem religioſíſſimam; quos ipſe major natu accuratíſſimè in omni virtútum, & diſciplinárum cultu inſtrúxerat: lucébat enim in eo jam à téneris annis caſtíſſimæ vitæ intégritas, & morum grávitas, quam incomparábilis divinárum, humanarúmque litterárum doctrína illuſtrábat. Gliſcénte eo témpore in ſervos Dei hæreticórum furóre ſub Wiſegóthis Princípibus, qui cum Império Ariánam impietátem in Hiſpániam invéxerant, & ejus Eccléſias míſerè vexábant, públicæ calamitátis pertæſus, ſe in religióſum ſecéſſum recépit, ut in eo ſub Régula Sancti Benedícti ſánctiùs Deo inſervíret, & piis ſtúdiis, & meditatiónibus exercéret. Sed nóluit Deus claríſſimam lucérnam in occúlto delitéſcere, ſed in faſtígio Eccléſiæ pólitam toti Hiſpániæ prælucére. Nam Clero, & pópulo expoſcénte, à Monaſtério extráctus, Archiepíſcopus Hiſpalénſis creátus eſt.

℞. Invéni David. *Lectio v.*

SUſcéptam Eccléſiam omni cura, & ſollicitúdine gubernávit, & ut perítus nauclérus navim in médiis tempeſtátibus ſalvam ſemper, & incólumem ab omni impietátis erróre conſervávit. Cleri, & pópuli mores correxit: ſolémnia Eccléſiæ offícia, Hymnódiam, ſacræ Miſſæ ritus, precéſque, quibus eo témpore omnes Hiſpánæ Eccléſiæ utebántur, ordinávit, & auxit: Mónachis, & ſacris Virgínibus præcépta dedit. Rebus autem Eccléſiæ ita compóſitis, Conſtantinópolim pro cauſis fídei Wiſigothórum Legátus proféctus eſt, ubi ob exímiam religiónem, & doctrínam multis in magna fuit æſtimatióne. Sancto Gregório præcípuè tunc Románi Pontíficis Apocrysário, quo cum magna ei neceſſitúdo, & familiáritas jam indè intercéſſit, à quo póſtea ad Románam Sedem aſsúmpto, ipſe in Eccléſiam ſuam revérſus, frequentéſque litteras, eáſque benevoléntia plenas, & pállii ornaméntum, & moráles in Job Commentários ſuo rogátu conſcríptos accépit. Cùm autem Hermenegíldus Leovigíldi Regis fílius Leándri ſermónibus convérſus fídei confeſſiónem glorióſa ſánguinis effuſióne confirmáſſet, inflammátus novo furóre pater, Eccléſias facultátibus, & Paſtóribus orbávit, Leándro in primis (cujus in propagándam religiónem major erat authóritas) & áliis Epíſcopis exílio mulctátis: nec tamen in ipſo exílio ceſsávit cum fídei hóſtibus líberè decertáre, éditis doctíſſimis libris, quibus eórum perfídiam confutávit.

℞. Póſui adjutórium. *Lectio vj.*

AFfúlſit tandem Eccléſiæ poſt illam tempeſtátem optáta ſerénitas. Rex enim, cùm in morbum incidíſſet, morte imminénte, ad meliórem mentem revérſus, Leándrum cum áliis Epíſcopis ab exílio revocári juſſit, eíque Reccarédi fílii curam dedit, fílio étiam Eccléſias inſtauráre, & Leándri consíliis in ómnibus óbſequi imperávit. Mox defúncto patre, pius Reccarédus quicquid ille mandáverat, fidéliter adimplévit. Leándri verò doctrína Gothis ad fidem convérſis, Hiſpániæ Epíſcopi in Toletána Synodo convenérunt, in qua Sanctus Doctor elegantíſſima concióne Pátribus de gentis converſióne

ſióne congratulátus eſt, múltaque ad fidem, & diſciplínam Eccléſiæ ſanciéndam tum in Synodo, tum in áltera, quam póſteà Híſpali celebrávit, conſtítui curávit: Demum religióne reſtitúta, & Eccléſiæ pace firmáta, jam octogenário major, cum Eccléſiam quadragínta, & ampliùs annis ſanctíſſimè rexíſſet, tértio Kaléndas Mártii migrávit ad Dóminum. Sepúltus eſt in Baſílica Sanctárum Vírginum Juſtæ, & Rufínæ, póſteà ejus corpus in Hiſpalénſem Eccléſiam translátum eſt.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. Vos eſtis ſal terræ. *de Comm. Doct.*

℟. viij. In médio.

In anno biſſextili hoc feſtum celebratur die xxviij.

Miſſa. In médio. *de Comm. Doct. & dic.* Credo.

DIE I. MARTII.

S. Svitberti Epiſc. & Conf. Dupl.

Oratio.

EXáudi, quæſumus Dómine, preces noſtras, & intercedénte Beáto Svitbérto Confeſsóre tuo, atque Pontífice: ſupplicatiónes noſtras placátus inténde. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In Quadrag. Fidélis ſermo.

In ij. Noct. *Lectio iv.*

SVitbértus Epíſcopus, & Conféſſor, ſecúndus nominátur inter duódecim illos Apoſtólicos viros, qui ex Anglia venérunt, fidem prædicatúri Fríſiis, Hollándis, & vicínis; ex quibus Svitbértus adhuc Présbyter multos ad Chriſtum convértit. Cùmque per eum, & Willibrórdum númerus credéntium quotídie augerétur, ex petitióne fratrum in Trajécto, & Fríſia, utérque conſénſit, ut Epíſcopus conſecrarétur. Undè Svitbértus in Angliam rédiens, conſecrátus eſt à Sancto Wilfrído Epíſcopo Merciórum. Hic ergo inter duódecim illos prædicatiónis Sócios ſpeciáliter nominátur Apóſtolus Teiſterbándiæ, Weſtpháliæ, & Boruſtuariórum: convértit enim ad fidem Comitátum Teiſterbándiæ, cum tota ferè Batua, ac magna inferióris Fríſiæ parte. Teiſterbándiæ verò hódie partem ſibi véndicat Hollándia, partem Géldria.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

IN quibus locis multas Svitbértus ædificávit Eccléſias, multa étiam Templa, Idolórum ſuperſtitiónibus eliminátis, vero Deo conſecrávit. Plebémque per ipſum convérſam oratiónibus protegébat aſsíduis, & admonitiónibus ſalubérrimis ad cœléſtia vocábat. Hujus Apoſtólici viri ſanctitáte motus Pipínus, illúſtris Princeps, vicum Werdam ad Rheni flúvii ripas ſitum ei donávit. Cùmque ex Sanctórum Monachórum converſatióne, & méritis proféctum, ac firmaméntum ſui principátus optáret: óbtulit ei ſimul copióſum pecuniárum thesáurum, quibus Epíſcopus Monaſtérium Ordinis Divi Benedícti ædificávit, in quo non mediócre famulórum Chriſti agmen collégit, & gubernávit.

℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

OBiit hic Sanctíſſimus Epíſcopus Kaléndis Martii, anno Dómini ſeptingētéſimo décimo ſéptimo, poſt multórum populórum ad Chriſti fidem converſiónem, ſepultúſque eſt in ſuo Monaſtério, in Werda Cæſaris. Ubi ad ſepúlchrum ejus infirmi ſanabántur, cæci viſum, claudi greſſum, febricitántes incolumitátem impetrábant. Quare Pipínus, Cároli Martélli fílius, Vicum Werdam in Caſtrum convértit, cùm invocáto Svitbérto, méritis ejus inſígnem victóriam contra Pagános obtinuíſſet. Eſt hódie Werda in Ducatu Clíviæ, ubi Trajecténſes olim Svitbérti, quem ſuum Apóſtolum vocant, benefício, ab Archiepíſcopis,

& Cæſáribus, libertátem à vectigálibus impetrárunt.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Homo péregrè. *de Comm. Conf. Pontif.*

ix. Lect. & commem. fer. ſi venerit in Quadrag.

Miſſa. Státuit. *de Comm. Confeſs. Pontif.*

EODEM DIE.

S. Rudeſindi Epiſc. & Confeſs. *Dupl.*

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter ea, quæ hic habentur. *Oratio.*

PRopitiáre, quæſumus Dómine, nobis fámulis tuis per Sancti Confeſsóris tui, atque Pontíficis Rudesíndi mérita glorióſa, ut ejus pia interceſſióne ab ómnibus ſemper protegámur advérſis. Per Dóminum noſtrum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In Quadrag. Fidélis ſermo.

In ii. Noct. *Lectio iv.*

RUdesíndus natióne Calláicus, Paréntibus régii géneris Guttério, & Ilduára, qualis eſſet futúrus, ejus concéptio ſatis oſténdit. Multis enim, ac largis in páuperes eleemóſynis, oratiónibus, & lácrymis cùm vacáret Ilduára, ab Angelo præmónita eſt, ſe conceptúram fílium, qui & apud Deum magni futúrus eſſet mériti, & apud hómines præcípuo ſanctitátis nómine. Prídie ígitur ſolemnitátis Sanctórum Mártyrum Facúndi, & Primitívi Rudesíndum péperit, qui dies proptéreà ſemper illis ſacer, ac feſtívus, quámdiù vixérunt, fuit.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

COnſtrúxit prætéreà Ilduára in honórem Archángeli Michaélis Eccléſiam eo loco, ubi ab Angelo cértior facta eſt, ſe conceptúram. Rudesíndus ítaque ab ipſa pueritia Dómini legem méditans, brevi ádmodum in virum Apoſtólicum crevit. Quaprópter ab Eccléſiæ Duniénſis, quæ Bracharénſi uníta eſt, Clero, magno ómnium consénſu Epíſcopus elígitur, Rege, atque procéribus mirè gaudéntibus: nota enim illis erat Rudesíndi sánctitas, & erudítio. Præſul ergo Dumiénſis factus, multis virtútibus cláruit. Splenduére certè in Rudesíndo præter cæteras dotes, profúſæ in páuperes eleemóſynæ, Eccleſiárum, aut jam dirutárum, aut ruínam minántium inſtaurátio, aut novárum conſtrúctio, atque Evangélicæ doctrínæ frequentíſſima prædicátio.

℟. Póſui adjutórium. *Lectio vj.*

ASsúmptus deínde ad Minduniénſem, & Iriénſem Epiſcopátum, ubi tunc Apóſtoli Jacóbi corpus cónditum erat, majóre in dies fructu Chriſtiáno pópulo præerat. Dénique insígne Monachórum Cænóbium in própriis cóndidit prædiis, quæ illi ampliſſima, & opulentíſſima paréntum teſtaménto contígerant. Nomen Cœnóbio Cellanóva, quod religióne, & augúſta ſtructúra étiam hódie ſpectatíſſimum eſt; in quo Monáſticam ſub Beáti Benedícti régula vitam annos áliquot agens migrávit ad Dóminum Kaléndis Mártii, éditis multis in vita, & poſt óbitum miráculis. Ejus corpus, uſque ad hodiérnum diem in eódem Cœnóbio quiéſcit, ac magna præcípuè Callaicórum, & Luſitanórum frequéntia ſemper invíſitur. Cláruit Sanctus Rudesíndus anno Dómini nongentéſimo trigéſimo, & ſequéntibus, quem Cœleſtínus Tértius, dum in minóribus eſſet, à terra levávit, deíndè Póntifex factus in Sanctórum Catálogum rétulit, anno ſalútis milléſimo centéſimo nonagéſimo ſexto.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi veſtri. *de Comm. Confeſſ. non Pontif.*

In Quadrag. ix. Lect. & comm. fer.

Miſſa. Sacerdótes tui. *cum Evangel.* Sint

Sint lumbi veſtri. *de Comm. Conf. non Pontif.*

DIE III. MARTII.

S. Chunegundis Virg. *Dupl.*

Oratio.

DEus, qui Beátæ Chunegúndi, Vírgini tuæ, terréna deſpícere, & ad Cœléſtis Impérii culmen anheláre tribuíſti: concéde quæſumus, ut ejus imitatióne, calcátis mundi illécebris, ad gáudia ætérna ſecúri perveníre valeámus. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. De Virgínibus. *ut in Comm. Virg. ſi venerit in Quadrag. extra verò de Script.*

In ij Noct. *Lectio iv.*

CHunegúndis Augúſta, Germanórum nobilíſſima, ab ineúnte ætáte præclára exhíbuit ſanctitátis indícia, ac Deíparæ Vírginis, cui ſe totam addíxerat, patrocínio, mundi illécebras, & fluxas carnis voluptátes ea morum ſeveritáte coércuit, ut Virginitátem quoque perpétuam cólere, atque angélicam in terris vitam ágere proposúerit; Verùm paréntum juſſis, qui illam in matrimónium deſpónderant, obtemperáre coácta, illud à Cœléſti Sponſo, qui páſcitur inter lília, précibus efflagitávit, ut quem ſuſcíperet virum, virginitátis ſuæ cuſtódem inveníret. Henríco ítaque Baváriæ Duci, cognoménto Pio, póſteà Romanórum Imperatóri, in matrimónium trádita, raro exémplo virginitátem, ipſo annuénte, illibátam ſervávit, in cujus teſtimónium, cùm aliquándo inſtigánte humáni géneris hoſte, ſuſpício quædam contra ipſam fuíſſet exórta, nudis pédibus ſuper ignítos vómeres incédens illæſa, egrégium ſuæ innocéntiæ præbuit arguméntum; quod Sanctus ipſe Henrícus ſuprémo mortis témpori appropínquans abundántiùs declarávit; accítis namque Impérii Procéribus, aliíſque Princípibus viris, ac Sanctæ Vírginis conſanguíneis, quam mihi (inquit) eam aſſignáſtis, talem reddo, Vírginem dedíſtis, Vírginem reddo.

℟. Propter veritátem. *Lectio v.*

SIngulári erga Eccléſias pietáte prædita, Sanctum Henrícum cónjugem ſuum ad eas conſtruéndas, & locupletándas exhortatiónibus incitávit, ópibus adjúvit. Bambergénſem ítaque Epiſcopátum própriis facultátibus fundátum, Beatórum Apoſtolórum Príncipi, Romanæque Eccléſiæ vectigálem fecérunt, plúribus áliis Templis, & Cœnóbiis Cæsárea planè munificéntia locupletátis. Cùmque penè ómnia, quæ habébat in terris, Chriſti Eccléſiis, ac paupéribus diſtribuíſſet; ſe ipſam quoque, defúncto viro, in Jeſu Chriſti obſéquium impéndit, ac Sancti Patris Benedícti régulam proféſſa, & Regnum mundi, & omnem ornátum ſæculi ingénti ánimi demiſſióne contémnens, ſanctum religióſæ vitæ propóſitum uſque ad mortem, exactíſſimè cuſtodívit.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *Lectio vj.*

JUgi ítaque virtútum exercítio, cùm annos quíndecim in Cœnóbio bonórum óperum méritis cumuláta tranſegíſſet, ad Cœléſtis Agni núptias, quas únicè optáverat, invitáta, ſancto fine quiévit. Fámulæ ſuæ Sanctitátem Deus íllicò multis, & crebris miráculis demonſtrávit; nam ad ejus túmulum cœci viſum, cláudi greſſum, ſurdi audítum, muti loquélam, aliíſque multis, ac diutúrnis afféćti languóribus, ſalútem retulérunt; ſed illud in primis nóbile, quod pulvis de ſepúlchro ejus aſſúmptus, ſæpè in fruméntum convérti repértus ſit. Quibus ritè probátis ab Innocéntio Tértio Pontífice Máximo Sanctárum Vírginum eſt número adſcrípta.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Noct. Evangel. Símile eſt Regnum Cœlórum decem Vir-

gínibus. *de Communi Virginum.*

In Quadrag. ix. Lectio & com. fer.

Miſſa. Dilexíſti. *de Comm.*

DIE VIII. MARTII.

S. Veremundi Abbatis. Duplex.

Oratio. Intercéſſio. *de Comm. Abbat.*

In j. *Noct. Lect. de Script.*

In Quadrag. verò de Comm. Confeſſ. non Pontif. primo loco. Juſtus ſi morte.

In ij. *Noct.* *Lectio iv.*

VEremúndus natióne Navárrus, clariſſimis ortus paréntibus ex vico Villatórta, vel, ut áliis placet, ab Areilláno ad radíces Montis Jurræ à Stella Civitáte duórum ferè páſſuum míllibus diſtántis. Párvulus adhuc, relícta domo, rebúſque patris, Deo militatúrus, Monaſtérium Hirachénſe, Ordinis Sancti Benedícti, ſub diſciplína Múnii Abbátis ingréſſus eſt. Ubi mirum dictu, quanta morum integritáte, quanta virtútum perfectióne, vel in ipſa pueritia réliquos ſui témporis ſuperábat: cilíciò, jejúniis, vigíliis, & oratiónibus domábat corpus, ne graváret ánimam. Cœterùm cùm in dies ſemper iret de virtúte in virtútem, in mórtui Abbátis avúnculi ſui locum ſuffícitur.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

PAſtor eléctus, non mores mutávit, ſed & cæteros, & ſe ipſum virtútibus quotídiè ſuperábat: quod miraculórum ſigna frequénter manifeſtábant, ſive dum futúra prædícit, ſive dum meſſes Monaſtérii in área ardéntes oratióne ſola extínguit, ſive dum latrónes greges, & arménta Monaſtérii deprædántes permanére immóbiles facit, ſive dum Dæmones à corpóribus obséſſis rélegat, ſive dum cœcos illúminat, & infírmos ſanat, ſive dénique dum plúvias, & ália poſtuláta à pópulo, à Deo ímpetrat. Præter cætera tamen in páuperes, & álios fidéles munificentíſſimus fuit; quámobrem mira, & ſtupénda per ipſum operátus eſt Dóminus. Cóntigit enim (inter ália multa) ut ingens fames totum Regnum Navárræ depopularétur; qua miſerábili plaga coácti multi, ad Sanctum Virum, eleemóſynam petitúri, confluébant.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

INgraveſcénte verò in dies fame, multitúdo círciter trium hóminum míllium convénit. Verùm cùm domi non eſſet, unde tanta multitúdo reficerétur, ingens clamor, & ululátus óritur; nam fame conféctis vix erant vires quòquam eúndi: quare periclitándum erat, niſi à Patre ſubvenirétur. Quod mirándum ſpectáculum veheménter dolens, accéſſit ad altáre, ſacrum peractúrus: & ecce cùm ad illum locum devéntum eſſet, in quo Sacérdos orat pro pópulo, & lácrymis à Deo poſtuláret auxílium, colúmba alba, de Cœlo deſcéndens, ſuper ſingulórum cápita, quaſi illos tangens, volitábat, atque mox cunctis vidéntibus in Cœlum rédiit. Quo tantum vírium, tantámque ſaturitátem unuſquíſque ſenſit, ac ſi ſplendidíſſimis, & váriis cibis eſſet reféctus. Qua de re Deo grátias exhibéntes, læti rediérunt ad própria. His ígitur, & áliis miráculis, Monaſtérium, quod ſatis illúſtre tota Hiſpánia Veremúndus accépit, insígnis fama ſanctitátis réddidit augúſtius. Felíci tandem reſolútus morte, migrávit ad Chriſtum anno Dómini milléſimo nonagéſimo ſecúndo, octávo Idus Mártii, cùm Monaſtérium Hirachénſe rexíſſet quadragínta, & ámpliùs annis.

℟. Iſte eſt.

In iij. *Noct. Homil.* Ecce nos relíquimus ómnia. *de Comm. Abbat.*

ix. Lect. & commem. fer. ſi venerit in Quadrag.

Miſſa. Os juſti. *de eod. Comm.*

EODEM DIE.

In feſto S. Joannis de Deo Confeſſoris non Pontif. Ordinis Hoſpitalitatis Fundatoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſs. non Pontif. præter ea, quæ hìc aſſignantur.

Oratio.

DEus, qui Beátum Joánnem tuo amóre ſuccénſum inter flammas innóxium incédere fecíſti, & per eum Eccléſiam tuam nova prole fœcundáſti: præſta, ipsíus ſuffragántibus méritis, ut igne charitátis tuæ vítia noſtra curéntur, & remédia nobis ætérna provéniant. Per Dóminum noſtrum.

In primo Noct. Lectiones de Libro Eccleſ. Beátus vir. *de Comm. Confeſs. non Pontif. ſecundo loco.*

In ij. Nocturno. Lectio v.

JOánnes de Deo ex Cathólicis, piíſque Paréntibus in Oppido Montis Majóris Junióris Regni Luſitániæ natus, quàm ſublímiter in ſortem Dómini fúerit eléctus, inſuétus ſplendor ſuper ejus domo refúlgens, ſonitúſque æris campáni ſua ſponte emíſſus ab ipſo ejus Nativitátis témpore non obſcúrè prænunciárunt; A laxióri vivéndi ratióne, Divína operánte virtúte, revocátus, magnæ Sanctitátis exhibére ſpécimen cæpit, & ob audítam prædicatiónem verbi Dei, ſic ad melióra ſe excitátum ſenſit, ut jam ab ipſo ſanctióris vitæ rudiménto conſummátum áliquid, perfectúmque viſus ſit attigíſſe, bonis ómnibus in páuperes carcéribus inclúſos erogátis, admirábilis pœniténtiæ, ſuíque ipsíus contémptus cuncto pópulo ſpectáculum factus à pleríſque ceu demens gráviter afflíctus in cárcerem améntibus deſtinátum conjícitur.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio vj.*

AT Joánnes Cœléſti charitáte magis incénſus, gémino, atque amplo Valetudinário ex piórum eleemóſynis in Civitáte Granaténſi extrúcto, jactóque novi Ordinis fundaménto Eccléſiam nova prole fœcundávit Fratrum Hoſpitalitátis, infírmis præcláro animárum, corporúmque profégtu inſerviéntium, & longè latéque per Orbem diffusórum, paupéribus ægrótis, quos própriis, quandóque húmeris domum deferébat, nulla re ad ánimæ, corporíſque ſalútem profícua déerat. Effúſa quoque extra Noſocómium charitáte indigéntibus Muliéribus Víduis, & præcípuè Virgínibus periclitántibus clàm aliménta ſubminiſtrábat, curámque indeféſſam adhibébat, ut carnis concupiſcéntiam à próximis hujúſmodi vítio inquinátis exterminâret.

℟. Amávit eum. *Lectio vij.*

CUm autem máximum in Régio Granaténſi Valetudinário excitátum fuíſſet incéndium, Joánnes impávidus proſíliit in ignem, huc illuc diſcúrrens, quoúſque tum Infírmos húmeris exportátos, tum léctulos è feneſtris projéctos ab igne vindicávit, ac per dimídiam horam inter flammas jam in imménſum ſuccreſcéntes versátus exíndè divínitùs incólumis, univérſis Cívibus admirántibus, exívit; in ſchola charitátis édocens, ſegniórem in eum fuíſſe ignem, qui foris úſſerat, quàm qui intus accénderat. Multíplici aſperitátum génere, demiſsíſſima obediéntia, extréma paupertáte, orándi ſtúdio, rerum divinárum contemplatióne, ac in Beátam Vírginem pietáte mirífìcè excélluit, & lacrymárum dono enítuit.

℟. Iſte homo. *Lectio viij.*

DEnique gravi morbo corréptus, ómnibus Eccléſiæ Sacraméntis ritè, ſanctéque reféctus, víribus licèt deſtitútus, própriis indútus véſtibus è léctulo ſurgens, ac provolútus in génua, manu, & corde Chriſtum Dóminum è Cruce pendéntem perſtríngens, octávo idus Mártii anno

no milléſimo quingentéſimo quinquagéſimo óbiit in óſculo Dómini, quem étiam mórtuus ténuit, nec dimíſit, & in eádem Córporis conſtitutióne ſex círciter horas, quo uſque inde dimótus fuíſſet, tota Civitáte inſpectánte, mirabíliter permánſit, odórem miré fragrántem diffúndens, quem ante, & poſt óbitum plúrimis miráculis clarum Alexánder VIII. Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Deſidérium ánimæ ejus.

In tertio Noct. Homilia S. Jo: Cryſoſtomi in Evangel. Acceſsérunt ad Jeſum Phar.ſæi. *ut in Dominica xvij. poſt Pentecoſt.*

DIE XI. MARTII.

S. Steph. Abb. Ciſt. Dupl. Oratio. Intercéſſio. *comm. S. Eulog. Mart.*

Oratio.

PRæſta quæſumus omnípotens Deus, ut qui Beáti Eulógii Mártyris tui natalítia cólimus, interceſſióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. Juſtus ſi morte. *de Comm. Conf. non Pont. j. loco.*

In ij. Noct. *Lectio iv.*

STéphanus in Lemovicénſi província ortus, à téneris annis ſacris lítteris imbútus eſt, & defúncto ejus patre, rei familiáris curam ſuſcípere coáctus, eleemóſynas paupéribus larga manu erogábat. Sacro Presbyterátus órdine inſignítus, atque ratus, ſe in ſæculo vitam non ſatis puram, & auſtéram pro ſacerdótii miniſtério dúcere, una cum Petro Presbytero vili ſacco indútus ad erémum Obazinénſem nudis pédibus convolávit, ubi jejúnio ad bíduum, aut tríduum quandóque protrácto, crudis herbis reficiebátur. Stratum dura humus exhibébat, lápide pro pulvíllo cápiti ſuppóſito. Gravem étiam lorícam ſibi comparávit beátus Stéphanus, quam multis annis occúltè ad carnem geſtávit; donec vetuſtáte, & rubígine ea paulátim decíderet. In eádem erémo Stéphanus parvum tugúrium ex lignis conſtrúxit, vili tégmine coopértum, & ſimul cum ſócio die ac nocte contínuis oratiónibus, ac pſalmódiæ cántibus inſiſtébat. Quòd ſi ſomnus iis obrepsíſſet, arréptis virgárum manípulis córpora caſtigábant.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

CUm autem locus ille adventántium multitúdine turbarétur, vir Dei ſolitúdinis amantíſſimus, novum Monaſtérium, fruſtrà obſiſténte Dæmone, in monte ædificávit, ubi Prior conſtitútus ſummum vitæ rigórem præſcripſit, vilióra quæque Monaſtérii perégit, ſtrénuo mánuum labóre ſeſe exércuit, negligéntes, ac tépidos in regulári diſciplína ácriter corrípuit, & cùm áliquem delinquéntem gráviter verberáſſet, mox ſe ab uno, vel à plúribus flagellári præcipiébat. Poſt Completórium cæteris frátribus quieſcéntibus, ſæpiùs in Oratório remanébat, & tota nocte vigíliis, & oratiónibus cum lácrymis ſédulò incumbébat. Fama auſteritátis Carthuſienſium Monachórum permótus beátus Stéphanus, ad magnam Carthúſiam perréxit, & cum venerábili Guigóne Prióre collocútus, consílium ab eo accépit tranſeúndi ad Ciſterciénſes nuper exórtos, eò quòd régiam viam iſti tenérent, eorúmque inſtitútum ad omnem perfectiónem abúndè ſufficeret. Carthúſia digréſſus vir Dei, diſcipulórum número adáucto, Eccléſiam in honórem ſanctæ Dei genitrícis Maríæ, Sanctimoniálium Monaſtérium, & ália duo Cœnóbia ædificávit. Deíndè Ciſtércium, ſicut olim deſideráverat, proféctus, ibi Eugénium Tértium Pontíficem Máximum réperit, eúmque eníxè deprecátus, ut ipsíus anctoritáte inter Ciſterciénſes Mónachos unà

cum

cum ſuis diſcípulis, & Cœnóbiis aſſumerétur, voti compos efféctus eſt.
℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

CIſterciénſi cucúlla indútus ſanctus vir, ália duo Monaſtéria cónſtrui, curávit, ac plúribus miráculis emícuit. Máxima illi de paupéribus cura erat, & ut eleemóſynas eis liberáliter effúnderet, non ſemel tríticum divínitùs auctum, & panes in extréma penúria ex improvíſo deláti. Látomis inter Obazínæ ædifícia læſis ſanitátem reſtítuit, eorúmque vúlnera miraculósè curávit. Ingéntes rupes oratióne in álium locum tránſtulit. Gravi febre corréptus ſe Sacraméntis muníri, efflagitávit, & inter oratiónes, ac benedictiónes in Domo obdormívit, anno milléſimo centéſimo quinquagéſimo nono, Domínica ſecúnda Quadragéſimæ, ac poſt óbitum plúribus glória circúmdatus appáruit; vários ægros ſanávit, pluréſque captívos è carcéribus, ac vínculis erípuit, unde ejus ſepúlchrum exímio cultu decorátur, ac à peregrínis frequénter inviſitur.
℟. Iſte homo.

In iij. Noct. *Lectio vij.*
Homil. in Ev. Confíteor tibi Pater. *ut in Feſto S. Mathiæ Apoſt.* 24. *Febr. ix. Lect. & comm. fer. & S. Miſſa.* Os juſti. *de Comm. Abb. Evang. ut ſupr. comm. fer. & S.*

DIE XII. MARTII.

S. Gregorii Papæ Conf. & Doct. Dupl. Ma. Omnia ut in Breviario.

DIE XIII. MARTII.

SS. Ramiri, & Socior. Mart. Dupl. Omn. de Comm. plur. Mart. Oratio.

DEus, qui nos concédis Sanctórum Mártyrum tuórum Ramíri, & Sociórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum ſocietáte gaudére. Per Dóminum noſtrum.

Lect. j. Noct. Fratres debitóres. *de Comm.*

In ij. Noct. *Lectio iv.*

RAmírus Monaſtérii Sancti Cláudii Legionénſis Prior fuit eo témpore, quo Sanctus Abbas Vincéntius martyrio ſublátus eſt. Ab ipſo autem de inſtánte perſecutióne per viſiónem præmónitus, congregátis in unum frátribus, quæ ventúra erant, gravi ſermóne intimávit: ut qui conſtánti ánimo erant, ſe ad mortem pro fide ſubeúndam, piis exercitatiónibus præparárent. Cæterùm verò, ſicut Chriſtus in Evangélio permíſit, fuga ſibi consúlerent.
℟. Sancti tui. *Lectio v.*

ILlis ígitur, qui pusíllo ánimo erant, ſegregátis, & ad montána Gallæciæ dimíſſis, ipſe cum duódecim Mónachis, quos ad martyrii agónem Spíritus Sanctus ſelégerat, in Eccléſiam proféctus, eos hortabátur, ut parátam ſibi corónam læto ánimo excíperent; votíſque ardéntibus ad próximum beatitúdinis præmium anhelárent. Orántibus autem illis, & agónem ſuum Dómino commendántibus, cum ingénti furóre, & ímpetu advenérunt Ariáni, quibus Beátus Ramírus jánuas aperíri mandávit. Chriſti verò mílites eórum aſpéctum mínimè formidántes, Symbolum fídei alta, & intelligíbili voce cantáre cæpérunt; quo ſæpiùs repetíto; ímpii ſatéllites, diſtríctis gládiis, eos invaſérunt, eorúmque corpóribus diſcérptis, intrántes in Monaſtérium, ómnia igni tradidérunt.
℟. Vérbera. *Lectio vj.*

NOcte autem adveniénte, dilaniáta Mártyrum membra, pii fidéles congregárunt, & in Eccléſia ſepeliérunt. Ibídem longo témpore aſſerváta ſunt, ſed locus, in quo quieſcébant, labéntibus annis, oblivióni tráditus eſt, donec ejúſdem Monaſtérii Abbas circa annum Dómini milléſimum quingentéſimum nonagéſimum quartum, vetuſtíſſimi Tem-

Templi corruéntes pariétes inſtauratúrus, ſub altári, Sancto Ramíro dicáto, lóculum réperit ex lápide impolíto, in quo ipsíus oſſa réperit, quæ in novo altári, magnificéntiùs extrúcto, argéntea theca inclúſa, collocáta ſunt, atque ibídem magna pópuli veneratióne propter crebra mirácula colúntur.

℟. Tanquam aurum.

In iij. Noct. Homil. in Ev. Cùm audiéritis. *de Comm. ix. Lect. de Homil. & comm fer. in Laud. & Veſp.*

Miſſ. Intret. *de Comm. prima Or. ut in Miſſ.* Sapiéntiam. *reliq. ut in dic. Miſſ.* Intret. *& com. fer.*

DIE XV. MARTII.

S. Raymundi Abb. Ciſter. Dupl.

In Hymn. Méruit ſuprémos. *Oratio.*

DEus, qui Beáto Raymúndo Abbáti præliári prælia tua, & fídei inimícos ſuperáre dedíſti: concéde, ut ejus nos interceſſióne muníti, ab hóſtibus mentis, & córporis liberémur. Per Dóminum.

In j. Noct. Laudémus viros. *de Comm. Conf. Pont. ij. loco.*

In ij. Noct. Lectio iv.

RAymúndus Canónicus Eccléſiæ Turiaſonénſis in Regno Aragóniæ, quò divína procul à mundi ſtrépitu libériùs contempl.arétur, ſupérno Spíritu afflánte, in ſolitúdinem ſe recépit; deínde cùm Ciſterciénſium Monachórum fama undequáque diffunderétur, illud amplé-xus eſt inſtitútum, ac longè latéque evulgáta ejus vitæ ſanctimónia, Abbas Monaſtérii Beátæ Maríæ de Fítero conſtitútus eſt. Poſtquàm verbo, & exémplo ad omne opus pietátis ſuos induxíſſet, copióſum exércitum fidélium collégit, caſtrum de Turrúngen, & Calatrávam à Mauris tuéndam de manu Sanctii Caſtéllæ Regis ſuſcépit, ac perítia rei militáris mirabíliter pollens, Saracénos fugávit, multáſque urbes expugnávit. Novo, & uſque ad ea témpora inaudíto exémplo Raymúndus Monachátui milítiam conjúnxit, Ordinem militárem de Calatráva nuncupátum, & in tota Európa celebérrimum, ac à plúribus Summis Pontifícibus approbátum inſtítuit ſub régula, légibus, & viſitatióne Ciſterciénſium, ex quo álii Ordines militáres, de Alcantára, de Chriſto, de Avibus, de Montéſia, de Montefránco, de Montegáudio, & de Truxíllo eídem Religióni Ciſterciénſi ſubjécti prodiérunt.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

HÆc fuére prima sémina íinclytæ milítiæ, ſub qua tot viri, tot Príncipes, tot Duces, tot étiam áliæ religióſæ milítiæ profiteréntur. Hujus novi Ordinis mílites, quámdiu à prælio abſtinébant, adamúſſim obſervábant victum, veſtítum, pſalmódiam, contemplatiónem, opus mánuum, ſiléntium, vigiliáſque, ac dénique mútuam quotidianórum deféctuum proclamatiónem, ut nihil minus à Mónachis effícerent. Hinc præcéptum eſt commúni aſſénſu, & deliberatióne Capítuli Generális Ciſterciénſis, ut illíus Ordinis mílites eſſent fílii Monaſtérii Morimúndi, utque Abbas, & domus éadem in eos jus illud filiatiónis habéret, quale in Morimúndo nóſcitur habére Ciſtércium. Eídem milítiæ beátus Raymúndus ultra ipſam Calatrávæ arcem, & óppidum, plura ália loca, & caſtra acquisívit.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

TAndem vir ſanctus, utriúſque milítiæ cœléſtis, & terrénæ ſuprémus Ductor, poſt multas victórias partas de Saracénis, plures de Dæmone, poſt caputiátas gáleas orbi indúctas, cunctis fídei inimícis formidábiles; poſt hómines aptátos utriúſque armis, qui & ad sónitum búccinæ leónes, & ad tympani ictum agnos, illud in prælio, hoc in cláuſtris imitaréntur; plenus diérum, & vir-

virtútum, anno ſalútis milléſimo centéſimo ſexagéſimo tértio, & ſexto regíminis Ordinis à ſe inchoáti, ánimam emíſit, multis poſt mortem miráculis illúſtris. Sacræ ejus córporis exúviæ Tolétum translátæ in Monaſtério Montis Sion, authoritáte Pauli Papæ Secúndi, lítteris datis die decimaquínta menſis Mártii, anno milléſimo quadringentéſimo ſexagéſimo octávo, ſuper altáris aram ad epíſtolæ cornu decénter collocátæ fuérunt, ádditis à Summo Pontífice indulgéntiis, iis, qui eum locum devótè viſitáverint.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. *Lectio vij.*

Homil. in Ev. Ecce nos. *de Comm. Abb. ix. Lect. & com. fer. Miſſa.* Os juſti. *de dic. Comm.*

DIE XIX. MARTII.

Sancti Joſeph Sponſi Beatæ Mariæ Virginis Confeſſoris.

AD VESPERAS,

Antiphona.

JAcob autem génuit Joſeph virum Maríæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocátur Chriſtus.

Pſalmus. Dixit Dóminus, &c. *cum reliquis de Dominica.*

Antiphona. Miſſus eſt Angelus Gábriel à Deo ad Vírginem deſponsátam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Vírginis María.

Antiphona. Cùm eſſet deſponsáta Mater Jeſu María Joſeph, ántequam conveníſrent, invénta eſt in útero habens de Spíritu ſancto.

Antiphona. Joſeph vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam tradúcere, vóluit occúltè dimíttere eam.

Capitulum. *Prov. 28. & 27.*

VIr fidélis multùm laudábitur. Et qui Cuſtos eſt Dómini ſui, glorificábitur.

℟. *breve.* Invocávi Dóminum, * Patrem Dómini mei. Invocávi.

℣. Ut non derelínquat me in die tribulatiónis. Patrem.

Glória Patri. Invocávi.

Hymnus.

TE, Joſeph, célebrent ágmina Cœlitum,
Te cuncti réſonent Chriſtíadum Chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytæ
Caſto fœdere Vírgini.
Almo cùm túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu ſúperi Fláminis Angelus
Concéptum púerum docet.
Tu natum Dóminum ſtringis, ad éxteras
Ægypti prófugum tu ſéqueris plagas;
Amíſſum Sólymis quæris, & ínvenis,
Miſcens gáudia flétibus.
Poſt mortem réliquos mors pia cónſecrat,
Palmámque eméritos glória ſúſcipit:
Tu vivens, Súperis par, frúeris Deo,
Mira ſorte beátior.
Nobis, ſumma Trias, parce precántibus,
Da Joſeph méritis ſídera ſcándere:
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim,
Gratum prómere cánticum.
Amen.

℣. Conſtítuit eum Dóminum domus ſuæ.

℟. Et Príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exúrgens Joſeph à ſomno fecit, ſicut præcépit ei Angelus Dómini, & accépit Cónjugem ſuam.

Oratio.

SAnctíſſimæ Genitrícis tuæ Sponſi, quæſumus Dómine, méritis adjuvémur: ut quod poſſibílitas noſtra non óbtinet, ejus nobis interceſſióne donétur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre.

Si

Si celebretur in Quadrageſima, fit commemoratio Feriæ.

AD MATUTINUM,

Invitatorium.

Chriſtum Dei Fílium, qui putári dignátus eſt fílius Joſeph: * Veníte adorémus. *Pſalmus*. Veníte, exultémus.

Hymnus.

CŒlitum Joſeph decus, atque noſtræ
Certa ſpes vitę, columénque mundi,
Quas tibi læti cánimus, benígnus
Súſcipe laudes.
Te Sator rerum ſtátuit pudícæ
Vírginis ſponſum voluítque Verbi
Te patrem dici, dedit & miníſtrum
Eſſe ſalútis.
Tu Redemptórem ſtábulo jacéntem,
Quem chorus Vatum cécinit futúrum,
Aſpicis gaudens, humilíſque natum
Numen adóras.
Rex Deus regum, Dominátor orbis,
Cujus ad nutum tremit inferórum
Turba, cui pronus famulátur æther,
Se tibi ſubdit.
Laus ſit excélſæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi præbens ſúperos honóres,
Det tuis nobis méritis beátæ
Gáudia vitæ. Amen.

IN I. NOCTURNO,

Antiphona.

Aſcéndit Joſeph à Galilæa de civitáte Názareth in Judæam, in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, ut profiterétur cum María.

Pſalmus. Beátus vir. *cum reliquis de Communi Confeſſoris Pontificis.*

Antiphona. Venérunt Paſtóres feſtinántes: & invenérunt Maríam, & Joſeph, & Infántem póſitum in præsépio.

Pſalmus. Quare fremuérunt.

Antiphona. Ecce Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & áccipe Púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.

Pſalmus. Cùm invocárem.

Antiphona. Consúrgens Joſeph accépit Púerum, & Matrem ejus nocte, & ſecéſſit in Ægyptum: & erat ibi uſque ad óbitum Heródis.

Pſalmus. Verba mea.

Antiphona. Defúncto Heróde Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph in Ægypto, dicens: Surge, & áccipe Púerum, & Matrem ejus, & vade in Terram Iſrael: defúncti ſunt enim, qui quærébant ánimam Púeri.

Pſalmus. Dómine Dóminus noſter.

Antiphona. Accépit Joſeph Púerum, & Matrem ejus, & venit in Terram Iſrael.

Pſalmus. In Dómino confído.

℣. Conſtítuit eum Dóminum domus ſuæ. ℟. Et Príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ.

De libro Géneſis.

Lectio j. *Cap.* 39.

JOſeph ígitur ductus eſt in Ægyptum, emítque eum Pútiphar Eunúchus Pharaónis, Princeps Exércitus, Vir Ægyptius, de manu Iſmaelitárum, à quibus perdúctus erat. Fuítque Dóminus cum eo, & erat Vir in cunctis próſperè agens: habitavítque in domo dómini ſui, qui óptimè nóverat Dóminum eſſe cum eo, & ómnia, quæ géreret, ab eo dírigi in manu illíus.

℟. Fuit Dóminus cum Joſeph, & dedit ei grátiam in conſpéctu Príncipis cárceris: * Qui trádidit in manu illíus univérſos vinctos.

℣. Quidquid fiébat, ſub ipſo erat: Dóminus enim erat cum illo, & ómnia ópera ejus dirigébat. Qui trádidit.

Lectio ij.

INvenítque Joſeph grátiam coràm Dómino ſuo, & miniſtrábat ei, à quo præpóſitus ómnibus gubernábat créditam ſibi domum, & univérſa quæ ei trádita fúerant: benedixítque Dóminus dómui Ægyptii propter Joſeph.

℟. Eſuriénte Terra Ægypti clamávit pópulus ad Regem aliménta petens. Quibus ille reſpóndit: * Ite

ad

ad Joſeph, & quidquid vobis díxerit, fácite. ℣. Creſcébat quotídie fames in omni terra: aperuítque Joſeph univérſa hórrea, & vendébat Ægyptiis. Ite ad Joſeph.

Lectio iij. Geneſ. cap. 41.

PLácuit Pharaóni consílium Joſeph, & cunctis Miníſtris ejus: locutúſque eſt ad eos: Num inveníre potérimus talem Virum, qui Spíritu Dei plenus ſit? Dixit ergo ad Joſeph: Quia oſténdit Tibi Deus ómnia, quæ locútus es, numquid ſapientiórem, & consímilem tui inveníre pótero? Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris impérium cunctus Pópulus obédiet: uno tantùm Regni ſólio Te præcédam.

℟. Fecit me Dóminus quaſi Patrem Regis, & dóminum univérſæ domus ejus: nolíte pavére: * Pro ſalúte enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum.

℣. Veníte ad me, & ego dabo vobis ómnia bona Ægypti, & comedétis medúllam Terræ. Pro ſalúte.

Lectio iv. Geneſ. cap. 41.

DIxítque rursùs Phárao ad Joſeph: Ecce conſtítui Te ſuper univérſam Terram Ægypti. Tulítque ánnulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus: veſtivítque eum Stola byſſina, & collo Torquem áuream circumpóſuit. Fecítque eum aſcéndere ſuper currum ſuum ſecúndum, clamánte præcóne, ut omnes coràm eo genu flécterent, & præpóſitum eſſe ſcirent univérſæ Terræ Ægypti. Dixítque Rex ad Joſeph: Ego ſum Phárao: abſque tuo império non movébit quiſquam manum, aut pedem in omni Terra Ægypti.

℟. Benedictiónes Patris tui confortátæ ſunt benedictiónibus Patrum ejus: * Donec veníret deſidérium cóllium æternórum. ℣. Fiant in cápite Joſeph, & in vértice Nazaræi inter Fratres ſuos. Donec veníret.

Glória Patri. Donec veníret.

IN II. NOCTURNO,

Antiphona.

Audiens Joſeph, quòd Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre ſuo, tímuit illò ire.

Pſalmus. Dómine, quis habitábit.

Antiphona. Admónitus in ſomnis Joſeph ſeceſſit in partes Galilææ: & véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth; ut adimplerétur quod dictum eſt per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur.

Pſalmus. Dómine in virtúte tua.

Antiphona. Induxérunt Púerum Jeſum Paréntes ejus, ut fácerent ſecúndùm conſuetúdinem legis pro eo.

Pſalmus. Dómini eſt terra.

Antiphona. Erat Pater Jeſu, & Mater mirántes ſuper his, quæ dicebántur de illo; & benedíxit illis Símeon.

Pſalmus. Cantáte Dómino.

Antiphona. Et ut perfecérunt ómnia ſecúndùm legem Dómini, revérſi ſunt in Galilæam civitátem ſuam Názareth.

Pſalmus. Dóminus regnávit.

Antiphona. Mirabántur omnes in verbis grátiæ, quæ procedébant de ore ipsíus, & dicébant: Nónne hic eſt Fílius Joſeph?

Pſalmus. Cantáte Dómino.

℣. Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo.

℟. Glóriam, & magnum decórem impónes ſuper eum.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Homilia 2. ſuper Miſſus, propè finem.

Lectio v.

QUis & qualis homo fúerit beátus Joſeph, cónjice ex appellatióne, qua, licèt diſpenſatória, méruit honorári à Deo, ut pater Dei & dictus & créditus ſit: cónjice & ex próprio vocábulo, quod augméntum non dúbitas interpretári. Simul & meménto magni illíus quondam Patriárchæ vénditi in Ægypto, & ſcito ipsíus iſtum non ſolùm vocábulum fuiſſe ſortítum, ſed & caſtimó-

niam

niam adéptum, innocéntiam aſſecútum & grátiam.

℟. Angelus Dómini appáruit Joſeph, dicens: Joſeph fili David noli timére accípere Maríam Cónjugem tuam: * Quod enim in ea natum eſt, de Spíritu ſancto eſt. ℣. Páriet autem fílium, & vocábis nomen ejus Jeſum. Quod.

Lectio vj.

SIquidem ille Joſeph, fratérna ex invídia vénditus, & ductus in Ægyptum, Chriſti venditiónem præfigurávit: iſte Joſeph, Herodiánam invídiam fúgiens, Chriſtum in Ægyptum portávit. Ille dómino ſuo fidem ſervans, dóminæ nóluit commiſcéri: iſte Dóminam ſuam Dómini ſui matrem, vírginem agnóſcens, & ipſe cóntinens, fidéliter cuſtodívit.

℟. Aſcéndit Joſeph à Galilæa de civitáte Názareth in Judæam, in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem: * Eò quòd eſſet de Domo, & Família David. ℣. Ut profiterétur cum María deſponsáta ſibi uxóre. Eò quòd eſſet.

Lectio vij.

ILli data eſt intelligéntia in myſtériis ſomniórum: iſti datum eſt cónſcium fíeri atque partícipem cœléſtium ſacramentórum. Ille fruménta ſervávit non ſibi, ſed omni pópulo: iſte panem vivum è cœlo ſervándum accépit tam ſibi, quàm toti mundo.

℟. Surge, & áccipe Púerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: * Et eſto ibi, uſque dum dicam tibi.

℣. Ut adimplerétur, quod dictum eſt à Dómino per Prophétam dicéntem: Ex Ægypto vocávi Fílium meum. Et eſto.

Lectio viij.

NOn eſt dúbium, quin bonus & fidélis homo fúerit iſte Joſeph, cui Mater deſponsáta eſt Salvatóris. Fidélis, inquam, ſervus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuæ matris ſolátium, ſuæ carnis nutrítium, ſolum dénique in terris magni consílii coadjutórem fidíſſimum.

℟. Cùm indúcerent Púerum Jeſum Paréntes ejus, ut fácerent ſecúndùm conſuetúdinem legis pro eo: * Accépit eum Símeon in ulnas ſuas, & benedíxit Deum. ℣. Et erat Pater ejus, & Mater mirántes ſuper his, quæ dicebántur de illo. Accépit eum. Glória Patri. Accépit eum.

IN III. NOCTURNO.

Antiphona.

Invénit Philíppus Nathánael, & dicit ei: Quem ſcripſit Móyſes in lege, & Prophétæ, invenímus Jeſum Fílium Joſeph à Názareth.

Canticum. Beátus vir.

℣. Juſtus germinábit ſicut lílium.

℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio ix. *Cap. 1. c*

CUm eſſet deſponsáta mater Jeſu María Joſeph, ántequam convenírent, invénta eſt in útero habens de Spíritu ſancto. Et réliqua.

Homilía Sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. Comment. in cap. 1. Matth.

QUare non de símplici vírgine, ſed de deſponsáta concípitur? Primùm, ut per generatiónem Joſeph orígo Maríæ monſtrarétur: ſecúndò, ne lapidarétur à Judæis ut adúltera: tértiò, ut in Ægyptum fúgiens habéret ſolátium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit cauſam, cur à deſponsáta concéptus ſit: Ut partus, ínquiens, ejus celarétur diábolo, dum eum putat non de vírgine, ſed de uxóre generátum.

℟. Ibant Paréntes Jeſu per omnes annos in Jerúſalem, in die ſolémni Paſchæ: conſumptíſque diébus, cùm redírent, remánſit Puer Jeſus in Jerúſalem, * Et non cognovérunt Paréntes ejus. ℣. Exiſtimántes autem illum eſſe in comitátu, requirébant eum inter cognátos, & notos. Et non.

Lectio x.

ANtequàm convenírent, invénta eſt in útero habens de Spíritu ſancto. Non ab álio invénta eſt, niſi à Joſeph, qui penè licéntia maritáli futúræ uxóris ómnia nóver[illegible]. Quod autem dícitur, Antequàm convenírent: non séquitur ut póſteà convénerint; ſed Scriptúra quod factum non ſit, oſténdit.

℟. Dicit Mater Jeſu ad illum: Fili quid fecíſti nobis ſic? * Ecce Pater tuus, & ego doléntes quærebámus te. ℣. Et ait ad illos: Quid eſt quòd me quærebátis? neſciebátis quia in his, quæ Patris mei ſunt, opórtet me eſſe? Ecce Pater tuus.

Lectio xj.

JOſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam tradúcere, vóluit occúltè dimíttere eam. Si quis fornicáriæ conjúngitur, unum corpus effícitur; & in lege præcéptum eſt, non ſolùm reos, ſed & cónſcios críminum obnóxios eſſe peccáti: quómodo Joſeph, cùm crimen celáret uxóris, juſtus ſcríbitur? Sed hoc teſtimónium Maríæ eſt, quòd Joſeph ſciens illíus caſtitátem, & admírans quod evénerat, celat ſiléntio, cujus myſtérium neſciébat.

℟. Deſcéndit Jeſus cum eis, & venit Názareth; * Et erat súbditus illis. ℣. Proficiébat ſapiéntia, & ætáte, & grátia apud Deum, & hómines. Et erat súbditus illis.

Lectio xij. dicitur de Homilia Feriæ occurrentis, ſi celebretur in Quadrageſima: & de ea fit commemoratio in Laudibus.

Lectio xij.

JOſeph fili David, noli timére accípere Maríam uxórem. Jam & ſuprà díximus ſponſas uxóres appellári: quòd pléniùs liber advérsùs Helvídium docet. Et blandiéntis afféctu ei per sómnium Angelus lóquitur, ut juſtítiam ſiléntii comprobáret: ſimúlque notándum, quòd Joſeph fílius eſſe dicátur David, ut María quoque de ſtirpe David monſtrarétur.

℟. Fidélis ſervus, & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam: * Amen dico vobis, quóniam ſuper ómnia bona ſua conſtítuet eum. ℣. Qui cuſtos eſt Dómini ſui, glorificátur. Amen dico vobis. Glória Patri. Amen dico vobis.

Sequéntia S. Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Cap. 1. c*

CUm eſſet deſponsáta mater Jeſu María Joſeph, ántequàm convenírent, invénta eſt in útero habens de Spíritu ſancto. Joſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam tradúcere, vóluit occúltè dimíttere eam. Hæc autem eo cogitánte, ecce Angelus Dómini appáruit in ſomnis ei, dicens: Joſeph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam. Quod enim in ea natum eſt, de Spíritu ſancto eſt. Páriet autem Fílium, & vocábis nomen ejus Jeſum. Ipſe enim ſalvum fáciet pópulum ſuum à peccátis eórum.

Oratio.

SAnctíſſimæ Genitrícis tuæ Sponſi, quæſumus Dómine, méritis adjuvémur: ut quod poſſibílitas noſtra non óbtinet, ejus nobis interceſſióne donétur. Qui vivis & regnas.

A D   L A U D E S,

& per Horas, Antiphona.

IBant Paréntes Jeſu per omnes annos in Jerúſalem, in die ſolémni Paſchæ.

Pſalmus. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiphona. Cùm redírent, remánſit Puer Jeſus in Jerúſalem, & non cognovérunt Paréntes ejus.

Antiphona. Non inveniéntes Jeſum, regréſſi ſunt in Jerúſalem requiréntes eum; & poſt tríduum invenérunt illum in Templo ſedéntem in médio Doctórum, audiéntem, & interrogántem eos.

Antiphona. Dicit Mater ejus ad illum:

lum: Fili quid fecíſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego doléntes quærebámus te.

Antiphona. Deſcéndit Jeſus cum eis, & venit Názareth, & erat súbditus illis.

Capitulum. Prov. 28. & 27.

VIr fidélis multùm laudábitur. Et qui Cuſtos eſt Dómini ſui, glorificábitur.

℟. *breve.* Conſtítuit eum, * Dóminum domus ſuæ. Conſtítuit.

℣. Et Príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ. Dóminum. Glória Patri. Conſtítuit.

Hymnus.

ISte, quem læti cólimus fidéles,
Cujus excélſos cánimus triúmphos,
Hac die Joſeph méruit perénnis
Gáudia vitæ.
O nimis felix, nimis ò beátus,
Cujus extrémam vígiles ad horam
Chriſtus & Virgo ſimul aſtitérunt
Ore seréno.
Hinc ſtygis victor, láqueo ſolútus
Carnis, ad ſedes plácido ſopóre
Migrat ætérnas, rutiliſque cingit
Témpora ſertis.
Ergo regnántem flagitémus omnes
Adſit ut nobis, veniámque noſtris
Obtinens culpis, tríbuat ſupérnæ
Múnera pacis.
Sint tibi plauſus, tibi ſint honóres
Trine, qui regnas Deus, & corónas
Aureas ſervo tríbuis fidéli
Omne per ævum. Amen.

℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam.
℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ipſe Jeſus erat incípiens, quaſi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Joſeph.

Oratio. Sanctíſſimæ Genitrícis. *ut ſup.*

Deinde fit commemoratio Feriæ, ſi celebretur in Quadrageſima.

Ad Tertiam, Antiphona.

Cùm redírent.

Capitulum. Vir fidélis &c. *ut ſuprà.*

℣. Conſtítuit eum Dóminum domus ſuæ. ℟. Et Príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ.

Ad Sextam, Antiphona.

Non inveniéntes.

Capitulum. Eccleſ. 45.

DIléctus Deo, & homínibus, cujus memória in benedictióne eſt. In fide, & lenitáte ipsíus ſanctum fecit illum, & elégit eum ex omni carne.

℣. Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo. ℟. Glóriam, & magnum decórem impónes ſuper eum.

Ad Nonam, Antiphona.

Deſcéndit Jeſus.

Capitulum. Sap. 10.

PRófugum juſtum dedúxit Sapiéntia per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei, & dedit illi ſciéntiam Sanctórum; honeſtávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus.

℣. Juſtus germinábit ſicut lílium.
℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

In ſecundis Veſperis, Antiphona.

Ibant Paréntes &c. *ut in Laudibus. Pſalmi, Capitulum,* ℟. *breve, & Hymnus, ut in primis Veſperis.*

℣. Glória, & divítiæ in domo ejus.
℟. Et juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ecce fidélis ſervus, & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam.

Oratio.

SAnctíſſimæ Genitrícis tuæ Sponſi, quæſumus Dómine, méritis adjuvémur: ut quod poſſibílitas noſtra non óbtinet, ejus nobis interceſſióne donétur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Deinde fit commemoratio S. Joachim Patris B. V. Mariæ.

Antiphona. Laudémus Virum glorióſum in generatióne ſua, quia benedictiónem ómnium Géntium dedit illi Dóminus, & teſtaméntum ſuum confirmávit ſuper caput ejus.

℣. Po-

℣. Potens in terra erit ſemen ejus.
℟. Generátio rectórum benedicétur. *Oratio.*

DEus, qui præ ómnibus Sanctis tuis beátum Jóachim Genitrícis Filii tui Patrem eſſe voluíſti: concéde quæſumus, ut cujus feſta venerámur, ejus quoque perpétuò patrocínia ſentiámus. Per eúndem Dóminum noſtrum &c.

Et ſi celebretur in Quadrageſima, fit etiam commemoratio Feriæ.

DIE XXI. MARTII.

S. BENEDICTI ABBATIS.

Duplex primæ claſſis.

Ad Veſperas, Antiphona. Fuit vir vitæ venerábilis. *cum reliquis de Laudibus. Pſalmus.* Dixit Dóminus. *tum reliq. loco ultimi Pſalmus.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. Eccl. 50. à 6.

ECce Conféſſor magnus: qui quaſi ſtella matutína in médio nébulæ, & quaſi luna plena in diébus ſuis lucet, & quaſi ſol refúlgens, ſic iſte fulſit in templo Dei.

℟. Deo grátias. *Hymnus.*

LAudibus cives réſonent canóris,
Templa ſolémnes moduléntur hymnos:
Hac die ſummi Benedíctus arcem
Scandit Olympi.

Ille floréntes peragébat annos,
Cùm puer dulcis pátriæ penátes
Liquit, & ſolus látuit ſilénti
Cónditus antro.

Inter urtícas, rigidóſque ſentes
Vicit altrícem ſcélerum Juvéntam,
Inde conſcrípſit documénta vitæ
Pulchra beátæ.

Æream turpis Clárii figúram,
Et nemus ſtravit Véneri dicátum,
Atque Baptíſtæ póſuit ſacráto
Monte ſacéllum.

Jamque felíci réſidens Olympo
Inter ardéntes Séraphim catérvas
Spectat, & dulci réficit cliéntum
Corda liquóre.

Glória Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúſque ſemper,
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore ſæcli. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum.
℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exúltet ómnium turba fidélium pro glória almi Patris Benedícti; læténtur præcípuè catérvæ Monachórum, celebrántes ejus feſta in terris, de cujus ſocietáte Sancti congáudent in Cœlis. *Oratio.*

OMnípotens ſempitérne Deus, qui hodiérna die carnis edúctum ergáſtulo Beátum Confeſsórem tuum Benedíctum ſubleváſti ad Cœlum: concéde, quæſumus, hæc feſta tuis fámulis celebrántibus cunctórum véniam delictórum; ut qui exultántibus ánimis ejus claritáti congáudent, ipſo apud te interveniénte, conſociéntur & méritis. Per Dóminum noſtrum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Regem Confeſsórum Dóminum: * Veníte adorémus. *Pſal.* Veníte.

Hymnus.

QUicquid antíqui cecinére vates,
Quicquid ætérnæ moniménta legis
Cóntinet nobis celebránda ſummi
Vita Monárchæ.

Extulit Moſen píetas benígnum,
Inclytum proles Abraham decórat,
Iſaac ſponſæ decus, & ſevéri
Juſta paréntis.

Ipſe virtútum cúmulis onúſtus
Célſior noſtri Patriárcha cætus,
Iſaac, Moſen, Abraham ſub uno
Péctore cláuſit.

Ipſe, quos mundi rápuit procéllis
Hic pius flatu ſtátuat ſecúndo,
Pax ubi nullo, requiéſque gliſcit
Miſta pavóre.

Glória Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúſque ſemper,
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore ſæcli. Amen.

In primo Nocturno, Antiphona. Fuit vir vitæ venerábilis, grátia Benedíctus, & nómine.
Pſal. Beátus vir, qui non ábiit.
Antiphona. Ab ipſo pueritiæ ſuæ témpore cor gerens ſeníle, ætátem móribus tránſiens, nulli ánimum voluptáti dedit.
Pſal. Quare fremuérunt gentes.
Antiphona. Liberióri génere ex Província Núrſiæ ortus, Romæ liberálibus litterárum ſtúdiis tráditus à paréntibus fúerat.
Pſal. Dómine quid multiplicáti.
℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum.
℟. Stolam glóriæ índuit eum.
Lect. j. Noct. ut in Comm. Conf. Pont. j. loco. Laudémus viros glorióſos.

Pro j. Lectione.

℟. Fuit vir venerábilis, grátia Benedíctus, & nómine, ab ipſo pueritiæ ſuæ témpore cor gerens ſeníle: * Ætátem quippe móribus tránſiens nulli ánimum voluptáti dedit.
℣. Receſſit ígitur sciénter néſcius, & ſapiénter indóctus. Ætátem quippe.

Pro Lectione ij.

℟. Sanctus Benedíctus plus appétiit mala mundi pérpeti, quàm laudes; pro Deo labóribus fatigári: * Quàm vitæ hujus favóribus extólli.
℣. Divína namque prævéntus grátia, magis, ac magis ad ſupérna ánimo ſuſpirábat. Quàm vitæ.

Pro Lectione iij.

℟. Inito consílio, venénum vino miſcuére, quo obláto, ex more ad benedicéndum Patri, vir Dei ſignum Crucis édidit, & vas peſtíferi potus ità confráctum eſt: * Ac ſi pro ſigno lápidem dedíſſet.
℣. Intelléxit prótinùs vir Dei, quia potum mortis vas habúerat, quod portáre non póterat ſignum vitæ. Ac ſi pro ſigno.
Glória Patri. Ac ſi pro.

In ij. Nocturno.

Antiphona. Benedíctus in dies magis augebátur divína grátia, ut étiam prophético ſpíritu ventúra prædíceret.
Pſal. Cùm invocárem.
Antiphona. Huic dum erémum péteret; Románus Mónachus obviávit: cujus cùm deſidérium cognovíſſet, & ſecrétum ténuit, & adjutórium impéndit.
Pſal. Verba mea áuribus pércipe.
Antiphona. Tantam grátiam ei virtus divína contúlerat, ut ſub uno Solis rádio omnem mundum colléctum conſpíceret.
Pſal. Dómine Dóminus noſter.
℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam.
℟. Et lingua ejus loquétur judícium.
Lect. ij. Noct. ut in Brev. Rom. xxj. Martii. Benedíctus Núrſiæ.

Pro iv. Lectione.

℟. O laudánda Sancti Benedícti, mérita glorióſa, qui dum pro Chriſto pátriam, mundíque ſprevit pompam, adéptus eſt ómnium contubérnium Beatórum: * Et párticeps ſactus præmiórum æternórum.
℣. Inter Choros Confeſsórum ſpléndidum póſſidet locum, & ipſum fontem ómnium intuétur bonórum. Et párticeps.

Pro Lectione v.

℟. Cùm Sanctus Benedíctus in Cella consíſteret, elevátis ſurſum óculis, vidit ſoróris ſuæ ánimam de córpore ejus egréſſam: * In Colúmbæ ſpécie Cœli ſecréta penetráre.
℣. Qui tantæ ejus glóriæ congáudens; omnipoténti Deo grátias rétulit, ejúſque óbitum frátribus denunciávit. In Colúmbæ.

Pro Lectione vj.

℟. Intempéſtæ noctis hora Vir Dei inſtans vigíliis aſsíduæ oratiónis, velut ſub uno Solis rádio: * Omnem mundum colléctum conſpéxit.
℣. Vidénti enim Creatórem angúſta eſt omnis creatúra. Omnem mundum. Glória Patri. Omnem mundũ.

In iij. Nocturno.

Antiphona. Rejícta domo, rebúſque

Patris,

Patris, ſoli Deò placére cúpiens, ſanctæ converſatiónis hábitum quęsívit.
Pſal. Dómine quis habitábit.
Antiphona. Tunc ad locum diléctæ ſolitúdinis rédiit, & ſolus in ſupérni Inſpectóris óculis habitávit ſecum.
Pſalmus. Dómine in virtúte tua lætábitur rex.
Antiphona. Benedíctum prophéticis condecorémus cánticis, qui tam fulſit prophetía, quàm & doctrínæ grátia.
Pſalmus. Dómini eſt terra.
℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus.
℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus.
Lectiones de Homilia, ut in Brev. Rom. in feſto S. Benedicti.

Pro Lectione vij.

℟. Sanctíſſime Conféſſor Chriſti Benedícte Monachórum Pater, & Dux: * Intercéde pro noſtra, omniúmque ſalúte. ℣. Devótæ plebi súbveni ſancta interceſſióne, ut tuis adjúta précibus, Regna Cœléſtia conſequátur. Intercéde pro.

Benedictio viij.

Cujus feſtum cólimus, ipſe intercédat pro nobis ad Dóminum.

Pro Lectione viij.

℟. Ipſo anno, quo de hac vita erat exitúrus, quibúſdam Diſcípulis ſecum conversántibus, quibúſdam longè manéntibus: * Sanctíſſimi ſui óbitus denunciávit diem.
℣. Præséntibus indícens, ut audíta per ſiléntium tégerent: abséntibus índicans, quod, vel quale eis ſignum fíeret, quando ejus ánima de córpore exíret. Sanctíſſimi ſui óbitus.
Glória Patri. Sanctíſſimi ſui.
ix. Lect. de Homil. & commem. fer. in Quadrag.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

FUit vir vitæ venerábilis grátia Benedíctus, & nómine, qui ab ipſo pueritíæ ſuæ témpore cor gerens ſeníle, ætátem móribus tránſiens, nulli ánimum voluptáti dedit.
Pſal. Dóminus regnávit. *cum rel.*
Antiphona. Beátus vir Benedíctus plùs appétiit mala mundi pérpeti, quàm laudes: pro Deo labóribus fatigári, quàm vitæ hujus favóribus extólli.
Antiphona. Glorióſus Conféſſor Dómini vitam Angélicam gerens in terris, ſpéculum bonórum óperum factus eſt mundo: Et ídeò cum Chriſto jam ſine fine gaudet in Cœlis.
Antiphona. Erat vir Dómini Benedíctus vultu plácido, móribus decorátus Angélicis, tantáque circa eum cláritas excréverat, ut in terris póſitus, in Cœléſtibus habitáret.
Antiphona. Vir Dei Benedíctus ómnium juſtórum ſpíritu plenus fuit: ipſe intercédat pro cunctis Monáſticæ profeſſiónis.

Capitulum. *Eccl. 50. à 6.*

Ecce Conféſſor magnus: qui quaſi ſtella matutína. *ut ſup.* *Hymnus.*

INter ætérnas súperum corónas,
Quas ſacro partas rétinent agóne,
E micas celſis méritis corúſcus
O Benedícte.
Sancta te compſit púerum ſenéctus,
Nil ſibi de te rápuit volúptas,
Aruit mundi tibi flos ad alta
Mente leváto.
Hinc fuga lapſus pátriam, paréntes
Déſeris, fervens némorum colónus
Edomas carnem, ſubigíſque Chriſto
Tortor acérbus.
Ne diù tutus látebras fovéres,
Signa te produnt óperum piórum;
Spárgitur felix céleri per orbem
Fama volátu.
Glória Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúſque ſemper,
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore ſæcli. Amen.
℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et oſténdit illi regnum Dei.

Ad Benedictus, Antiphona.

Sanctíſſime Conféſſor Dómini, Mo-

Cujus festum colimus ipse Gloriosus Pater Noster intercedat pro nobis ad Dominum

nachórum Pater, & Dux Benedíɛte, intercéde pro noſtra, omniúmque ſalúte.
Oratio. Omnípotens. *ut ſuprà*.
Ad Tertiam, Antiphona.
Beátus vir Benedíctus.
Capitulum. Ecce Conféſſor magnus.
℟. *breve*. Amávit eum Dóminus, &c.
Ad Sextam, Antiphona.
Glorióſus Conféſſor Dómini.
Capitulum. Eccl. 53. *à* 4.
IN diébus ipsíus emanavérunt púteí aquárum, & quaſi mare adimpléti ſunt ſupra modum. Qui curávit gentem ſuam, & liberávit eam à perditióne.
℟. *breve*. Os juſti, &c.
Ad Nonam, Antiphona.
Vir Dei Benedíctus.
Capitulum. Eccl. 50. *à* 10.
QUaſi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióſo: Quaſi olíva púllulans, & cypréſſus in altitúdinem ſe extóllens. Et circa illum coróna fratrum: quaſi plantátio cedri in Monte Líbano; ſic circa illum ſtetérunt quaſi rami palmæ, & omnes fílii Aaron in glória ſua.
℟. *breve*. Lex Dei ejus, &c.
Miſſa. Os juſti. *ut in feſto, & dic.* Credo.
In ij. Veſp. omnia, ut in j.
℣. Juſtum dedúxit. ℟. Et oſténdit.
Ad Magnificat, Antiph.
Hódie Sanctus Benedíctus per viam Oriéntis recto trámite vidéntibus diſcípulis Cœlum aſcéndit: hódie eréctis mánibus, inter verba oratiónis expirávit, hódie in glória ab Angelis ſuſcéptus eſt.
Oratio. Omnípotens. *ut ſup.*
Infra Oct. in Quadr. ſi feſtum non occurr. dic. Miſs. de fer. ij. Or. Oct. iij. Concéde. *ſine* Credo, *& col. viol. Ita Caſtal. in Praxi Cærem. lib.* 2. *ſect.* 6.
Si occurrat transferri feſtum S. Benedicti cum ſua Octava poſt Paſcha, omittitur ix. Lect. & comm. fer. & infra Oct. in j. Noct. leguntur Lect. de Script. occurr.

DIE XXII. MARTII.
Secunda die infra Oct.
Invit. Hymn. ℣. *&* ℟. *ut in die feſti, etiam per tot. Oct.*
In j. Noct. Lect. de Comm. Conf. j. loco, Juſtus ſi morte. ℟℟. *ut ſup. extr. Quadr. de Script. & ſic aliis diebus infr. Oct.*
In ij. Nocturno.
Incipit Liber ſecúndus Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.
Lectio vj.
FUit vir vitæ venerábilis, grátia Benedíctus, & nómine, ab ipſo pueríṫiæ ſuæ témpore cor gerens ſeníle. Ætátem quippè móribus tránſiens, nulli voluptáti ánimum dedit: ſed dum in hac terra adhuc eſſet, quo temporáliter líberè uti potuíſſet, deſpéxit jam quaſi áridum mundum cum flore. Qui liberióri génere ex Província Núrſiæ ortus, Romæ liberálibus litterárum ſtúdiis tráditus fúerat. Sed cùm in eis multos ire per abrúpta vitiórum cérneret; eum, quem quaſi in ingréſſu mundi poſúerat, retráxit pedem: ne, ſi quid de ſciéntia ejus attíngeret, ipſe quoque in immáne præcipítium totus iret. Deſpéctis ítaque litterárum ſtúdiis; relícta domo, rebúſque Patris, ſoli Deo placére desíderans, ſanctæ converſatiónis hábitum quæsívit. Recéſſit ígitur ſciénter néſcius, & ſapiénter indóctus.
℟. O laudánda. *pag.* 36.
Lectio v. Cap. 1.
HIc ítaque, cùm jam relíctis litterárum ſtúdiis, pétere desérta decrevíſſet, Nutrix, quæ hunc árctiùs amábat, ſola ſecúta eſt. Cùmque ad locum veníſſent, qui dícitur Effide, multíſque honeſtióribus viris, pro charitáte ſe illic detinéntibus, in Beáti Petri Eccléſia demoraréntur, prædícta Nutrix illíus, ad purgándum tríticum à vicínis muliéribus præſtári ſibi capiſtérium pétiit, quod ſuper menſam incáutè derelíctum,

ctum, caſu accidénte fractum eſt ſic, ut in duas partes inveniretúr diviſum. Quod mox rédiens Nutrix illíus, ut ita invénit, vehementíſſimè flere cœpit, quia vas, quod præſtitum accéperat, fractum vidébat. Benedíctus autem religióſus, ac pius puer, cùm Nutrícem ſuam flere conſpíceret, ejus dolóri compáſſus, ablátis ſecum utríſque fracti capiſtérii pártibus, ſeſe cum lácrymis in oratiónem dedit; qui ab oratióne ſurgens, ita juxta ſe vas ſanum réperit, ut in eo inveníri fractúræ nulla veſtígia potuíſſent, moxque Nutrícem ſuam blandè conſolátus, ei ſanum capiſtérium réddidit, quod fractum túlerat.

℟. Cùm Sanctus. *pag.* 36.

Lectio vj.

QUæ res in eódem loco à cunctis eſt ágnita, atque in tanta admiratióne hábita, ut hoc ipſum capiſtérium, ejus loci íncolæ in Eccléſiæ ingréſſu ſuſpénderent: quátenus præséntes, & futúri omnes agnóſcerent, à quanta Benedíctus puer converſatiónis grátiam perfectióne cœpíſſet: quod annis multis illic ante ómnium óculos fuit, & uſque ad hæc Longobardórum témpora ſuper fores Eccléſiæ pepéndit.

℟. Intempéſtæ. *pag.* 36.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos, &c. *ut in Converſ. Sancti Pauli* (25. *Jan.*)

℟℟. *ut ſup.*

DIE XXIII. MARTII.

Tertia die infra Octavam.

Lect. j. Noct. Beátus vir. *de Comm. Conf. ſecundo loco.*

℟℟. *ſup. pag.* 36. *& ſeq.*

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Cap. 1. *ante med.*

SEd Benedíctus plus áppetens mala mundi pérpeti, quàm laudes, & pro Deo labóribus fatigári, quàm vitæ hujus favóre extólli: Nutrícem ſuam occúltè fúgiens, deſérti loci ſecéſſum pétiit, cui Sublácus vocábulum eſt, qui à Romána Urbe quadrágínta ferè míllibus diſtans, frígidas, atque perſpícuas emánat aquas, quæ illic vidélicet aquárum abundántia in exténſo priùs lacu collígitur: ad extrémum verò in amnem derivátur. Quò dum fúgiens pérgeret, Mónachus quidam, Románus nómine, hunc eúntem réperit, & quò ténderet, requisívit. Cujus cùm deſidérium cognovíſſet, & ſecrétum ténuit, & adjutórium impéndit, eíque ſanctæ converſatiónis hábitum trádidit, & in quantum lícuit, miniſtrávit. Vir autem Dei ad eúndem locum pervéniens, in arctíſſimum ſpecum ſe trádidit, & tribus annis, excépto Románo Mónacho, ómnibus ibi incógnitus manſit, qui vidélicet Románus, non longè in Monaſtério, ſub Theodáti Patris Régula degébat. Sed piè ejúſdem Patris ſui óculis furabátur horas, & quem ſibi ad manducándum ſurrípere póterat, diébus certis Benedícto panem ferébat.

℟. O laudánda. *pag.* 36.

Lectio v.

AD eúndem verò ſpecum à Románi cella iter non erat, quia excélſa déſuper rupes eminébat; ſed ex eádem rupe, in longíſſimo fune ligátum, Románus depónere panem conſuéverat, in qua étiam reſti parvum tintinnábulum inséruit, ut ad ejus ſonum vir Dei cognóſceret, quando ſibi Románus panem præbéret, quem éxiens accíperet. Sed antíquus hoſtis, uníus charitáti ínvidens, & altérius refectióni, cùm quadam die ſubmítti panem conſpíceret, jactávit lápidem, & tintinnábulum fregit. Románus tamen modis congruéntibus miniſtráre non déſiit.

℟. Cùm Sanctus. *pag.* 36.

Lectio vj. *Cap. 3. in fin.*

CUm Sanctus Vir diù in eádem ſolitúdine virtútibus, ſigníſque ſuccréſceret, multi ab eo in eódem loco ad omnipoténtis Dei ſunt ſervítium congregáti: ita ut illic duódecim Monaſtéria, cum omnipoténtis Jeſu Chriſti Dómini opitulatióne conſtrúeret; in quibus ſtatútis Pátribus duodénos Mónachos deputávit, paucos verò ſecum retínuit, quos adhuc in ſua præséntia áptius erudíri judicávit. Cœpére étiam tunc ad eum Románæ Urbis nóbiles, & Religióſi concúrrere, ſuóſque ei fílios, omnipoténti Deo nutriéndos dare. Tunc quoque bonæ ſpei ſuas sóboles Eutychius Máurum, Tertúllus verò Patrícius Plácidum trádidit: è quibus Máurus júnior, cùm bonis polléret móribus, Magíſtri adjútor cœpit exíſtere: Plácidus verò puerílis adhuc índolis gerébat annos. ℞. Intempéſtæ. *pag.* 36.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos. *ut in vj. die inf. Oct. SS. Apoſt. Petri, & Pauli 4. die Julii.*

℞℞. *ut ſup.*

DIE XXIV. MARTII.

Quarta die infra Octavam.

Lect. j. Noct. Laudémus. *de Comm. Confeſs. Pontif. ij. loco.*

℞℞. *ut ſup. pag. 36. & ſeq.*

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. *Cap. 6.*

ALio quoque témpore Gothus quidam pauper ſpíritu ad converſiónem venit, quem Dei Vir Benedíctus libentíſſimè ſuſcépit. Quadam verò die ei dari ferraméntum, juſſit, quod ad falcis ſimilitúdinem, falcáſtrum vocátur, ut de loco quodam vepres abſcínderet, quátenus illic hortus fíeri debéret. Locus autem ipſe, quem mundándum Gothus ſuſcéperat, ſuper ipſam laci ripam jacébat.

℞. O laudánda. *pag.* 36.

Lectio v.

CUmque Gothus idem, denſitátem véprium totíus virtútis annísu ſuccíderet, ferrum de manúbrio prosíliens, in lacum cécidit, ubi ſcílicet tanta erat aquárum profúnditas, ut ſpes requiréndi ferraménti nulla jam eſſet. Itaque ferro pérdito, tremebúndus ad Máurum Mónachum cucúrrit Gothus, damnum, quod fécerat, nunciávit, & reátus ſui egit pœniténtiam.

℞. Cùm Sanctus. *pag.* 36.

Lectio vj.

QUod Máurus quoque Mónachus mox Benedícto fámulo Dei curávit indicáre. Vir ígitur Dómini Benedíctus hæc áudiens, accéſſit ad lacum, tulit de manu Gothi manúbrium, & miſit in lacum: & mox ferrum de profúndo rédiit, atque in manúbrium intrávit. Qui ſtatim ferraméntum Gotho réddidit, dicens: Ecce labóra, & noli contriſtári.

℞. Intempéſtæ. *pag.* 36.

In iij. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Lectio vij.*

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jeſum: Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía ſancti Joánnis Chrysóſtomi. *Homil. 7. in c. 2. ad Rom. circa fin.*

SI céntuplum hìc non recípimus, nos ipſi in cauſa ſumus, qui mútuum non damus illi, qui tantum réddere poteſt. Dic enim quæſo, quid magni dedit Petrus, nonnè rete ſciſſum tantùm, & cálamum, & hamum? verùm viciſſim illi Deus univérſi Orbis domos apéruit, terrámque ſimul, & mare patefécit, dedítque, ut omnes illum in ſua vocárent? Immò, quæ ſua erant, vénderent, & ad illíus pedes afférrent, ne in manus quidem tradéntes pecúniam;

niam; neque enim id audébant, tantum illi honórem una cum munificéntia tribuébant.

℟. Sanctíſſime. *pag.* 37.

Lectio viij.

DIces: at ille Petrus erat; quid tum, ò bone? Non iſta Petro tantùm promíſſa ſunt: neque enim dixit: Tu verò, ò Petre, céntuplum accípies ſolus; ſed quiſquis relíquerit domos, aut fratres, céntuplum accípiet: perſonárum síquidem differéntiam non cognóſcit, ſed rectè facta magis penſat: grátiam enim habet Deus, & cùm nobis debet, & cùm ſolvit: áſpicit autem creditóres ſuos libéntiùs, quàm eos, qui nihil mútuo dedérunt: quibus verò plura debet, eos & plus díligit. Quamóbrem ſi perpétuam cum illo amicítiam iníre vis, vide, ut multum tibi débeat.

℟. Ipſo anno. *pag.* 37.

Lectio ix.

NEque enim períndè delectábitur ſuis debitóribus créditor, atque Chriſtus creditóribus: fugit enim, quibus nihil debet: quibus verò debet, ad hos potíſſimùm accúrrit: omnem ígitur lápidem movéntes, curémus Chriſtum debitórem habére. Hoc enim præſens tempus, fœnerándi tempus eſt. Nunc ſcílicet in indigéntia Chriſtus conſtitútus eſt; ſi jam illi nihil das mútuò, tuórum certè, cùm hinc diſcéſſeris, níhilo opus habébit: hìc enim ſitit, hìc éſurit: cave ígitur, illum ne deſpícias.

Te Deum laudámus.

Veſper. de ſeq. cum commem. fer. tantùm.

DIE XXV. MARTII.

Quinta die infra Octavam.

Totum Officium fit de feſto Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ, cum commem. feriæ tant. in laud.

In ij. Veſp. comm. Oct. ſi ſequenti die fiat offic. de Oct. & fer.

DIE XXVI. MARTII.

Sexta die infra Octavam.

Lect. j. *Noct.* Juſtus ſi morte. *de Comm. Confeſs.* j. *loco.*

℟℟. *ut ſup. pag.* 36. *& ſeq.*

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Cap. 8. *propè fin.*

SAnctus Vir ad alia démigrans loca, non hoſtem mutávit: nam tantò, poſt gravióra prælia pértulit, quantùm contra ſe apértè pugnántem ipſum malítiæ magíſtrum invénit. Caſtrum namque, quod Caſsínum dícitur, in excélſi montis látere ſitum eſt, qui vidélicet mons, diſténſo ſinu hoc idem Caſtrum récipit, ſed per tria míllia in altum ſe ſúbrigens, velut ad áera cacúmen tendit, ubi vetuſtíſſimum fanum fuit, in quo ex antiquórum more gentílium, à ſtulto ruſticórum pópulo Apóllo colebátur. Circumquáque étiam in cultu Dæmonum luci ſuccréverant, in quibus adhuc eódem témpore infidélium insána multitúdo ſacrifíciis ſacrílegis inſudábat. Illuc ítaque vir Dei pervéniens, contrívit Idólum, ſubvértit aram, ſuccéndit lucos, atque in ipſo templo Apóllinis oráculum Beáti Martíni; ubi verò Ara Apóllinis fuit, oráculum Sancti Joánnis conſtrúxit, & commorántem circumquáque multitúdinem prædicatióne contínua ad fidem vocábat.

℟. O laudánda. *pag.* 36.

Lectio v. Cap. 11.

DUm Fratres paríetem, quia res ita exigébat, paulò áltiùs erígerent, Vir Dei in oratiónis ſtúdio, intra cellæ ſuæ cláuſtra morabátur. Cui antíquus hoſtis insúltans appáruit, & ei, quod ad laborántes Fratres pérgeret, indicávit. Quod vir Dei per núncium celérrimè Frátribus indicávit, dicens: Fratres cautè vos ágite, quia ad vos hac hora malígnus ſpíritus véniet. Is, qui mandátum

dátum détulit, vix verba compléverat, & malígnus ſpíritus eúndem paríetem, qui ædificabátur, evértit, atque unum puérulum Mónachum, cujúſdam curiális fílium ópprimens, ruína contrívit. Contriſtáti omnes, ac veheménter afflícti, non damno paríetis, ſed contritióne Fratris, venerábili Patri Benedícto, celériter cum gravi luctu nunciárunt.

℟. Cùm Sanctus. *pag.* 36.

Lectio vj.

TUm idem Pater Benedíctus dilacerátum púerum ad ſe deférri jubet: quem portáre nonníſi in ſacco potuérunt: quia collápſi ſaxa paríetis, non ſolùm ejus membra, ſed étiam oſſa contríverant. Præcepítque Vir Dei ſtatim eum in cella ſua in pſyácio, quo oráre conſuéverat, projíci, miſsíſque foras Frátribus, cellam clauſit; qui orationi inſtántiùs, quàm ſolébat, incúbuit. Mira res, eádem hora hunc incólumem, atque ut priùs valéntem, ad eúndem iterùm labórem miſit: ut ipſe quoque paríetem cum Frátribus perfíceret, de cujus ſe intéritu antíquus hoſtis Benedícto inſultáre credidíſſet.

℟. Intempéſtæ. *pag.* 36.

In iij. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Lectio vij.*

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jeſum: Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía Sancti Hilárii Epíſcopi.

Canon. 20.

APóſtoli dictis Dómini hæc reddunt: reliquíſſe ſe ómnia, & cum ipſo eſſe: quibus Dóminus, cùm séderit in majeſtátis ſuæ ſede, ſeſsúros ſuper ſedes duódecim, ac tótidem tribus Iſrael judicatúros ſpopóndit, omnibúſque, qui univérſa relíquerint propter nomen ejus, fructum céntupli præmii reſervátum. Multos autem ex novíſſimis primos futúros, & ex primis futúros novíſſimos: multa ſunt, quæ non ſinunt, nos símplici intelléctu dicta Evangélica ſuſcípere.

℟. Sanctíſſime. *pag.* 37.

Lectio viij.

INterpóſitis nonnúllis rebus, quæ ex natúra humáni ſenſus ſibi contrária ſunt, ratiónem quærere cœléſtis intelligéntiæ admonémur. Apóſtoli dicunt, & ſequi ſe Chriſtum, & ſe ómnia reliquíſſe. Quómodò ígitur fiunt triſtes, & quómodò métuunt dicéntes: ſalvum eſſe néminem poſſe? Namque & ab áliis fieri póterat, ſi quid fecíſſent ipſi. Deínde cùm fecíſſent, quare metus, vel unde ſuſcéptus eſt? Additur étiam in reſponſióne Dómini, hæc apud hómines impoſſibília, poſſibília apud Deum. Numquid apud hóminem impoſſibília erunt, quæ & Apóſtoli fecíſſe ſe gloriántur, & fecíſſe eos, Dóminus agnóſcit?

℟. Ipſo anno. *pag.* 37.

Lectio ix.

OMnis ítaque hic ſermo eſt ſpirituális: quid autem Dei virtúti tàm poſsíbile eſt, quàm, ut per fidem ſalvet? ut per eam regéneret? ut per crucem vincat? ut per Evangélia adóptet? ut reſurrectiónem ex morte vivíficet? Quibus audítis Apóſtoli citò credunt, ſeséque ómnia reliquíſſe profiténtur. Sed hanc eórum obediéntiam citò Dóminus remunerátur, omnem difficultátem ſuperióris quæſtiónis absólvens, cùm dicit: Vos, qui ſecúti eſtis me, in regeneratióne judicábitis duódecim tribus Iſrael. Hæc enim illa regenerátio eſt, quam Apóſtoli ſunt ſecúti, quam lex indulgére non pótuit, quæ eos ſuper duódecim thronos in judicándis duódecim tríbubus Iſrael, in duódecim Patriarchárum glória copulávit.

Te Deum laudámus.

DIE

DIE XXVII. MARTII.

Septima die infra Octavam.

Lect. j. Noct. Beátus vir, *de Comm. Confeſſ. non Pontif. ij loco.*

℞℞. *ut ſup. pag.* 36. *& ſeq.*

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. *Cap.* 21.

ALio quoque témpore in eádem Campániæ regióne fames incubúerat, magnáque omnes alimentórum indigéntia coanguſtábat, jamque in Benedícti Monaſtério tríticum déerat: panes verò penè omnes consúmpti fúerant, ut non plus, quàm quinque ad refectiónis horam Frátribus inveníri potuíſſent. Cùmque eos venerábilis Pater contriſtátos cérneret, eórum puſillanimitátem ſtúduit modéſta increpatióne corrígere, & rurſum promiſſióne ſubleváre, dicens: Quare de panis inópia veſter ánimus contriſtátur? Hódie quidem minus eſt, ſed die cráſtina abundánter habébitis. Sequénti autem die ducénti farínæ módii ante fores cellæ in ſaccis invénti ſunt, quos omnípotens Deus, quibus deferéntibus tranſmisíſſet, nunc uſque manet incógnitum. Quod cùm Fratres cérnerent, Dómino grátias referéntes, didicérunt jam de abundántia, nec de egeſtáte dubitáre.

℞. O laudánda. *pag.* 36.

Lectio v. *Cap.* 32

QUodam die cum Frátribus ad agri ópera fúerat egréſſus. Quidam verò Rúſticus defúncti filii corpus in ulnis ferens, orbitátis luctu æſtuans, ad Monaſtérium venit, Benedíctum Patrem quæsívit. Cui, cùm dictum eſſet, quia idem Pater cum Frátribus in agro morarétur, prótinus ante Monaſtérii jánuam corpus extíncti fílii projécit, & dolóre turbátus, ad inveniéndum venerábilem Patrem, ſeſe in curſum concitus dedit. Eádem verò hora Vir Dei ab agri ópere jam cum Frátribus revertebátur. Quem mox, ut orbátus Rúſticus aſpéxit, clamáre cœpit: Redde fílium meum, redde fílium meum. Vir autem Dei in hac voce ſúbſtitit, dicens: Numquid ego fílium tuum tibi ábſtuli? Cui ille reſpóndit: Mórtuus eſt, veni, reſúſcita eum. Quod, ut mox Dei fámulus audívit, valdè contriſtátus eſt, dicens: Recédite Fratres, recédite, hæc noſtra non ſunt, ſed Sanctórum Apoſtolórum. Quid nobis ónera vultis impónere, quæ non póſſumus portáre? At ille, quem nímius cogébat dolor, in ſua petitióne pérſtitit, jurans, quòd non recéderet, niſi ejus fílium reſuſcitáret.

℞. Cùm Sanctus. *pag.* 36.

Lectio vj.

QUem mox Dei fámulus inquisívit, dicens: Ubi eſt? cui ille reſpóndit: Ecce corpus ejus ad jánuam Monaſtérii jacet. Quò cum Vir Dei cum Frátribus perveníſſet, flexit génua, & ſuper corpúſculum infántis incúbuit, ſeſéque érigens, ad Cœlum palmas teténdit, dicens: Dómine non aſpícias peccáta mea, ſed fidem hujus hóminis, qui reſuſcitári fílium ſuum rogat, & redde in hoc corpúſculum ánimam, quam abſtuliſti. Vix in oratióne verba compléverat, & regrediénte ánima, ita corpúſculum púeri omne contrémuit, ut ſub óculis ómnium, qui áderant, apparúerit concuſſióne miríſica treméndo palpitáſſe. Cujus mox manum ténuit, & eum Patri vivéntem, atque incólumen dedit.

℞. Intempéſtæ, *pag.* 36.

In iij. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Lectio vij.*

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jeſum: Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homi-

Homilía Sancti Bernárdi Abbátis.

ARbitror verba lectiónis hujus ea eſſe, de quibus ad immortálem Sponſum à fínibus terræ clamat Eccléſia: Propter verba labiórum tuórum ego cuſtodívi vias duras. Hæc nempè ſunt verba, quæ contémptum mundi in univérſo mundo, & voluntáriam perſuasére homínibus paupertátem. Hæc ſunt, quæ Mónachis clauſtra replent, desérta anachorétis. Hæc, inquam, ſunt verba, quæ Ægyptum ſpóliant, & óptima quæque ejus vaſa dirípiunt. Hic ſermo vivus, & éfficax, convértens ánimas fælíci æmulatióne ſanctitátis, & veritátis promiſſióne fidéli.

℟. Sanctíſſime. *pag.* 37.

Lectio viij.

NAm, & mundus tranſit, & concupiſcéntia ejus, & relínquere hæc magis éxpedit, quàm relínqui. Ecce, inquit, relíquimus ómnia, & secúti ſumus te: nimírum, quia exultávit ut gigas ad curréndam viam, nec curréntem ſequi póteras onerátus, ſed nec inútilis commutátio pro eo, qui ſuper ómnia eſt, ómnia reliquíſſe; nam, & ſimul cum eo donántur ómnia, & ubi apprehénderis eum, erit unus ipſe ómnia in ómnibus, qui pro ipſo ómnia reliquérunt; ómnia ſanè díxerim, non tantùm poſſeſſiónes, ſed étiam cupiditátes, & eas máximè.

℟. Ipſo anno. *pag.* 37.

Lectio ix.

PEtrus cogitátum ſuum jactans in Dómino, & omnem ſollicitúdinem ſuam in eum projíciens, certus, quòd illi foret cura de eo, relíquit ómnia, ſecútus eſt Dóminum, ne intérrogans quidem de præmio, donec ex perículo dívitum, quod Salvátor proſequebátur, súmeret occaſiónem percontándi: quid ergo erit nobis? Ait illi Jeſus: Amen dico vobis. Verbum confirmatiónis præmíttitur, magnum nóveris eſſe, quod séquitur. In regeneratióne ſedébitis & vos: conſequímini, ait, quem ſequímini; ut cùm ipſe séderit, & vos páriter ſedeátis. O séſſio! quis mihi tríbuat, ut dignis éxprimam verbis, quod de ſeſſióne hac cordis affectióne concípio? Imò quis tríbuat mihi ſeſſiónis hujus imperturbáta frui réquie, quam desídero, quam cúpio, quam requíro?

Te Deum laudámus.

Veſper. de Oct. dupl. ut in j. *Veſp. feſti, cum comm. fer.*

DIE XXVIII. MARTII.

Octava S. Benedicti Abb. Dupl.

Totum Officium, ut in die feſto, præter ſequentia. Si celebr. extra Quadr. Lect. j. Noct. de Script.

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Cap. 35 *circa med.*

CUmque Vir Dei Benedíctus, quieſcéntibus adhuc Frátribus, inſtans vigíliis, noctúrnæ oratiónis témpora præveníſſet, ad feneſtram ſtans, & omnipoténtem Deum déprecans, súbitò intempéſta noctis hora reſpíciens, vidit fuſam lucem déſuper cunctas noctis ténebras effugáſſe, tantóque ſplendóre claréſcere, ut diem vínceret lux illa, quæ in ténebris radiáſſet. Mira autem res valdè in hac ſpeculatióne ſequúta eſt: quia, ſicut poſt ipſe narrávit, omnis étiam mundus, velut ſub uno Solis rádio colléctus, ante óculos ejus addúctus eſt. Qui venerábilis Pater, dum inténtam oculórum áciem in hoc ſplendóre corúſcæ lucis infígeret, vidit, Germáni Capuáni Epíſcopi ánimam in ſphæra ígnea ab Angelis in Cœlum deférri.

℟. O laudánda. *pag.* 36.

Lectio v.

TUnc tanti ſibi teſtem volens adhibére miráculi, Servándum Diáconum, iteráto, bis, terque ejus nómi-

nómine cum clamóris magnitúdine vocávit. Cùmque ille fuíſſet insólito tanti Viri clamóre turbátus, aſcéndit, reſpéxit, partémque jam lucis exíguam vidit. Cui tantum hoc obſtupeſcénti miráculum, Vir Dei per órdinem, quæ fúerant geſta, narrávit: ſtatímque in Caſsínum Caſtrum, Religióſo Viro Teóprobo mandávit, ut ad Capuánam Urbem, ſub eádem nocte tranſmítteret, & quid de Germáno Epíſcopo agerétur, agnóſceret, & indicáret. Factúmque eſt, & Reverendíſſimum Virum Germánum Epíſcopum is, qui miſſus fúerat, jam defúnctum réperit, & requírens ſubtíliter, agnóvit, eódem moménto fuíſſe illíus óbitum, quo Vir Dómini ejus agnóvit aſcénſum. Eódem verò anno, quo de hac vita erat exitúrus, quibúſdam diſcípulis ſecum conversántibus, quibúſdam longè manéntibus, ſanctíſſimi ſui óbitus denunciávit diem: præséntibus indícens, ut audíta per ſiléntium tégerent, abséntibus índicans, quod, vel quale eis ſignum fíeret, quando ejus ánima de córpore exíret. Ante ſextum verò ſui éxitus diem aperíri ſibi ſepultúram, jubet. Qui mox corréptus fébribus, acri cœpit ardóre fatigári.

℟. Cùm Sanctus. *pag.* 36.

Lectio vj.

CUmque per dies ſíngulos languor ingravéſceret, ſexta die portári ſe in Oratórium à diſcípulis fecit, ibíque éxitum ſuum Domínici Córporis, & Sánguinis perceptióne munívit, atque inter diſcipulórum manus imbecíllia membra ſuſténtans, eréctis in Cœlum mánibus ſtetit, & último ſpíritum inter verba oratiónis efflávit. Qua ſcílicet die, duóbus de eo Frátribus, uni in cella commoránti, álteri autem lóngiùs pósito, revelátio uníus, atque indiſsímilis viſiónis appáruit. Vidérunt namque, quia ſtrata pálliis, atque innúmeris corúſca lampádibus via, recto Oriéntis trámite ab ejus cella, in Cœlum uſque tendebátur. Cui venerándo hábitu Vir déſuper clarus aſsíſtens, cujus eſſet via, quam cérnerent, inquisívit: illi autem ſe neſcíre, proféſſi ſunt. Quibus ipſe ait: Hæc eſt via, qua diléctus Dómino Cœlum Benedíctus aſcéndit. Tunc ítaque Sancti Viri óbitum, ſicut præséntes diſcípuli vidérunt, ita abséntes ex ſigno, quod eis prædíctum fúerat, agnovérunt. Sepúltus verò eſt in Oratório Beáti Joánnis Baptíſtæ, quod, deſtrúcta Ara Apóllinis, ipſe conſtrúxit. Qui & in eo ſpecu, in quo priùs habitávit, nunc uſque, ſi petèntium fides éxigat, miráculis corúſcat.

℟. Intempéſtæ. *pag.* 36.

In iij. Nocturno.

Léctio Sancti Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Lectio vij.*

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jeſum: Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

De Homilía S. Bernárdi Abbátis.

ECce enim dixi, nihil in me ſedet, cuncta in motu ſunt, ómnia nutant, flúctuant univérſa. Poſtrémò, ubi concupíſcit adhuc caro advérsùs ſpíritum, ſpíritus advérsùs carnem, quidnam hóminis ſedére vidétur? Jam quidem ſedet Fílius hóminis in ſede majeſtátis: síquidem aſcéndens in Cœlum ſedet à dextris Dei: ſed cùm séderit, dictum eſt, hoc eſt, cùm apparúerit ſedens, ſicut Apóſtolus ait: cùm enim Chriſtus apparúerit vita veſtra, tunc & vos apparébitis cum illo in glória: quid glorióſius? Júdicent nunc, & præjúdicent ſupérbiæ fílii, cum rege ſuo ſédeant, qui ſibi látera Aquilónis elégit: transíbimus, & ecce non erunt.

℟. Sanctíſſime. *pag.* 37. *Lectio viij.*

IN sédibus enim quies imperturbáta eſt, in judício dignitátis eminén-

nénria commendátur. Quis verò ſæculáris honor excogitári poteſt, qui non prorsùs in tantæ ſublimitátis comparatióne viléſcat? Non uníus síquidem civitátis, aut pópuli, ſeu regiónis uníus, ſed univerſitátis júdices habent præſidére cum Chriſto. Nec ſolùm hómines, ſed & ipſos Angelos judicábunt, qui paréntem ad módicum vapórem præséntis glóriæ dedignántes, & exſufflántes, impropérium Chriſti univérſis præferunt títulis dignitátum.

℟. Ipſo anno. *pag.* 37.

Lectio ix.

ILlud ego vehementiùs árbitror admirándum, quòd fidéles magis in máximo, quàm in módico videámini: non enim diffícile eſt ei dare céntuplum in præsénti, qui datúrus eſt vitam ætérnam in futúro. Sed quómodo, inquit, poſſunt hæc fíeri? Qua ratióne áccipit céntuplum, qui nihil ſibi relíquit ex ómnibus? Mira nóvitas, ſed ejus, qui nova facit ómnia. Jugum tollens, invénit réquiem, relínquens ómnia céntuplum habet. Nóverat hoc & ille, qui loquebátur in Pſalmo: Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitátis, qui fingis labórem in præcépto? An non fictus in præcépto labor, onus leve, ſuáve jugum, crux injúncta?

Te Deum laudámus.

DIE IV. APRILIS.

S. Iſidori Archiepiſc. Confeſs. & Doct. Dupl.

Omnia de Comm. Conf. Pontif. præter ea, quæ hic ſunt propria.

Antiph. ad Magnif. in utriſque Veſp. O Doctor. *Oratio.*

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ ſalútis Beátum Iſidórum miníſtrum tribuíſti: præſta quæſumus, ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, interceſsórem habére mereámur in Cœlis. Per Dóminum.

In j Nocturno Lectiones. Sapiéntiam ómnium. *ut in Comm. Doct.*

In ij. Nocturno. Lectio iv.

ISidórus natióne Hiſpánus, Hiſpaniárum Doctor egrégius, ex nova Chartágine, cui Pater ipsíus Severiánus dominabátur, à Sanctis Viris Leándro Archiepíſcopo Hiſpalénſi, & Fulgéntio Epiſcopo Aſtigitáno frátribus ſuis ſanctè, & liberáliter in ſtúdio litterárum educátus eſt, & ingéntem doctrínam Latínè, Græcè, atque Hebráicè cum magna nóminis claritáte conſecútus. Hic adoléſcens adhuc hæreſim Ariánam, quæ gentem Gothórum Hiſpániæ latíſſimè dominántem pénitùs jam pridem inváſerat, tam conſtánter palàm arguébat, ut propè fúerit, ut ab Ariánis necarétur, ſed cohíbitus à Leándro, hunc ſibi ſucceſsórem fore, præſagiénte: & ut ſe commodióri témpori reſerváret, admónitus, indignatiónem temperávit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

IGitur Leándro vita functo, Iſidórus magno Regis Reccarédi, & pópuli conſénſu in Hiſpalénſi Archiepiſcopátu ſuffícitur. Quam electiónem Sanctus Gregórius Papa confirmávit, eíque pállium miſit in Hiſpániam. Quantùm verò Póntifex factus fúerit conſtans, & húmilis, pátiens, & benígnus, compátiens míſeris, & paupéribus, & cunctis virtútibus inſignítus, nullíus lingua ſuffíceret ad narrándum. Conſtrúxit Monaſtéria, & Collégia ædificávit: in quibus, ſtúdiis ſacris, & divínis lectiónibus vacans, plúrimos diſcípulos, qui ad eum confluébant, erudívit; inter quos fuit Beátus Ildephónſus Toletánæ Eccléſiæ póſteà Archiepíſcopus. Scripſit Librum Etymologiárum, & Sacri Cánonis libros plúrimos commentátus eſt, & tot, tántaque alia volúmina ſcripſit, ut humána vix vita tantis ſuffectúra labóribus videátur. Sed qui Deo ſtudent, nihil non proclíve séntiunt,

nihil

nihil fruſtrà conántur, nihil non ex voto conſequúntur.

℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

FUit dénique Iſidóri tanta doctrínæ, & ſanctitátis opínio, ut coácto Concílio generáli, ultrò fúerit à Pontífice Máximo vocátus. Ubi mirum eſt, quantùm pónderis, & authoritátis habúerit in ſíngulis rebus Iſidóri ſenténtia apud Pontíficem, & omnes Prælátos. Revérſus autem in Hiſpániam, cùm ſuam mortem, & Hiſpániæ vaſtatiónem à Saracénis públicè prædixíſſet, migrávit è vita prídie nonas Aprílis, anno Dómini ſexcentéſimo trigéſimo quinto, Siſenándo in Hiſpánia regnánte: ſepultúſque fuit Híſpali. Inde póſtea translátus eſt in Urbem Legiónem à Fernándo primo Caſtéllæ ſimul, & Legiónis Rege, qui hoc ab Eneto Saracéno Híſpali regnánte magnis précibus, & præmiis impetrávit. Cujus nómini templum ædificátum eſt Legióne, ubi ſepúltus, miráculis clarus cólitur magna pópuli religióne.

℟. Iſte eſt.

In iij. Nocturno Homil. Vos eſtis ſal terræ. *ut in Comm. Doct.*

℟. viij. In médio.

Si celebretur in Quadrag. ix. Lect. de Homil. & comm. fer.

Miſſa. In médio. *de Comm. Doct. & dic.* Credo.

DIE XVI. APRILIS.

S. Turibii Epiſc. & Confeſs. Dupl.

Omnia de Comm. Conf. Pontif. præter ea, quæ hic ſunt propria. Oratio.

DEus, qui Beáti Turíbii doctrína, & prædicatióne Priſcilliáni hæreſim in Hiſpánia extinxíſti: concéde propítius, ut ipſo pro nobis intercedénte, quod fidéliter crédimus, opéribus comprobémus. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. Fidélis ſermo. *de Com. in Quadr. Poſt Paſch. de Script.*

In ij. Nocturno. Lectio iv.

TUríbius natióne Hiſpánus, primùm Apoſtólicæ Sedis Notárius fuit. Hujúſmodi enim título decorátur à Lucrétio Epíſcopo in præfatióne primi Concílii Bracharénſis. Deíndè ad Auſtricénſem Epiſcopátum aſsúmptus, incredíbili ardóre Fidem Cathólicam tuéri cœpit advérsùs Priſcillianiſtárum hæreſim, jam olim in Hiſpánia exploſam, tunc dénuò repullulántem. Quæ, cùm eos étiam, qui advérſus eam dimicáre debuíſſent, infícere cœpíſſet; viſum eſt Turíbio, ea de re Leónem Pontíficem, hujus nóminis primum certiórem fácere, miſſis ad eum séxdecim artículis, quibus cuncti Priſcillianiſtárum errores, tótidem anathematíſmis damnáti continebántur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

LEo, his accéptis líteris, occúrrere huic malo matúrè cúpiens, inſígnem illam ad Turíbium diréxit Epíſtolam, quæ in número Epiſtolárum Leónis eſt nonagéſima tértia. In qua zelum ejus mirificè in primis comméndat, ínquiens: quàm laudabíliter pro Cathólicæ Fídei veritáte moveáris, & quàm ſollícitè Domínico gregi devotiónem offícii Paſtorális impéndas, trádita nobis per Diáconum tuum fraternitátis tuæ ſcripta demónſtrant. Quibus notítiæ noſtræ inſinuáre curáſti, qualis in regiónibus veſtris de antíquæ peſtiléntię relíquiis errórum morbus exárſerit. Repetítis mox séxdecim illis à Turíbio miſſis artículis, ſubjectáque ſuccíncta ſingulórum confutatióne, monet eum Leo, ut hábito quaprímùm inter Epíſcopos Hiſpános Concílio, ſecúndùm ea, quæ ad ejus ſcripta reſpóndeat, pleníſſimo diſquirántur exámine: ſintne áliqui inter ipſos ejúſdem hæreſis contágio pollúti, à communióne ſine dúbio, niſi hæréſibus abjurátis, ſtatim reſipíſcant,

píſcant, ſeparándi. Id, quod návitèr implétum eſt.
℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

TUnc enim coácta eſt ſecúnda Synodus Toletána, in qua, juxta Leónis ſancíta, omnes Priſcilliáni erróres reciſi ſunt. Hábita eſt autem hæc Synodus eódem anno, quo Leónis Epíſtola dictáta eſt, ſcílicet Alípio, & Ardabúrio Consúlibus, anno Dómini quadringentéſimo quadragéſimo séptimo. Decertávit étiam Turíbius advérsùs hujúſmodi hæréticos per divérſas Hiſpániæ regiónes gládio verbi Dei, miráculis, doctrínæ ejus veritátem comprobántibus. Quorum teſtis fuit Paléntia Urbs Celtiberórum perantíqua, flúminis ipſam alluéntis insólita inundatióne propter Turíbii contémptam prædicatiónem inſigniter vexáta. Decéſſit tandèm Turíbius ſeníli ætáte bonis opéribus plenus, ſepultúſque cérnitur hódie in Cœnóbio Monachórum Divi Benedícti, ejus nómini dicáto, ab ea Auſtúrum montána, quæ Liebána Hiſpáni vocant, & in quo magna Crucis Domínicæ pars, aliæque insígnes relíquiæ, débita cum veneratióne aſſervántur.
℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Homo péregrè. *de Comm.*

Miſſa. Státuit. *de Comm. Conf. Pont.*

In Veſp. à Capit. de ſeq. comm. præc. & S. Aniceti Papæ & Mart.

DIE XVII. APRILIS.

S. Stephani Abb. Ciſterc. Duplex.

Omnia de Comm. Confeſs. non Pontif. præter ea, quæ hìc aſſignantur.

Oratio. Intercéſſio.

In j. Noct. Lect. de Script.

In Quadrag. Juſtus. *de Comm.*

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

STéphanus cognoménto Hardíngus, génere nóbilis, natióne Anglus, adoléſcens in Schirburnénſi Monaſtério hábitum índuit. In Scótiam ſtudiórum cauſa, mox in Gálliam, Paríſios transfretávit. Ibi profánis líteris libátis, & ſacris diſciplínis apprímè inſtrúctus, Romam proficíſcitur, Clérico ſócio ſibi adjúncto, cum quo síngulis diébus Pſaltérium ex íntegro decantábat. Sacris limínibus viſitátis, Gállias læti repetébant, cùm ecce nova Molíſmi ſolitúdo Stéphanum alléxit; ſeque, dimíſſo ſócio, Beátis Pátribus Robérto, & Alberíco cómitem adjúnxit.
℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

IN partem curæ aſsúmptus, & deformátam in Molíſmo diſciplínam cóndolens, ac recéſſum ad Vivíficum méditans, indéque per obediéntiam revocátus, tantùm effécit, ut cùm verbum innovándæ Religiónis motum fuíſſet, ipſe Stéphanus inter primos ferventíſſimo ſtúdio laborávit, ut locus Ciſterciénſis inſtituerétur. Quod ápprobans Hugo Lugdunénſis Præſul, & Legátus, novum Monaſtérium unà cum sóciis áppulit, ubi primùm Súpprior, moxque ſub Alberíco Abbáte Prior efféctus, ipſi per mortem ſubláto, cálculis ómnium ſufféctus eſt. Divíno óperi perſolvéndo talem adhibébat reveréntiam, ut cogitatiónes ſuas, Oratórium ingreſsúrus, depóneret ad óſtium. Regulárem obſervántiam ádeò excolébat, ut Cúrias Príncipum à Cœnóbio relegáret; paupertátem ita diligébat, ut Eccleſiáſticæ ſuppelléctilis tenuitátem obſervándam póſteris demandáret.
℟. Amávit eum.

Lectio vj.

DE filiórum morte ſine apparénti prole, contriſtátus, ob advéntum Sancti Bernárdi, ſociorúmque quos lætus excépit, miram Ordinis novélli fœcunditátem prænúnciat, & progréſſum admirátur. Multiplicátam gentem ſuam conſpíciens, eám-

eámque ſimul in Dómino cólligens, plura ex Ciſtércio deriváta Monaſtéria légibus, ſtatutíſque ſimílibus confirmávit, ob idque Chartam Charitátis, à Callíſto Secúndo confirmátam, & à ſucceſsóribus Summis Pontifícibus tantópere collaudátam cum cœteris Abbátibus compóſuit. Vírginis Deíparæ ſummè devótus plantatiónem novam ipsíus addíxit clientélæ ſinguläri, & sénio conféctus, morbis, & labóribus prægravátus ceſſit Præfectúræ, Rainárdum ſibi ſubſtítui curans, amóto Vidóne. Tandem méritis plenus, & húmilis ſpíritu migrávit ad Dóminum decimoquínto Kaléndas Máii, ejúſque corpus juxtà prædeceſsóris Alberíci ſepultúram ſolémniter à vicínis Abbátibus fuit appóſitum.

℞. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evangel. Ecce nos relíquimus. *ut in ſeptima die infra Octavam S. Benedicti. pag. 43. ix. Lect. & commem. S. Aniceti Pap. & Mart.*

Miſſa. Os juſti. *de Comm. Abbat. & fit comm. S. Aniceti Pap. & Mart.*

DIE XXI. APRILIS.

S. Anſelmi Epiſc. Conf. & Doct. Dupl.

Omnia ut in Brev. Rom.

DIE XXIV. APRILIS.

S. Melliti Epiſc. & Confeſs. Dupl.

Oratio. Exáudi quæſumus Dómine preces noſtras. *de Comm. Conf. Pontif. ij. loco.*

In j. Noct. Lectiones de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

MEllítus Abbas Románus, primus fuit inter præcípuos, quos à Beáto Gregório Magno sócios prædicatiónis accépit Sanctus Auguſtínus in Anglia. Qui ab Auguſtíni ſucceſsóre Lauréntio Londíni creátus Epíſcopus, Romam, defúncto jam Gregório, revérſus eſt, de neceſsáriis quibúſdam Ecclésiæ Anglórum cum Apoſtólico Papa Bonifácio Quarto tractatúrus. Et cùm idem Papa Reverendíſſimus cógeret Synodum Epiſcopórum Itáliæ, de vita Monachórum, & quiéte ordinatúrus, Mellítus inter eos aſsédit anno octávo Impérii Phocæ Imperatóris, ut quæcúnque erant reguláriter decréta, ſua quoque auctoritáte ſubſcríbens confirmáret, ac Británniam rédiens, ſecum Anglórum Ecclésiæ mandánda, atque obſervánda deférret.

℞. Invéni David. *Lectio v.*

MEllíto in Angliam revérſo Subaréctus Rex ad regna cœléſtia aſsúmptus, tres fílios, qui in infidelitáte permánſerant, hærédes relíquit. Qui mox Idólis cœpérunt palàm inſervíre, libertatémque ad idem faciéndum pópulis ſuis conceſsére. Cùm ergo Epíſcopum in Ecclésia cérnerent Euchariſtíam fidélibus miniſtrántem: quare non étiam nobis, dicébant, pórrigis panem nítidum, quem & Patri noſtro dare conſuéveras? Quibus ille, ſi vultis, aſſerébat, áblui fonte illo ſalutári, quo Pater veſter ablútus eſt; potéritis étiam panis ſancti partícipes eſſe. Cùm ergo baptizári renuíſſent, & ipſe panem vitæ nequáquam illis vellet tribúere, è Regno ſuo pulſum cum sóciis abíre juſsérunt. Qui aſsúmpto ſecum Juſto Ruffénſi Epíſcopo, & prædicatiónis sócio, ſimíliter ab idololátris ejécto, in Gálliam ſeceſſit. Undè mox à Lauréntio Archiepíſcopo, à Beatíſſimo Apóſtolo Petro in ſomnis admónito, ambo ſunt in Angliam revocáti. Sed cùm Londinienſes à Sacerdótibus Idolórum decépti, Mellítum recípere nollent, ad Lauréntium rédiit: cui in Regnum Cœléſte tandem profécto, in Archiepiſcopátu ſuccéſſit, tertiúſque à Beáto Auguſtíno Dorverniénſis Ecclésiæ régimen ſuſcépit.

℞. Póſui adjutórium. *Lectio vj.*

ERat quidem Mellítus podágra gravátus, ſed mentis gréſſibus ſanus, alácriter terréna quæque tranſíliens,

ſíliens, atque ad Cœléſtia ſemper anhélans: carnis étiam orígine nóbilis, ſed cúlmine virtútis nobílior. Dénique unum virtútis ejus, undè cétera intélligi poſſunt, teſtimónium réferam. Aliquándo Dorverniénſis Cívitas, igni per incúriam corrépta, crebreſcéntibus cœpit flammis conſúmi; quibus cùm nullo aquárum injéctu poſſet obsíſti; confídens Epíſcopus in Divínum, ubi humánum deficiébat auxílium, juſſit ſe óbviàm ſæviéntibus ígnium globis inférri. Erat eò loci, ubi flammárum ímpetus major erat, martyrium Beatórum quátuor Coronatórum. Ibi ergo perdúctus obſequéntium mánibus Epíſcopus, cœpit orándo perículum infírmus abígere, quod firmæ fórtium manus multùm laborándo nequíverant. Nec mora; ventus, qui à merídie flans urbi incéndia ſpárſerat, contra merídiem refléxus, primò vim furóris ſui à læſióne locórum, quæ contra erant, abſtráxit, ac mox fúnditus quieſcéndo, flammis páriter ſopítis, atque extínctis, compéſcuit. Hic ergo poſtquam annis quinque rexit Eccléſiam, migrávit ad Cœlos, ſepultúſque eſt cum Pátribus ſuis in Monaſtério, & Eccléſia Beatíſſimi Príncipis Apoſtolórum, anno ab Incarnatióne Dómini ſexcentéſimo vigéſimo quarto, octávo Kaléndas Maii.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Homo péregrè. *de Comm. Conf. Pont.*

Miſſa. Státuit. j. *Orat.* Exáudi. *ut in ſecunda Miſſa, reliq. ut in dic. Miſſa*. Státuit.

DIE XXV. APRILIS.

S. Franchæ Virg. Ciſter. Dupl.

Omnia de Comm. Virg. præter Lect. ſeq. Oratio. Exáudi.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

FRancha virgo Placéntiæ in Itália ex Vidálta nóbili família nata, ſtatim Altíſſimo in Eccléſia obláta fuit à matre, quæ ejus grávida ſibi viſa erat in quiéte continére in alvo catéllam cándidam, & latrántem. Hoc sómnio indicabátur fore, ut fília divíno cúltui mancipánda, lingua ſua medicináli, vúlnera peccatórum ſanáret, & oratiónis ſuæ efficácia ad Dóminum obſtinátos convérteret. Veritátem éxitus comprobávit; nam ea vix ſéptimum ætátis annum attígerat, cùm à paréntibus ſuis obtínuit, ut inter ſacras Chriſti Vírgines vitam religióſam dúceret. Monaſtérium Sancti Xyſti Ordinis Sancti Patris Benedícti ingréſſa, dúplici miráculo à Dómino condecoráta fuit. Cùm enim ſacrum velámen ab Epíſcopo ſuſceptúra eſſet, ínterim Angelus viſus eſt álio ejus caput cooperíre: dùmque profeſſiónem emítteret, modum & formam, qua Deo reddébat vota ſua, amíta ejus longè diſtans, Deo reveláante, cognóvit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

IN Abbatíſſæ mórtuæ locum ſuffécta múneris ſui partes diligentíſſimè explévit. Caréntiam nóbilem vírginem Placentínam, ut novum ſacrárum Vírginum Monaſtérium extrúeret, indúxit, cui illa Superiórum juſſu Ordinis Ciſterciénſis hábitu ſuſcépto, religiosíſſimè præfuit, ac plures nóbiles Vírgines, & Matrónas ad idem vitæ inſtitútum ampleçtendum animávit. Grandem de ſe triúmphum beáta Francha jejúniis, & vigíliis, ac flagéllis carnem mácerans reportávit. Hybérno témpore nudis génibus ſuper ſolum, expanſíſque mánibus, per quátuor, vel quinque horas perſeverábat, ita ut non raro obrigéret. Tota quadragéſima pane tantùm, & aqua reficiebátur. Multas, & graves perſecutiónes ſibi à Moniálibus illátas aſsídua oratióne, & invícta patiéntia ſuperá-

perávit. Humáni géneris hoſtis horréndis viſiónibus, ac tentatiónibus, & aliquándo veheméntibus íctibus eam à ſancto propóſito dimovére conabátur, quem tamen ipſa impávida ſemper elúſit. Cùm pro ánima cognáti ſui, quem valdè diligébat, ferventer oráret, is illi viſus dixit, ſe juſto Dei judício propter hæreſim damnátum.

℟. Dilexíſti juſtítiam.

Lectio vj.

CIvitas Placentína ab Innocéntio Tértio Summo Pontífice anathémati, & interdícto ſubjécta, précibus Beátæ Franchæ reſtitúta fuit fidélium communióni. Ei noctu Oratórium cláuſum íngredi volénti ultrò apértum eſt. Duo vini dólia exiccáta, illa præcipiénte vinum hauríri, plena divínitùs repérta ſunt. Inter orándum frequénter à Dei Parénte, aliíſque Sanctis viſitabátur. Déniquè rerum ſanctè actárum méritis cumuláta, inſtántis mortis præſcia, Eccléſiæ Sacraméntis muníta, multa de Deo, ac ætérna glória elocúta, plácido vultu, & qui cœléſtes núptias præſeférret, ad divínum Sponſum transívit, séptimo Kaléndas Máii, anno Dómini milléſimo ducentéſimo décimo octávo, ætátis ſuæ quadragéſimo tértio. Sacrum ipſíus corpus in Eccléſia ei dicáta religióſè aſſervátur, ac ex eo liquor ad ómnia morbórum génera depellénda efficacíſſimus ſæpíſſimè efflúxit, miríque odóris fragrántia exíndè effúſa. Glória cœléſtis Sanctæ Franchæ cuídam Mónacho Ciſterciénſi mirabílitèr reveláta fuit, ingéniſque miraculórum cópia poſt ejus óbitum ſecúta.

℟. Afferéntur.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Símile &c. decem Virgínibus. *ut in Comm.*

Miſſa. Dilexíſti juſtítiam.

DIE XXIX. APRILIS.

S. Roberti Abbatis. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter ea, quæ hìc ſunt propria.

Oratio. Intercéſſio.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

RObértus in Campánia nobílibus ortus paréntibus, cùm matri ſuæ de illo prægnánti, Dei Mater apparuíſſet, & dígitum ejus ánnulo ſubarrháſſet, dicens, velle, ut ſuus eſſet ſponſus fílius, quem in útero portábat, quod fuit cauſa, ut ómnia ſua Monaſtéria ipſíus Dei Matris nómini conſecraréntur: annum agens undécimum apud Sanctum Petrum de Cella ſuſcépit hábitum Regulárem. Ubi jejúniis, & oratiónibus vacans nocte, & die gratum Deo exhibébat obséquium, carnem ſpirítui, ſpíritum Creatóri ſubjíciens. Ipſo ſic diſponénte, à Mónachis illíus Monaſtérii elléctus in Priórem, à Tornodorénſibus in Abbátem cooptátur. Póſteà à quibúſdam Eremítis fuit rogátus, ut idem munus ſuper eis admítteret: quorum votis ſatisfecíſſet, niſi Tornodorénſes Mónachi reclamáſſent. Dimíttens núncios ſpem illis certam dedit, ſe quàm citò, ſi facúltas tribuerétur ei à Dómino, ad eos profectúrum.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

ASsúmptis póſteà duóbus sóciis, ivit ad nemus, cujus nomen Moliſmus erat, ubi própriis mánibus laborántes, ex ramis árborum domicília, & Oratórium conſtruxérunt, in eóque Dómino ſalutáres hóſtias, & ſacrifícium contríti cordis offerébant. Sed cùm máximè deſideráret, ubicúmque ſervi Dei reperiebántur, ipſe quoque reperíri, venit ad locum Hauz, & devótè ab iſtis Mónachis ſuſcéptus, páulò pòſt in ſuum Abbátem illum elegérunt. De ſuo tamèn ſecéſſu Moliſménſes contriſtáti, Summum Pontíficem adiérunt, ejúſque auctotitáte freti, Virum Dei re-

vocavére Moliſmum: in quo áliqui, ut Albericus, & Stéphanus, & álii duo, cùm Eremíticam vitam appéterent, ad locum, Vivíficus dictum, profécti ſunt; ſed ab illo pulſi, ad ſilvam Ciſtércium vocátam devenérunt, ubi, ædificáto Oratório in honórem Beátæ Maríæ perſeverárunt.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Audiens autem Beátus Robértus ſanctam ipsórum converſatiónem, aſsúmptis ſecum vigínti duóbus Mónachis perréxit ad eos, ut ſancti eórum propóſiti eſſet párticeps, & adjútor; à quibus cum ſumma devotióne ſuſcéptus, eíſdem aliquándiù patérna ſollicitúdine præfuit. Tanto Paſtóre deſtitui ægrè feréntes Mónachi Molíſmi Summum Pontíficem adiérunt, ut Beátum Robértum Molíſmum régredi cógeret. Annuens eis Póntifex Cabilonénſi Epíſcopo ſcripſit, quátenùs álio Abbáte Ciſterciénſibus ordináto, Robértum cógeret revérti Molíſmum. Diſpóſitis ergo, quæ ad obſervántiam, ſecúndùm Régulam Sancti Benedícti pertinébant, Abbátem eis loco ſui præfécit Albericum, & eo mórtuo, Stéphanum ſubrogávit, ſicque novéllæ illíus plantatiónis inſtitútor exíſtens Beátus Robértus, cùm utriúſque Monaſtérii, Moliſménſis ſcílicèt, & Ciſterciénſis régimen habéret, Molíſmum ſecúndò rédiit. Tandem cùm jam ſuum óbitum appéteret: ejus horam illi Dóminus revelávit, & anno ætátis ſuæ nonagéſimo tértio, clarus miráculis ſpíritum tranſmíſit ad Cœlos, tértio Kaléndas Máii anno Dómini milléſimo nonagéſimo octávo.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in Communi Abbat.*

Miſſa. Os juſti. *de eod. Comm.*

DIE V. MAII.

Sancti Pii Quinti Papæ & Confeſſoris, Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſſoris Pontificis, præter ea quæ ſequuntur.

Oratio.

Deus, qui ad conteréndos Eccléſiæ tuæ hoſtes, & ad divínum cultum reparándum, Pium Quintum Pontíficem máximum elígere dignátus es: fac nos ipsíus defféndi præsídiis, & ita tuis inhærére obséquiis; ut ómnium hóſtium ſuperátis insídiis, perpétua pace lætémur. Per Dóminum.

In ſecundo Nocturno. Lectio iv.

Pius in óppido Insúbriæ, quod Boſchum vocant, natus, ſed è Bonónia oriúndus ex nóbili Ghisleriórum família, cùm quatuórdecim eſſet annórum, Ordinem Prædicatórum ingréſſus eſt. Erat in eo admirábilis patiéntia, profúnda humílitas, ſumma vitæ auſtéritas, contínuum oratiónis ſtúdium, & regulâris obſervántiæ, ac divíni honóris ardentíſſimus zelus. Philoſophíæ verò ac Theologíæ incúmbens, ádeò in iis excélluit, ut illas docéndi munus magna cum laude per multos annos exercúerit. Sacras conciónes plúribus in locis cum ingénti auditórum fructu hábuit. Inquiſitóris offícium inviolábili ánimi fortitúdine diu ſuſtínuit: multáſque civitátes, non ſine vitæ diſcrímine, ab hæreſi tunc graſsánte immúnes ſervávit.

℟. Invéni David.

Lectio vj.

A Paulo Quarto, cui ob exímias virtútes chariſſimus erat, ad Nepesínum & Sutrínum Epiſcopátum promótus, & poſt biénnium inter Románæ Eccléſiæ Presbyteros Cardináles adſcríptus fuit. Tum ad Eccléſiam Montis Regális in Subalpínis à Pio Quarto translátus, cùm plures in eam abúſus irrepsíſſe cognovíſſet, totam Diœcéſim luſtrávit, rebúſ-

búſque compóſitis Romam revérſus, graviſſimis expediéndis negótiis applicátus, quod juſtum erat Apoſtólica libertáte & conſtántia decernébat. ℟. Póſui adjutórium.

Lectio vij.

MOrtuo autem Pio, præter ómnium expectatiónem eléctus Póntifex, nihil in vitæ ratióne, excépto exterióri hábitu, immutávit. Fuit in eo religiónis propagándæ perpétuum ſtúdium, in Eccleſiáſtica diſciplína reſtituénda indeféſſus labor, in extirpándis erróribus aſsídua vigilántia, in ſublevándis egéntium neceſſitátibus indefíciens beneficéntia, in Sedis Apoſtólicæ júribus vindicándis robur invíctum.

℟. Iſte eſt. *Lectio viij.*

SElímum Turcárum tyránnum multis elátum victóriis, ingénte comparáta claſſe, ad Echínadas ínſulas non tam armis, quàm fuſis ad Deum précibus devícit. Quam victóriam ea ipſa hora, qua obténta fuit, Deo reveláte, cognóvit, ſuíſque familiáribus indicávit. Dum verò novam in ipſos Turcas expeditiónem moliretur, in gravem morbum íncidit, & acerbíſſimis dolóribus patientíſſimè tolerátis, ad extréma devéniens, cùm Sacraménta de more ſuſcepíſſet, ánimam Deo placidíſſimè réddidit anno milléſimo quingentéſimo ſeptuagéſimo ſecúndo, ætátis ſuæ ſexagéſimo octávo, cùm ſedíſſet annos ſex, menſes tres, dies vigínti quátuor. Corpus ejus in Basílica ſanctæ Maríæ ad Præsépe ſumma fidélium veneratióne cólitur, multis à Deo ejus interceſſióne patrátis miráculis. Quibus ritè probátis, à Cleménte Undécimo Pontífice máximo Sanctórum número adſcríptus eſt.

℟. Juſtum dedúxit.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium. Homo péregrè. *ut in Communi Confeſſoris Pontificis.*

DIE X. MAII.

S. Petri Epiſc. & Conf. Ciſt. Dupl. Omnia de Comm. Conf. Pontif. præter ea, quæ hìc notantur.

Oratio. Exáudi quæſumus.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

BEátus Petrus in Viennénſi Diœcéſi piis ádmodùm paréntibus natus, piíſſimus ipſe ab ineúnte ætáte in Monaſtério Bonævállis Ordinis Ciſterciénſis ſanctæ converſatiónis hábitum ſuſcépit, ubi cùm ſe Frátribus ómnium virtútum exémplar exhibuíſſet, ómnium consénſu novi Monaſtérii Stamediénſis primus Abbas eléctus eſt. Quo in múnere mira prorſus, non tantùm erga ſuos fratres, ſed étiam erga extérnos, & peregrínos, charitátis exémpla perhíbuit. ℟. Invéni David.

Lectio v.

POſtmodùm à Tarentaſiénſi Clero in Paſtórem expetítus totíus Ordinis, máximè verò Sancti Patris Noſtri Bernárdi hortátu iſtud Archiepiſcopále munùs súbiit; cum tanta tamèn in victu, & veſtítu parcitáte, ut non minus vitæ auſteritáte, quàm múneris auctoritáte fratres ſuos Mónachos antecéderet: tantáque erat erga páuperes liberalitáte, & charitáte, ut ſua ſæpè cibária, étiam iter fáciens, paupéribus erogáret. Urgébat ádmodum Sanctíſſimum Paſtórem Chriſti cháritas, ita ut nullam horæ mórulam labi síneret, in qua de reformatióne ſuæ Diœcéſis, quæ Prædeceſsóris incúria peſsùm ierat, non cogitáret: quo factum eſt, ut brevi Tarentaſiénſis Eccléſia avítæ pietátis ſplendórem recuperáverit; & ut ipsíus voci vocem virtútis Dóminus ádderet, effécit, ut vitæ ipsíus ſanctimóniam miraculórum grátia comitarétur.

℟. Póſui adjutórium. *Lectio vj.*

SEd mundi glóriam pertiméſcens, cùm ad quoddam Germániæ præ-

dícti Ordinis Ciſterciénſis Monaſtérium ignótus divertíſſet; ibi miraculósè detéctus eſt; ſicque ad ſuam ſedem ſumma pópuli devotióne, & exultatióne redúctus eſt. Tandem ſumma in veneratióne à Summis Princípibus, Imperatóre nempè Friderico, & Rege Gálliæ Ludovíco Junióre hábitus, cùm annos ſeptuagínta tres complevíſſet, in médio fratrum pſalléntium, & orántium ánimam Deo réddidit.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Vigiláte. *ut in Comm. Conf. Pont. ij. loco. ix. Lect. & comm. SS. Gord. & ſoc. mart.*

Miſſa. Sacerdótes tui. *& comm. SS.*

DIE XIX. MAII.

S. Petri Cœleſtini Pap. & Conf. Dupl. Omnia de Comm. Conf. Pontif. præter ſeq.

Oratio.

DEus, qui Beátum Petrum Cœleſtínum ad ſummi Pontificátus ápicem ſublimáſti, quique illum humilitáti poſtpónere docuíſti; concéde propítius, ut ejus exémplo cuncta mundi deſpícere, & ad promíſſa humílibus præmia perveníre felíciter mereámur. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

PEtrus Cœleſtínus Æsérniæ in Samnítibus ex matérna alvo pellicula ſubnígra, monáſtici hábitus inſtar, corpúſculo obdúcta, mirabíliter pródiit. Puérulus à Deípara Vírgine, & Divo Joánne Evangeliſta ſæpenúmero erudítur. Adhuc puer áſpera, ac dévia móntium petens; in latebróſa ſpecu, undè & immánem Dracónem divína virtúte éxpulit, quinquénio commorátur: humíque cubans ſaxo ſubter caput ſtrato, cilício equórum pilis reticuláto, ac nodóſo ópere contéxto, terreáque caténa carnem mácerans, jejúniis, vigíliis, & oratiónibus tantùm profécit: ut jam tum exímiæ ſanctitátis haud dúbium ſpécimen præbéret. Et quamvis jejúnium perpétuò ſerváret (Domínicis diébus excéptis) nihilóminùs ſex Quadragénas per annum diſpóſuit; in quibus pane tantùm, & interdùm ſolis oléribus, aut pomis, vel caſtáneis, ſive fabis emollítis, aut crudis rapis veſcebátur; ſitim aqua ſedábat.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

HIſce intéreà diébus cilício gravem loricam ſuperinduébat, cujus póndere ejus caro per ſubintrántes cilícii nodos diſrumpebátur. Carnes nunquàm, vinum raró guſtávit, ita dilútum, ut ſpéciem omnínò mutáſſet. In orándo ádeò aſsíduus fuit, ut média nocte ſurgens, ad horam diéi tértiam perduráret: & mox ſumpto cibo, rursùs ad intempéſtam noctem oratiónem protráheret. Integrum Pſaltérium étiam cum Litaníis quotídiè recitábat. Multis ad ejus magiſtérium efflagitándum úndique confluéntibus, Ordinem Sancti Benedícti, in quo adoléſcens ſolémnem emíſerat profeſſiónem arctis Statútis Régulam fúlciens, rediviva inſtitutióne, Cœleſtinórum póſtmodum nuncupáta, mirificè propagávit. Inde ad Erémum revérſus, illíus fama ſanctitátis in dies creſcénte, abſens à Sacro Senátu Summus Póntifex deſignátur: quo in múnere, eódem, quo dudum vivéndi génere utens, ac círciter ſex menſes piè versátus, priſcam ſolitúdinem, in qua ſuavíſſimum, ac jucundíſſimum Angelórum, & Beatórum collóquium crebrò delibáverat, ſecum ánimo répetens, illámque amplíſſimo dominátui longè præferens, Urbíſque, & Orbis ipsíus ópibus, ac delíciis potiórem ducens: mirándo, inauditóque ſuprémi honóris, & ſui ipsíus contémptus exémplo, Papátu ſeſe ultrò abdicávit, & ad némora iterátò ſe recépit.

℟. Póſui adjutórium.

Le-

Lectio vj.

MIráculis ante & poſt óbitum innúmeris cláruit. Váriis namque, & inſanabílibus morbis laborántibus, ſanitátem ſigno Crucis, ac pane, & acqua benedíctis reſtítuit. Immúndis ſpirítibus divexátos ſanávit. Cœcis lumen, ſurdis audítum, elínguibus ſermónem, claudis greſſus réddidit, mórtuos ad vitam revocávit. Prophético étiam ſpíritu futúra prædíxit. Dénique Vir Dei sénio, & ærúmnis confèctus, migrávit ad Dóminum, annum agens octogéſimum primum, áurea Cruce miríſici fulgóris in áere apparénte, ubi ſanctíſſimam efflávit ánimam. Ejus Corpus à Sacris Campániæ Præsúlibus Summi Pontíficis juſſu honoríficè elátum primò in Ecclésia Sancti Antónii de Ferentíno cónditur, indéque poſt Aquilæ, ubi inaugurátus, & Pontifício fúerat diadémate redimítus, collocátur, & cólitur. Eum Clemens Quintus Póntifex Máximus Sanctórum número ſolémni ritu adſcrípſit.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. ut in Brev. Rom.

Miſſa ut in Miſſal. Rom.

DIE XXII. MAII.

S. Atthónis Epiſc. Confeſs. Vallumbr. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. ij. loco, præter ea, quæ ſequuntur.

Oratio. Exáudi quæſumus.

In j. *Noct. Lect. de Script.*

In ij. *Nocturno. Lectio iv.*

ATtho natióne Hiſpánus, Pátria Pacénſis, lítteris, & móribus cultíſſimus, jam ætáte provéctus in Itáliam venit, ut Sacra Romæ monuménta inviſeret, & Sanctórum Apoſtolórum límina adoráret; Exínde Sacrum Montis Caſsíni Archiſtérium, & Camaldulénſem ádiit Erémum, ex quibus in Dei amórem ita exárſit, ut cætera Sanctórum loca cupídiùs exoptáret vidére; Sed Vallemumbróſam aggréſſus, Monachórum ibi degéntium Religióne, & ſanctitátis viva imágine delectátus, relícto ſæculo, & Cucúllum indútus, Sanctíſſimi Patris Benedícti légibus, ac Vallumbrosánis ſtrictióribus inſtitútis ſe devóvit. Tanta in eódem Cœnóbio ſub Sancti Bernárdi Abbátis, & Cardinális directióne, virtúte, & apud omnes exiſtimatióne profécit, ut aſsúmpto ad Epiſcopátum Parménſem Bernárdo, mortuóque Theodoríco ejus Vicário Viro Sanctíſſimo, poſt quinquénnium, à quo hábitum súmpſerat Monáſticum, ómnium votis, & præcípuè ejúſdem Sancti Bernárdi précibus Abbas, & totíus Vallumbrosánæ Congregatiónis Generális eléctus ſit: Quo in múnere, & álios ad ſui imitatiónem provocávit, & multis Monaſtériis cónditis, ſacrum vitæ rigórem mirificè propagávit.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

FAma autem Sanctitátis ejus ubíque diffúſa, à Piſtoriénſibus ex eádem Congregatióne ſucceſsívè quartus Epíſcopus poſt Hildebrándum inſtantíſſimè depóſcitur. Quod munus jubénte Summo Pontífice, invítus licèt, & multùm relúctans admíttere coáctus, de Monáchicis nihilóminùs ſtúdiis, atque exercítiis nihil prætermíſit. Divíno cúltui addictíſſimus horis ómnibus tàm diúrnis, quàm noctúrnis ſemper intérfuit: Ægrótos, ut verum Paſtórem decet, diligentíſſimè fovit: afflíctos, víduas, pupíllos, ac páuperes recreávit, quos ope, ac ópera juvit, ſanctíſque móribus inſtítuit.

℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

ECcléſiam ſuam ad annos vigínti gubernávit, itaut ea tempeſtáte, in qua Schíſmata plura regnárunt, in Anglicáno Concílio, Matthæus quidam Cardinális Sancti Geórgii públicè díxerit: Romána, & Apoſtóli-

ſtólica Sedes beáta foret, ſi Atthónis Piſtoriénſis Epíſcopi ducerétur moderámine gubernáculi. Ejus inter mérita haud mínimum fuit impetrátio Reliquiárum Sancti Jacóbi Apóſtoli à Dídaco Archiepíſcopo Compoſtelláno, quem deínceps Piſtorienſes Urbis ſuæ Tutelárem ſibi adoptavérunt. Demùm méritis plenus, ac sénio conféctus, insígnibus à Deo miráculis honorátus inter Monachórum ſuórum manus Sanctam efflávit Animam, anno milléſimo centéſimo quinquagéſimo quinto, cujus Sacrum Corpus poſt centum octogínta annos íntegrum repértum, Cœléſtis odóris ſuavitáte fragrantíſſimum, adhuc incorrúptum in Eccléſia Epiſcopáli quiéſcit.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Vigiláte. *ut in Comm. ij. loco.*

Miſſa. Sacerdótes tui. *de eod. Comm.*

EODEM DIE.

Sancti Romani Abbat. Dupl.

Oratio. Intercéſſio. *de Comm. Conf. non Pontif.*

In j. Noct. Lect. de Script. occurr.

In ij. Noct. Lect. iv. Beáti Románi dies, cujus &c. *cum reliq. de Comm. Conf. non Pont.* j. *loco.*

In iij. Noct. Homil. in Ev. Ecce nos relíquimus. *ut in Comm. Abb.*

Miſſa. Os juſti. *de eod. Comm. Abb.*

DIE XXV. MAII.

S. Gregorii Septimi Pap. & Conf. Vall. Dupl.

Omnia de Comm. Conf. Pont. j. loco.

Oratio. Da quæſumus.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

GRegórius hujus nóminis Séptimus, ante Hildebrándus, Soánæ in Túſcia Parénte Fabro natus, inter ipſos pueríles luſus admirábilis fuit. Cùm enim Patre ligna dolánte, rejectánea ſegménta puerórum more collígeret, éaque ſimul conjúngeret, manum ejus movénte Deo factum eſt, ut cùm neſcíret líteras, illud tamen Davídicum oráculum exprímeret: Dominábitur à Mari uſque ad Mare: quo præſágio oſténſum eſt, quanta futúra eſſet illíus auctóritas, & potéſtas. Ab ipſa infántia ſub protectióne Sancti Petri Romæ educátus eſt: Sed cùm à ſæculo aliénus ſoli Deo ſervíre cúperet, Monáſticam vitam proféſſus, Cœnóbium Sancti Benedícti in Pátria ſua extrúxit ſub Inſtitúto Vallumbroſáno, quod pridem ampléxus fúerat. Deínde in Gálliam proféctus, in Monaſtério Cluniacénſi permánſit, ubi à Sancto Hugóne Abbáte Prior creátus eſt.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

SEd divína providéntia majóra de eo diſponénte, in ſalútem plurimórum edúctus, ac póſtmodum Románæ Eccléſiæ Cardinális creátus, multis virtútibus cláruit. Lugdúni Epíſcopum Simoníacum ad ſui críminis confeſſiónem miráculo adégit. Berengárium quoque in Concílio Turonénſi ad iterátam hæreſis abjuratiónem cómpulit. Cadolái ſchiſma ſua virtúte extinxit. Mórtuo Alexándro Secúndo invítus, & mœrens unánimi ómnium conſénſu, Summus Póntifex eléctus, ſicut Sol effúlſit in Domo Dei: nam potens ópere, & ſermóne, Eccleſiáſticæ diſciplínæ reparándæ, fídei propagándæ, libertáti Eccléſiæ reſtituéndæ, extirpándis erróribus, & abúſibus, ſtúdio indeféſſo incúbuit.

℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

PErſecutiónes, & calúmnias invícto ánimo tolerávit, áliquas Províncias à ſimoníaca labe expurgávit, Henríci Imperatóris ímpiis conátibus conſtantíſſimè réſtitit, eúmque Regno, ac fidélium communióne privávit. His, & áliis multis Apoſtólico zelo patrátis, ab Urbe recédens, Caſsínum ſe cóntulit, atque inde Salérnum proféctus ad dedicán-

dicándam Basílicam Sanĉti Matthæi Apóſtoli, cùm aliquándo in ea Civitáte ſermónem habuíſſet ad Pópulum, ærúmnis conféĉtus in morbum íncidit, quo ſe interitúrum præſcívit. Exáĉtis ítaque in Pontificátu annis duódecim, Vir verè Sanĉtus, críminum vindex, & acérrimus Ecclésiæ defénſor, migrávit in Cœlum anno ſalútis milléſimo oĉtogéſimo quinto, multis in vita, & poſt mortem miráculis glorióſus.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noĉt. Homil. in Evang. Homo péregrè. *ut in Comm.*

ix. Leĉt. & comm. S. Urbani Pap. & Mart.

Miſſa. Státuit. *cum comm. S.*

EODEM DIE.

S. Genadii Epiſ. & Conf. Dupl.

Oratio. Da quæſumus. *de Comm. Conf. Pontif.*

In j. Noĉturno Leĉt. de Script.

In ij. Noĉturno. *Leĉtio iv.*

GEnádius cùm ſub Arandisélli Abbátis piíſſimi, atque ſanĉtíſſimi viri nutu, & obediéntia per áliquot annos vixíſſet in Monaſtério Agénſi, ſecéſſum, ac ſolitáriam vitam ardénter deſiderávit, impúlſus exémplo acérrimo Monachórum, & Eremitárum, qui apud Sanĉtum Petrum de Montes Erémum vaſtíſſimam celebérrima cum laude incolébant. Undè ab Abbáte ſuo cópia illò demigrándi obténta, cum duódecim ſeléĉtis Mónachis in prædíĉtum Monaſtérium ſecéſſit: quod priùs inhabitáverant Sanĉtus Fruĉtuóſus, & Valérius; & ſanĉtitáte ſua clarum toto orbe fecérunt, ut geſta per illos habent. Nímia vetuſtáte attrítum, & in multis collápſum, hoc Beáti Petri Sacéllum Genádius cùm inveniſſet, feſtínè inſtauráre curávit, ut tantórum Monachórum ſummè convéniens domicílium præbéret, cui étiam ut annónam præſtáret, diſſipátis véprium, & móntium (quibus terra ſcatébat) ſpinétis, víneas, & fruĉtéta plantávit: quamvis ut cœléſtis agrícola pótiùs de virtútum pro ſe, quàm étiam pro omni plebe, conſitióne, & inſitióne curábat. Quo faĉtum eſt, ut à nóbili, potentíque Aſturicénſium pópulo ex universórum consénſu, quinímò, & contentióne propter reluĉtántiam Genádii duríſſimè obſiſténtis in Epíſcopum aſſumerétur.

℟. Invéni David. *Leĉtio v.*

POtiùs córpore, quàm mente Genádius à ſuo Monaſtério exulábat, quia non ſecus, ac vir divinórum contemplatióni per ómnia déditus, atque tráditus, quæ Dei, & ad Deum erant, meditabátur, & quæ mundi, & ſæculi, gravi averſabátur ſtómacho: ni pro injúnĉto ſibi múnere expedíret, illis morem gérere, & hílarem vultum præſtáre. Inde faĉtum eſt, ut non ſolùm illam ſuam ædem refíceret, redditibúſque amplificáret, decorarétque ſtruĉtúris, verùm, & duo ália in eádem Diœcéſi Monaſtéria erígeret, unum in Beáti Andréæ, álterum in honórem Sanĉti Jacóbi, quod vulgò Penálva vocátur, & inter utrúmque ad territórium, quod dícitur Siléntium, exímium quoddam Oratórium extrúxit in honórem Beáti Thomæ Apóſtoli. Ita étiam ómnia Monaſtéria honeſtávit ſuórum diſtributióne librórum: qui licèt pauciſſimi número, útpotè quatuórdecim volúmina tantùm: prétio tamen, & juſta æſtimatióne ímpares, & vel ſola ratióne poſſidéntis célebres.

℟. Póſui adjutórium.

Leĉtio vj.

MUnus Pontíficis ſtrénuè per ómnia geſſit, ádeò ut in ſtupórem cunĉtis, & in exémplum foret. Nec mirum: nam in charitátis offíciis totam penè diem inſumébat, & in contemplatiónum delítiis júgiter pernoĉtábat. Cujus Rachélis amplé-

pléxibus tandem illaqueátus, & tractus, Præſulátu ſe abdicávit, & ad ſibi diléctam ſolitúdinem (hoc eſt) ad Beáti Petri aſylum íterùm ſe recépit: ubi duríſſima jejuniórum, flagellórum, & séntium aſperitáte carnem dum macerábat, meditatióni perpétuus adhærébat. Undè bonórum ómnium plenus ex hac vita migrávit. Sepúltus à Diſcípulis ácriter ejus óbitum fléntibus fuit in Eccléſia Sancti Jacóbi de Penálva: ubi per multa ſæcula requiévit, uſque dum María de Toledo Ducíſſa Albæ, géneris claritáte conſpícua, & pietáte præſtántior decentíſſimè ſacra illíus tránſtulit oſſa in Monaſtérium, quod dícitur Laura, à ſeípſa própriis súmptibus eréctum ex fundaméntis in Civitáte Valliſoléti. Et ex horum ſacrórum óſſium congérie áliqua ſequeſtrávit munificentíſſimo, atque religiosíſſimo Monaſtério Sancti Benedícti Régii ejúſdem Civitátis, necnon & ejúſdem Ordinis cum Monaſtério prædícto Sancti Petri de Montes donávit. Ubi feſtum ejus magna devotióne cólitur, & feſtivitátis ſplendóre illuſtrátur.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Homo péregrè. *ut in Comm. Conf. Pont.*

Miſſa. Státuit.

DIE XXVI. MAII.

S. Auguſtini Epiſc. & Conf. *Dupl.*

Oratio. Exáudi quæſumus Dómine. *de Comm. Conf. Pont. ij. loco.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

ANno ab incarnatióne Dómini quingentéſimo nonagéſimo ſexto, Sanctus Gregórius miſit Servum Dei, Auguſtínum, & álios plures cum eo Mónachos Ordinis Divi Benedícti timéntes Dóminum ad prædicándum verbum Dei genti Anglórum. Qui accéptis de gente Francórum interprétibus, in Angliam deláti benígnè à Rege Edilbérto ſuſcépti ſunt. Erant autem viri fermè quadragínta Crucem pro vexíllo feréntes argénteam, & Imáginem Dómini Salvatóris in tábula depíctam, litaniáſque hujúſmodi, quóties alícui Civitáti appropinquárent, concinébant: Deprecámur te, Dómine, in omni miſericórdia tua, ut auferátur furor tuus, & ira tua à Civitáte iſta, & de domo ſancta tua, quóniam peccávimus tibi. Credidérunt ergo nonnúlli, & baptizáti ſunt mirántes ſimplicitátem, innocéntiam vitæ, & dulcédinem doctrínæ eórum cœléſtis. Erat autem propè Eccléſia quædam in honórem Sancti Martíni antíquitùs facta, dum adhuc Románi Británniam incólerent, in qua Regína, quæ Chriſtiána erat, nempe de gente Francórum nómine Bertha, oráre conſuéverat. In hac ergo & ipſi convenére primò; ibíque psállere, Miſſas fácere, prædicáre, & baptizáre cœpérunt, donec Rege ad fidem convérſo, majórem prædicándi, & Eccléſias erigéndi licéntiam accepérunt.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

INtérea Vir Dómini Auguſtínus Arelátem venit, & ab Archiepíſcopo ejúſdem Civitátis Ethério, juxta Sancti Patris Gregórii juſſa, genti Anglórum Archiepíſcopus ordinátus eſt. Reversúſque in Británniam, miſit contínuò Romam Lauréntium Presbyterum & Petrum Mónachos, qui Beáto Pontífici Gregório gentem Anglórum fidem Chriſti accepíſſe, ſeque Epíſcopum factum eſſe reférrent: ſimul & de iis, quæ neceſsáriæ videbántur, quæſtiónibus ejus consúlta flágitans. Nec mora; cóngrua quæsítis reſpónſa accépit, pluréſque cooperatóres, ac verbi miníſtros, in quibus præcípui erant Mellítus, Juſtus, Paulínus, & Ruffiniánus, & per eos generáliter univérſa, quæ ad cultum erant, ac miniſtérium Eccléſiæ neceſsária, vaſa vidé-

videlicet ſacra, & veſtiménta altárium, ornaménta quoque Eccleſiárum, & Sacerdotália, Clericáliaque induménta, Sanctórum étiam Apoſtolórum, ac Mártyrum relíquias, & códices plúrimos.

℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

AUguſtínus ergo plúribus conſtrúctis Eccléſiis, & ſui Ordinis Monaſtério, celebratáque ſemel, & íterùm Synodo, convocátis ad id Británum Epíſcopis ſuper celebratióne Paſchæ, & áliis eórum rítibus Eccleſiáſticæ unitáti adversántibus, veráque de his ómnibus doctrína evidéntibus miráculis confirmáta: Poſtquam ex sóciis prædicatiónis Mellítum, & Juſtum Epíſcopos ordináſſet, ſuffécto ſibi jam ánteà Lauréntio, dormívit in Dómino, ſepultúſque eſt in Eccléſia ab ejus ſucceſsóre perfécta, Principibúſque Apoſtolórum dicáta, séptimo Kaléndas Június, eódem Rege regnánte, anno Dómini ſexcentéſimo nono.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Vigiláte, quia neſcítis. *ut in Comm. Conf. Pontif. ij. loco.*

Lectio ix de S. Eleutherio Pap. & Mart. cum comm.

Miſſa. Sacerdótes tui. *de Comm. ii. loco, cum comm. S. Eleutherii Papæ & Mart.*

In ij. Veſp. à cap. de ſeq. comm. præc. & S. Joannis Papæ & Mart.

DIE XXVII. MAII.

S. Bedæ Presbyteri, Conf. & Doct.

Dupl. *Oratio.*

DEus, qui Eccléſiam tuam Beáti Bedæ Confeſsóris tui, atque Doctóris eruditióne claríficas: concéde propítius fámulis tuis, ejus ſemper illuſtrári ſapiéntia, & méritis adjuvári. Per Dóminum noſtrum.

In j. Noct. Lectiones. Sapiéntiam. *ut in Comm. Doct.*

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

BEda Présbyter, & Mónachus Cœnóbii Sanctórum Petri, & Pauli Apoſtolórum in Anglia, cùm eſſet puer ſeptem annórum ſub magiſtério Benedícti Abbátis in præfáto Monaſtério nutriéndus à paréntibus tráditur: in quo mirabíliter profíciens Doctor clariſſimus effúlſit. Anno vitæ ſuæ décimo nono Diáconus factus eſt, trigéſimo Présbyter ex quo témpore uſque ad últimum vitæ ſuæ docére, aut ſcríbere non déſtitit. Sicut enim ipſe de ſe fatétur, nihil illi dúlciùs erat, quàm divínas légere sédulò, & expónere Scriptúras. Nunquàm torpébat ótio, nunquàm à ſtúdio ceſsábat: ſemper legit, ſemper ſcripſit, ſemper dócuit, ſemper orávit, ſciens quòd amátor ſciéntiæ ſalutáris vítia carnis fácilè ſuperáret. Undè offícium Abbátis oblátum nunquàm vóluit ſuſcípere, ne cura rei familiáris diſtráctus ab ampléxu ſpecióſæ Rachélis, vel ad módicum tempus cogerétur diſcédere. Erat ei mos ex lectióne veheménter accéndi, & compúngi, ita ut ſæpè inter legéndum, & docéndum lácrymas effúnderet ardéntes. Undè poſt lectiónem, & ſtúdium ad oratiónes Sanctus Doctor devótus ſe conferébat, ſciens magìs Dei grátia, quàm própriis víribus ad Scripturárum ſciéntiam perveníri.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

EJus doctrína tanto prétio digna hábita eſt, ut Sérgius Papa ab Urbe Roma Geolfrído ejus Abbáti ſcrípſerit, eum exhórtans, ut abſque omni contradictióne fámulum Dei Bedam ad límina deſtináret Apoſtolórum, eò quòd ejus præséntia in árduis cauſis fídei Eccléſiæ Dei valdè útilis eſſet, & neceſsária. Scripſit prætérea de ómnibus ártibus, quas liberáles vocant, tractátus plures, atque pulchérrimos. Græcam linguam magna ex parte dídicit, nec

Hebrai-

Hebráicam ignorávit. Hábuit multos egrégios diſcípulos, quos ſtúdio, & exémplo ad amórem Scripturárum incredíbili fervóre provocábat. Nec ſolùm ſtúdiis, ſed quod iis ámpliùs eſt, religióne, & ſanctitáte, quos dócuit, fecit insígnes. Erat autem Beda decéntis ſtatúræ, incéſſu gravis, voce ſublímis, ore facúndus, & vultu decórus, & quadam jucunditáte admíxta ſevérus. Undè bonis, & devótis erat affábilis, ſupérbis autem, & negligéntibus terríbilis. Tandèm poſt multos labóres, quos ſcribéndo, & docéndo impénderat, ánimo toto ad pátriam ſuſpírans, in debilitátem íncidit, continuíſque ſeptem hebdómadis ante mortem ſtómachi indignatióne labórans, & angúſto ſpíritu hálitum prodúcens, ſtúdium nihilóminùs literárum nequáquàm omíſit: ſed totis iis diébus præter débitum pſalmódiæ penſum, illi intendébat, Evangeliúmque Joánnis iíſdem diébus Anglica lingua interpretátus eſt.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

FEria autem tértia ante Aſcenſiónem Dómini, accíta Congregatióne communicátus, & unctus eſt, oſculóque cunctis libáto, futúram ſui memóriam à síngulis implorávit. Die tandem Aſcenſiónis Dómini contra Oratórium, quo oráre conſuéverat, ſubjécto cilício decúmbens, illibáto ſenſu, & hílari vultu dicébat: O Rex glóriæ. Qua Antíphona finíta, ſpíritum efflávit ſexto Kaléndas Júnii anno Dómini ſeptingentéſimo ſexagéſimo ſecúndo. Mox tam ſuavíſſimus odor ſubſequútus eſt; ut omnes, qui áderant, in Paradíſo ſe eſſe putárent. Vixit nonagínta annos, ex quibus octogínta tres in Monaſtério egit. Hujus eruditíſſimi viri opúſcula étiam, eo vivénte, tantæ auctoritátis habebántur, ut jubéntibus Eccleſiárum Prælátis in Eccléſiis, & Convéntibus fidélium públicè legeréntur: Hinc factum eſt, ut cùm in Homiliárum títulis vivéntem non poſſent ſanctitátis nómine appelláre, Venerábilem nuncupárent, qui tunc títulus libris ejus ſemèl insértus, nunquàm póſtea deléri pótuit.

℟. Iſte homo.

In iij. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. b. 13.

IN illo témpore: Dixit Jeſus Diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ: quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Ev. Vos eſtis ſal terræ.

IN terra humána natúra, in ſale ſapiéntia verbis ſignificátur. Salis enim natúra terra effícitur infructuóſa; undè quaſdam urbes légimus victórum ira ſale ſeminátas, & hoc cónvenit Apoſtólicæ doctrínæ, ut ſale ſapiéntiæ compéſcat in terra humánæ carnis luxum ſæculi, aut fœditátem vitiórum germináre. Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? id eſt, ſi vos, per quos condiéndi ſunt pópuli, propter metum perſecutiónum, aut errórem amiséritis Regna Cœlórum, extra Eccléſiam póſiti inimicórum oppróbria ſuſtinuéritis, non dúbium. Vos eſtis lux mundi, id eſt, vos, quia vera luce illumináti eſtis, lux eis, qui in mundo ſunt, eſſe debétis. Non poteſt Cívitas abſcóndi ſupra montem póſita, id eſt Apoſtólica doctrína ſuper Chriſtum fundáta, ſive Eccléſia ſuper Chriſtum ex multis Géntibus fídei unitáte conſtrúcta, & charitátis bitúmine conglutináta: quæ ſit tuta intrántibus, & laborióſa adeúntibus: habitatóres cuſtódit, & omnes inimícos ſeclúdit.

℟. Iſte eſt. *Lectio viij.*

NEque accéndunt lucérnam. Sub módio ergo lucérnam ponit, quiſ-

quiſquis lucem doctrínæ cómmodis temporálibus obſcúrat, & tegit; ſuper candelábrum verò, qui ſe ita miniſtério Dei ſubjícit; ut ſupérior ſit doctrína veritátis, quàm ſérvitus córporis. Aliter Salvátor accéndit lucérnam, qui humánæ teſtam natúræ flamma ſuæ divinitátis implévit, & hanc ſuper candelábrum, ideſt Ecclésiam póſuit, quòd in fróntibus noſtris fidem ſuæ Incarnatiónis fixit. Quæ lucérna non pótuit ſub módio poni, id eſt ſub mensúra legis inclúdi, nec in ſola Judæa, ſed in univérſo illúxit orbe.

℟. In médio.

Lectio ix. & comm. de S. Joanne Pap. & mart. ex duabus fiat una. Niſi contingat hoc feſt. tranſerri, quia tunc dicitur ſequens. *Lectio ix.*

SIc lúceat lux veſtra coràm homínibus, quia éxpedit unicuíque per ópera bona placére Deo, & non hóminum falſo favóre gaudére. Nolíte putáre, quóniam veni ſólvere legem, aut Prophétas, impléreveni, quæ imperfécta fúerant, iram tollens, & taliónis vicem exclúdens, & occúltam mentis concupiſcéntiam próhibens. Amen quippe dico vobis; donec tránſeat Cœlum, & terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit à lege, donec ómnia fiant. Hæc enim tránſeunt, quando mutántur in mélius. Jota verò, quæ eſt cæteris líteris minor, & apex, quæ eſt ejus ſumma portiúncula, oſténdunt, quòd vel mínima legis præcépta ad perféctum perducúntur, & quia ómnia legis Sacraménta plena ſunt grátiæ ſpirituális. Aptè autem jota grátiæ, & non jod póſuit Hebræum, quia jota in número decem éxprimit, & decálogum legis enúmerat, cujus quidem apex, & perféctio Evangélium eſt.

Te Deum laudámus.

Miſſa. In médio. *j. Or. propr. dic.* Credo. *& fit comm. S. Joann. Pap. & Mart.*

DIE I. JUNII.

S. Ennecónis Abbatis. Duplex.

Omnia, ut in Comm. Abbat. Oratio.

PRopitiáre, quæſumus Dómine, nobis fámulis tuis per Sancti Confeſsóris tui Ennecónis mérita glorióſa; ut ejus pia interceſſióne ab ómnibus ſemper protegámur advérſis. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

SAnctius major Rex Navárræ, & Caſtéllæ, & Aragóniæ, consíderans ſemper ſe de inimícis ſuis triumpháſſe, & omnes illos per circúitum ſuum ſibi ſubjugáſſe: videns étiam, quòd poſt Maurórum invaſiónem, láici, ſeculariſque ordo Ecclésias totíus Hiſpániæ habérent, eas Eccleſiáſticis viris trádere decrévit. Et áudiens, Beáti Benedícti doctrínam ubíque rutiláre, cogitávit, quáliter in regiónibus ſuis eam poſſet ſtrictióri propagáre obſervántia. Et mittens ad Cluniacénſe Cœnóbium, evocávit inde Abbátem Patérnum, & cum illo gregem Monachórum, quos in Aſcetério Sancti Joánnis Baptíſtæ (quod nunc de Penna dícitur) conſtítuit. Ex quo Mónachos deínde quoſdam elégit, quibus Onníæ Cœnóbium à Sánctio Cómite ſócero ſuo conſtrúctum, pulſis ex eo auctoritáte Apoſtólica Moniálibus, trádidit incoléndum. Sed García pirmo Onniénſi Abbáte extíncto, in ejus locum Rex Ennecónem virum apud Aragonénſes ſanctitátis opinióne celebérrimum ſuffícere cogitávit. Ad quem Eremitárum vitam ſub Mónachi hábitu agéntem, cùm miſſis plúribus núnciis nihil profecíſſet, coáctus eſt Rex per ſemetípſum accédere, eúmque multis précibus tandem exorátum Onníæ Cœnóbio præfécit; quod plúribus munéribus donátum ſub Ennecóne Abbáte multò, quàm ántea fúerat, réddidit illúſtrius. ℟. Honéſtum.

Le-

Lectio v.

ENneco ergo verum Paſtórem agens, Mónachos docébat, páuperes alébat, ægrotántibus áderat, quæ ſua erant oblítus, aliénis profé-ctibus invigilábat. Vitæ ſanctitáti miráculaacceſsérunt. Nóbiles enim quidam, ímprobi tamen, qui Dei Virum crebris injúriis divexáverant, cùm ántea amicíſſimi ſemper fuíſ-ſent, mútuis ſe pòſteà vulnéribus confecérunt. Rúſtici étiam, qui in coléndo Cœnóbii agro Viro Dei óperam ſuam ímprobè negáverat, repéntè hortus exáruit, qui mox juſſu ejúſdem aqua benedícta conſpérſus, in natívum virórem ariditátem commutávit. Impetrávit prætéreà ſuis précibus à Dómino largíſſimum imbrem, cùm tota illa régio æſtu, & ſterilitáte laboráret. His ígitur, pluribúſque áliis miris in dies clárior Beárus Enneco apud Sotum longum extra Cœnóbium ægrotáre gráviter cæpit. Cui, dum ad Cœnóbium deportátur, viſi ſunt occúrrere exímia pulchritúdine púeri, accénſas lucérnas præferéntes; quorum labórem itíneris miſerátus ad circumſtántes convérſus eos hortabátur, ut púeros itíneris labóre feſſos fovérent, qui cùm nihil tale cérnerent, procul dúbio Angelos eſſe cognovérunt.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

INgraveſcénte deínde morbo, vocátos ad ſe fratres ſalutáribus mónitis inſtrúxit, Sanctiſſimíſque Eccléſiæ Sacraméntis coràm eis devotíſſimè ſuſcéptis, in Cœlum evolávit Kaléndis Júnii, Anno Dómini milléſimo ſeptuagéſimo primo. Sepultúſque eſt in eódem Cœnóbio, ad cujus ſepúlchrum plúrima mirácula fiunt. Quaprópter innúmera hóminum utriúſque ſexus multitúdo quotánnis Kaléndis Júnii ex ferè trigínta illíus regiónis pópulis circumquáque conſtitútis, ad Onniæ Cœnóbium cum ſolémni pompa convéniunt; Miſſarúmque Sacrifíciis Deo ad Sancti Ennecónis ſepúlchrum cum invocatióne ejus oblátis, læti, & ovántes óptima de præséntis anni ubertáte ſpe concépta, recédunt.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. Nolíte timére. *ut in Comm. Conf. non Pontif. ij. loco.*

Miſſa. Juſtus ut palma. *j. Orat. propr.*

DIE V. JUNII.

S. Bonifacii Epiſc. & Mart. Dupl.

Omnia de Communi unius Mart.

Oratio. Infirmitátem noſtram.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

BOnifácius natióne Anglus, cùm adhuc puer quinque annórum eſſet in quodam Cœnóbio Ordinis Sancti Benedícti in Anglia, quod Muſchélla dícitur, à paréntibus Dómino ſervitúrus oblátus eſt: In quo ſub diſciplína Wolfárdi, ac pòſteà Wigebérti Abbátum, proficiéntibus ejus ex témpore méritis, trigéſimo vitæ ſuæ anno Sacerdótii gradum ſuſcépit; tantúmque divínis líteris ſtúdium impéndit, ut Doctor ómnium opinióne claríſſimus haberétur, & eſſet. Tandem amóre Chriſti, & zelo animárum accénſus, cum licéntia ſui Abbátis Trajéctum in inferióre Germánia cómmigrans, per annos trédecim Friſónum, Francorúmque gentem in Fide Cathólica diligénter inſtrúxit.

℟. Honéſtum. *Lectio v.*

QUibus virtútibus illúſtris, à Gregório Secúndo Pontífice Summo Romam accersítus, ab eo Epíſcopus conſecrátur, ſecúndo Kaléndas Decémbris, & Bonifácius dici vóluit, cùm ánteà Winfrídus appellarétur; præſtitóque juraménto de fídei puritáte conſervánda, Moguntínæ Civitátis primus Epíſcopus deſignátus, ad illuminatiónem totíus Germániæ deſtinátur. Undè Germanórum Apóſtolus dici méruit. Brevi síquidem témpore, Francó-

niæ,

niæ, Baváriæ, Thuríngiæ, ac Saxóniæ pópulos Deo acquisívit; ubíque vítia extírpans, virtútes, Templa, ac Monaſtéria plúrima érigens, quibus miníſtros probatíſſimos præficiébat. Poſtquàm ergo decem, & ſex annis per Fríſiam prædicáſſet, in Dockum Oppido, nunc Leovardiénſis Diœcéſis, anno Dómini ſeptingentéſimo quinquagéſimo quinto, nonis Júnii, ab Infidélibus oppréſſus martyrio coronátus eſt, cum ſuis, quos plures, quàm quinquagínta in fídei prædicatióne cooperatóres habébat; in quibus trigínta Mónachi memorántur. Quorum ómnium Sanctórum Mártyrum Córpora Trajecténſes accipiéntes honoríficè ſepultúræ tradidérunt.

℟. Deſidérium. *Lectio vj.*

SAnctum tamen Bonifácium victi précibus Lulli Archiepíſcopi Moguntiam remiſérunt, quem ille in Fuldénſi Cœnóbio ab eódem Bonifácio ſtructo plúrimis insígnem miráculis ſepelívit. Scripſit Sanctus Bonifácius vitas quorúndam Sanctórum, & breves tractátus, opúſque insígne de virtútibus, & vítiis vérſibus exarátum. Ejus étiam ſcitè dictum de Sacerdótibus in Concílio Triburiénſi refértur: Interrogátus enim, an licéret in váſculis lígneis Sacraménta confícere, reſpóndit: Quondàm Sacerdótes áurei lígneis calícibus utebántur: nunc è contra lígnei Sacerdótes áureis calícibus utúntur. ℟. Stola jucunditátis.

In iij. Noct. Homil. Si quis venit ad me. *ut in Comm. unius Mart.*

Miſſa. Státuit. *de Communi unius Mart. primo loco.*

DIE VII. JUNII.

S. Roberti Abb. in Anglia Ciſt. *Dupl.*

Oratio. Intercéſſio.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

RObértus Eboráci in Anglia natus, pueríles ludos vitans, litterárum ſtúdio ánimum applícuit. Factus Sacérdos, & cujúſdam Eccléſiæ Rector, ſolitúdinis deſidério Sancti Benedícti hábitum ſuſcépit. Póſtmodùm verò ſtrictióris obſervántiæ cauſa, ad Ordinem Ciſterciénſem, & Monaſtérium de Fóntibus tránſiens, poſt probátam virtútem, à Riccarédo Abbáte novo Monaſtério præfícitur. Tanta autem cura, ac ſollicitúdine pro commíſſi ſibi gregis ſalúte invigilábat, ut cælitùs quandóque vocem audíerit, preces ſuas à Deo exaudítas, ſuóſque Mónachos in libro vitæ deſcríptos eſſe. Sólito offícii penſo non conténtus, quotídiè pſaltérium ex íntegro recitábat. Abſtinéntiam rigidíſſimè cóluit, & præcípuè in Quadragéſima pane tantùm & aqua veſci conſuévit.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

HAnc abſtinéntiam cumulábat miſericórdia in páuperes, quibus erogándum curábat, quidquid ſibi ſubtraxíſſet. Scutéllam aliquándò egénis dandam jubet, quam Angelus ſub ſpécie páuperis ſuſcépit, & evánuit: eámque póſteà coràm Sancto Abbáte inviſibíliter reſtítuit. Multa ei divínitùs reveláta fuérunt, & inter hæc navis longè pósita aquis absórta, undè miſſis frátribus cadávera in littus projécta ſepelíri mandávit. Mirum in malígnos ſpíritus impérium exércuit, nam intérdùm Dæmonem ingéntem ſeditiónem excitáre parátum prohíbuit, eíque præcépit, ut ad loca deſérta ſeſe conférret, nunquàm homínibus nocitúrus. Nocte quadam Sanctus Pater conſpéxit Dæmonem in chori áditu conſíſtere, & fratrum actiónes atténtè obſerváre, ſi quid fortè in iis culpándum deprehénderet. At vir Dei inſtántiùs pro fratrum ſuórum ſalúte oráre, ſingulóſque ſui offícii monére cœpit, hoſtémque tandem indignabúndum abſcédere cómpulit. Ipſum quoque Sátanam aliquándò

cachin-

cachinnántem in choro Conversórum aſpéxit, indéque trahéntem fune novítium, qui manè facto fugam arrípiens, latrónibus ſeſe adjúnxit, atque páulò poſt miſerabíliter périit. ℞. Amávit eum.

Lectio vj.

SAncto Patri Bernárdo familiáris factus beátus Robértus, ab ipſo zonam recépit pro múnere, per quam utriúſque méritis multa ægrótis benefícia colláta ſunt. Cum Godríco eremíta viro ſanctíſſimo ſæpè de divínis collocútus, ac Dei amóre mirífice ſuccénſus ſancto fine quiévit, anno milléſimo centéſimo quinquagéſimo nono, séptimo Idus Júnii. Ipsíus autem ánima níveo candóre fulgens inter Angelos viſa eſt ab eódem Godríco in Cœlum deférri. Complúra ejus interceſſióne patráta fuére mirácula, & quidam ex matris útero mutus, qui diù cum multis lácrymis ſancti Thomæ Cantuariénſis opem imploráverat, ab eódem ſancto Mártyre ipſi per viſum apparénte remíſſus ad ſepúlchrum Beáti Robérti Abbátis, optátum loquélæ benefícium percépit.

℞. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos. *de Comm. Abb.*

Miſſa. Os juſti. *de eod. Comm.*

DIE XI. JUNII.

S. Pariſii Conf. Camald. *Duplex.*

Oratio. Deus, qui nos. *de Comm. Conf. non Pontif.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Noct. Sermo S. Joannis Chryſoſt. Beáti Paríſii dies, &c. *ut in eodem Comm. Conf. non Pontif.*

In iij. Noct. Homil. S. Gregorii Papæ in Evang. Sint lumbi veſtri.

Miſſa. Os juſti. *de Comm. Confeſs. non Pontif.*

DIE XV. JUNII.

S. Felicis Monach. & Mart. *Dupl.*

Omnia de Comm. unius Mart. præter ea, quæ hìc ſunt propria.

Oratio.

DEus tuórum fortitúdo Sanctórum, qui Beátum Felícem illúſtri martyrio honoráre dignátus es; te súpplices exorámus: ut ipſo pro nobis intercedénte, fidem ejus ſectémur in terris, & glóriæ partícipes efficiámur in Cœlis. Per Dóminum noſtrum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

FElix Mónachus, ex óppido Complutenſi progénitus natióne Gétulus (eſt autem Getúlia Africæ pars) & quadam occaſióne in Aſtúrias devolútus, ubi & Fidem Cathólicam, & Religiónem Monáſticam dídicit, eódem die, quo Sanctus Anaſtáſius Présbyter, & Mónachus cápitis abſciſſióne martyrium complévit Córdubæ in perſecutióne Arábica. Poſt quos virgo quædam adoleſcéntula nómine Digna, ex Collégio venerábilis Elíſabeth Abbatíſſæ, Deo releváante, & confortánte, ad palmam procéſſit.

℞. Honéſtum. *Lectio v.*

HOc namque órdine hi tres vocáti: Anaſtáſius ſcílicet Présbyter, Felix Mónachus, & Digna Virgo Beáta, eódem die diſpáriter cecidérunt décimo octávo Kaléndas Júlii, Æra octingentéſima nonagéſima prima, qui eſt annus Dómini octingentéſimus quinquagéſimus tértius. Dénique hos ſequens Beníldis fémina, ætáte jam provécta, ſub profeſſióne cæterórum occúbuit, décimo séptimo Kaléndas Július, Æra, qua ſupra. Quorum cadávera poſt áliquot dies ingénti concremáta incéndio, ad últimum flúvii projéctu diſpérſa ſunt. At verò in Sancti Zóili, apud Carriónem nóbile óppidum, Monaſtério célebri Ordinis Sancti Benedícti Corpus ſancti Mártyris Felícis Compluténſis in argéntea theca ſervátur, magnáque religióne cólitur. Eò enim ex Córduba translátum fuit à Cómite

te Ferdinándo Gomézio, una cum Córpore Sancti Zóili Mártyris; prout antiquíſſima ejúſdem Cœnóbii monuménta teſtántur.

℟. Deſidérium. *Lectio vj.*

LIcèt enim Sancti Felícis, & reliquórum Mártyrum cadávera per ignem, & aquam fúerint diſſipáta, ne à Chriſtiánis invénta in honóre haberéntur, tamen pia Chriſtianórum ſedúlitas oſſa non pénitùs incéndio consúmpta, & in flúvium projécta, inde extráxit, & aſſervávit. Sanè régia diplómata vetuſtíſſima Monaſtério concéſſa, tria Sanctórum Córpora recénſent, quæ ibi cóndita hódie quoque cernúntur, ſcílicet Sanctórum Mártyrum Zóili, & Felícis, & Sancti Agápii Confeſsóris.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Noct. Homil. Si quis vult poſt me venire. *ut in Comm. unius Mart. ij. loco.*

ix. Lect. & comm. SS. Viti, & Modeſti, &c. mart. de duab. fiat una.

Miſſa. Lætábitur. *& comm. SS. Ev.* Si quis vult. *de Comm. ij. loco.*

DIE XVI. JUNII.

S. Luthgardis Virg. Ciſt. Duplex.

Omnia ut in Comm. Virg.

Oratio. Exáudi. *de eod. Comm.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

LUthgárdis Virgo Brabantína duódecim annos nata Moniálibus Nigris educánda tráditur. Ibi cùm adoleviſſet, & inſtántibus Procis in matrimónium propénderet, Chriſti vulneráti præséntia itá fuit ſauciáta, ut ſpretis illécebris ſolíus Cœléſtis Sponſi núptias ambíverit. Contemplatióni deínceps addícta, Religiónis forma, prophetía illúſtris, miráculis étiam cláruit Deíparæ Vírginis, ac Sanctæ Catharínæ roboráta collóquio, Chriſti Crucifíxi conſtrícta bráchio vivíficum latus exúgit, cor mútuans corde.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

CŒléſti mónitu Ciſterciénſem Ordinem, Maríæ felícem patrocínio, multis exémplo futúra ingréditur, ac brevi undequáque expetíta in Abbatíſſam, honórem ábnuit, id óbtinens à Patróna ſinguléri, ut idióma Gállicum nuſquàm edíſcere potúerit, undè cæteris inútilis própriis ſtudéret increméntis. Graſsánte in Gállia Albigénſium hæreſi, jejúnium ſepténnii, quo ſolo pane, & zytho vitam ſuſtentábat, Deum placatúra ſuſcépit ſemel, ac íterùm. Animábus in Purgatório geméntibus fuit auxílio, Dœmónibus terróri, quos verbi Dei fúlgure longè à ſe abigébat.

℟. Dilexíſti juſtítiam.

Lectio vj.

CErtátim in ea fervébant virtútes, ſed profúnda potíſſimum humílitas, & perfécta cháritas, qua uténte ad Agnétis martyrium ſuſpirávit, quod & expérta eſt. Quæ verò mirácula ſubtráxerat ejus humílitas, reſtítuit Dei poténtia ſanans infírmos, malè vivéntes convértens, deſperátos in ſpem véniæ cómmovens: úndecim annos orbáta lúmine patiéntiæ ſpécimen dedit. Moriénti tandem Chriſtus adſtitit, & tribus, quæ mandáverat fidelíſſimè præſtitis, felíciter ipſa obdormívit quarto idus Júnii anno milléſimo ducentéſimo quadragéſimo ſexto, ætátis ſexagéſimo quarto, nec defuére mirácula poſt óbitum.

℟. Afferéntur.

In iij. Nocturno Lect. de Homil. in Evang. Símile erit Regnum Cœlórum decem Virgínibus. *Reliqua ut in Communi.*

Miſſa. Dilexíſti. *de Comm. Virg.*

DIE XIX. JUNII.

S. Bonifacii Epiſ. & Mart. Camald. Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart.

Oratio. Deus, qui nos.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

BOnifácius in Theutónia illúſtri, & Imperatório ſánguini conjúncta ſtirpe progénitus, liberálibus diſciplínis à pueritia egrégiè inſtrúctus, Eccléſia antíqui Mártyris Bonifácii conſpécta, quod ipſe ei símile nomen géreret, in hanc vocem erúpit: Et quid ego, cùm Bonifácius vocer, martyr eſſe non débeo? Othónem juniórem, à quo únicè diligebátur in Itáliam ſecútus, cùm Beátum Romuáldum de mundi contémptu diſſeréntem audíſſet, divíno compúnctus ſpíritu cum áliis quàm plúribus ex eádem Theutónica gente, relícto ſæculo, ad Eremíticam vitam tranſíre conſtítuit. Quare Imperatóri valedicens, in diſciplínam ſe Romuáldi tradit: eúmque ad præséntem Erémum juxtà Ravénnam unà cum sóciis alácriter séquitur. Illic cùm novis alúmnis Sanctus Pater céllulas diviſíſſet, omnéſque, prout ab eo erudiebántur, variárum darent exémpla virtútum, Bonifácius præter cæteros elucébat: quantò enim nobilitáte ſublímior, tantò converſatióne humílior erat: Non tugúrii angúſtiam, non veſtis ſquallórem, non pedum nuditátem, non labórem mánuum erubeſcébat: abſtinéntia tanta erat, ut ſæpè nonníſi quinta féria, & domínico die cibum súmeret.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

TAnto patiéndi flagrábat deſidério, ut sícubi confértos vepres, atque urtícas cérneret, illic ſe projécto córpore volutáret: cùmque à quodam ex frátribus, eò quòd id públicè fáceret, aliquándo appellarétur hypócrita, æquo ánimo injúrias ferens, hoc unum reſpóndit: Tui ſint Confeſsóres, mei ſint Mártyres. Martyrii ítaque conſequéndi, ſanctæque fídei promulgándæ ávidus, vénia à Romuáldo obténta, & Archiepiſcopáli conſecratióne ab Apoſtólica Sede donátus, versùs extrémi Septentriónis oras, multis comitántibus iter arrípuit, & quamquàm neque arcta jejúnia relínqueret, & divínas horas tàm Canónico, quàm Monáſtico Ritu célebrans júgiter psálleret, ejus itíneris magnam partem nudis pédibus, & quidem cœteros antegrédiens confécit. Nec equo priùs uti vóluit, quàm Ultramontános fines ingrederétur, per quos cùm nullo crura, & plantas veláménto contéctus pérgeret, intolerábiles algóres ſuſtinébat, ut volens deſcéndere vix pedem à ſubhærénte ferro disjúngeret, niſi aqua priùs cálida ſubveníret.

℟. Deſidérium ánimæ.

Lectio vj.

DEnique ubi ad líttora Báltici maris pervénit, & coràm Rege Ruthenórum Chriſtum conſtantíſſimè prædicáret, admirábili experiménto, cùm médias per flammas transíſſet illæſus, ipſum ad Chriſtum convértit. Ejúſmodi miráculi tanta vis fuit, ut ſanctum virum ad ſpacióſum quendam lacum deſcéndere oportúerit, quo abundánte aquárum cópia poſſet confluéntes pópulos baptizáre. Hæc Regis frater à Chriſto abhórrens cùm iníquè ferret. Bonifácium comprehéndi, & públicè abſciſſióne cápitis intérfici jubet: ſtatim divína ultióne ille cæcus effécтus adſtántes verò vi ſentiéndi amíſſa, lápidum inſtar immóbiles rédditi ſunt. Ad quarum rerum núncium cùm Rex, plurimíque Chriſtiáni accurríſſent, précibus ad Deum fuſis, & Regis fratri viſum, & cœteris ſenſum reſtítui impetrárunt. Quare íllicò pœniténtes Chriſtiánam fidem ampléxi ſunt univérſi, ſupérque Beatíſſimi Mártyris Corpus venerábilem Eccléſiam conſtruxérunt.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Si quis vult poſt me veníre. *de Comm. un. Mart.*

ix. Lect. ex duab. fiat una, & comm. SS. Gervaſ & Soc. mart.

Miſſa. Sacerdótes Dei. *de eod. Comm. ij. loco, cum comm. SS.*

DIE XX. JUNII.

Comm S. Florentinæ V. & M. Ant. & ℣. ut in Comm. Virg. Oratio. Exáudi.

DIE XXIII. JUNII.

Comm. S. Ediltrudis Virg. Ant. & ℣. ut in Comm. Virg. Oratio. Exáudi.

DIE XXV. JUNII.

S. Guilelmi Abb. Dupl. Oratio. Intercéſſio. *de Communi Abb.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

GUilélmus nobílibus paréntibus Vercéllis in Insúbria natus, vix quartumdécimum ætátis ſuæ annum expléverat, cùm miro quodam pietátis ardóre flagrans, peregrinatiónem aggréſſus eſt ad celebérrimum illud Sancti Jacóbi Templum in extréma Hiſpánia, quò ex univérſo orbe Chriſtiáno, voti perſolvéndi cauſa, frequentíſſimi hómines convéniunt. Quod iter nudis pédibus, única tantùm amíctus túnica, ac dúplici férreo círculo præcínctus proſecútus eſt: innuméraque in eo, & immánia famis, ſitis, frígoris, & æſtus, ſummo cum vitæ diſcrímine, eſt perpéſſus incómmoda. Revérſus in Itáliam novam peregrinatiónem ad Sanctum Dómini Sepúlchrum, quod Hierosólymis cólitur, molítur: ſed quò minùs propóſitum exequátur, vária, atque graviſſima intercédunt impediménta, Divíno Númine ad altióra, & ſanctióra religióſam júvenis índolem retrahénte.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

POrrò dum in Solículo Monte biénnio commorátur, interímque inédia, vigíliis, chaméuniis, atque aſſíduis oratiónibus macerátur, divína ſubníxus ope cæco lumen reſtítuit. Quo édito miráculo fama percrebreſcénte jam Guilélmi latére non póterat: quare íterùm Hierosólymam adíre cógitat, & álacris ſe itíneri commíttit. Dei autem mónitu, qui eídem appáruit, à propóſito revocátur, utílior, ac fructuóſior apud Italos, quàm apud éxteras natiónes futúrus. Tum Monaſtérium in Virgiliáni Montis cacúmine, quod deínde Vírginis eſt appellátum, loco áſpero, & inaccéſſo miránda exædíficat celeritáte. Sócios deínde viros, & religióſos adſcíſcit, eóſque ſacris légibus ad certam vivéndi normam, non modò Evangélicis præcéptis, & consíliis ſummóperè accomodátam, ſed ex inſtitútis Beáti Benedícti magna ex parte deſúmptam, révocat: verbóque, ac ſanctíſſimæ vitæ exémplo ſumma cum ómnium admiratióne, & proféctu confórmat.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

ALiis deíndè Monaſtériis eréctis, clárior in dies Guilélmi facta ſánctitas, multos ad eum úndique viros perdúcit, ſanctæ vitæ odóre, ac miraculórum fama alléctos. Nam muti loquélam, ſurdi audítum, áridi vigórem, varióque, & immedicábili morbo laborántes, ſanitátem ipsíus interceſſióne recepérunt. Aquam in vinum convértit, áliaque complúra mirabília patrávit; inter quæ illud non ſiléndum, quod muliércula ad ejus caſtitátem tentándam, à Rogério Neápolis Rege miſſa, cùm léctulum, in quo oblectaréntur, à Sancto Viro expóſceret, hic ardéntibus prunis humi lectum ſtravit, ubi illæſum ſe volútans, ad álium, quàm Véneris ardórem impudícam invitávit. Tum illa miránda rei novitáte extérrita, Regi rem geſtam refert: inde in ſummam Viri Dei veneratiónem Rex addúcitur. Demùm témpore ſui óbitus Regi, aliíſque pronunciáto, innúmeris virtútibus, & miráculis clarus obdormívit in Dómino, anno ſalútis milléſimo centéſimo quadragéſimo ſecúndo. ℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus. *in Comm. Abb.*

Ad Laud. comm. Oct. S. Joannis Bapt.

Miſſa. Os juſti. *de Comm. Abb. cum comm. Oct. S. Jo: Bapt.*

DIE III. JULII.

S. Theobaldi Conf. Camald. Dupl.

Omnia de Comm. Conf. non Pont.

Oratio. Adéſto Dómine. *de eodem Comm. ij. loco.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 1. de S. Victore.

Lectio iv.

SAncti Theobáldi vita, & glória ſpeciális, non tàm ad glóriam, quàm ad virtútem próvocat omnes, qui recto ſunt corde. Non recti planè, ſed pervérſi eſt ánimi antè quærere glóriam, quàm exercére virtútem, & velle coronári, qui legítimè non certáverit. Vanum eſt vobis, inquit, ante lucem súrgere, ita eſt; fruſtrà ad celſitúdinem nítitur glóriæ, qui priùs non cláruit virtúte: fruſtrà fátuæ vírgines ſponſo óbviàm ſurgunt, quarum lámpades extinguúntur: & ídeò fátuæ, quia vácuis gloriántur lampádibus, virtútis óleum non habéntes. Abſit mihi gloriári, niſi in glória eórum, quibus Prophéta congrátulans ait: Dómine in lúmine vultus tui ambulábunt tota die, & in juſtítia tua exaltabúntur; & infert: quóniam glória virtútis eórum tu es. Pulchrè non eórum, ſed virtútis eórum glória commendátur.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

QUæ enim ſine virtúte eſt glória, profécto indébita venit, præpróperè affectátur, periculóſè captátur. Virtus gradus ad glóriam: virtus mater glóriæ eſt: fallax glória, & vana eſt pulchritúdo, quam illa non parturívit. Sola eſt, cui glória jure debétur, & ſecúrè impénditur. Sancto Theobáldo nec virtus, nec glória deeſt, ſed quemádmodum ambæ res, & quo órdine in hómine proceſſérunt, id óperæ prétium intuéri: pugnávit fórtiter, viríliter ſuperávit, & ſic demùm glória, & honóre coronátur. Quómodò nempè inglórius remanſíſſet bellátor fortis, húmilis Theobáldus? Tútiùs ſanè æmulánda ſolidióra, quàm ſublimióra, & quæ magis virtútem redóleant, glóriam minùs. Studeámus proíndè móribus conformári, cui in mirabílibus ſimilári, & ſi vólumus, non valémus.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

ÆMulémur in viro sóbrium victum, devótum affectum, æmulémur manſuetúdinem ſpíritus, caſtimóniam córporis, oris cuſtódiam, ánimi puritátem, pónere frænum iræ, & modum linguæ, dormíre párciùs, oráre frequéntiùs, commonére noſmetípſos pſalmis, hymnis & cánticis ſpirituálibus, diébus júngere noctes, & divínis láudibus occupáre: æmulémur charíſmata melióra, æmulémur inquam, quod éxtitit liberális in páuperes, pátiens ad peccántes, benígnus ad omnes. Hoc enim mélius. In his forma eſt, cui imprimámur, in miráculis glória, à qua reprimámur: illa lætíficent, iſta ædíficent: móveant illa, iſta promóveant.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Nolíte timére pusíllus grex. *de Communi Conf. non Pont. ij. loco.*

In Laud. & Veſp. comm. Oct. Apoſt.

Miſs. Juſtus, ut palma. *& comm. Oct. Apoſt. & dic.* Credo.

DIE VII. JULII.

Sancti Willebaldi Epiſc. & Confeſs. Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. Pont.

Oratio.

DA quæſumus omnípotens Deus: ut qui Beáti Willebáldi Confeſſóris tui, atque Pontíficis ſolémnia

nia cólimus: ejus apud te interceſſiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

WIllebáldus Ricárdi Anglórum Regis fílius, Regnum terrénum unà cum patre, & fratre Winebáldo, & soróre Walbúrge, qui omnes ſub Régula Sancti Benedícti monáſticam egérunt vitam, contémnens, & pro Chriſti amóre peregrínus factus, multis affúlſit virtútibus. Hic cùm adhuc quinque tantùm annórum eſſet, Sancti Benedícti Mónachis in Anglia líteris, & móribus imbuéndus tráditus, ádeò profécit, ut vir ſanctus, & doctus eváſerit.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

POſt plures verò annos pátriam déſerens Romam venit, deíndè Hierosólymam proféctus eſt; viſitatíſque multis Sanctórum locis, in Itáliam revérſus, decimóque peregrinatiónis ſuæ anno Caſſinénſis Mónachus effícitur. Sed à Gregório Papa ejus nóminis Tértio sócius prædicatiónis in Germánia Sancto Bonifácio primo Archiepíſcopo Moguntíno, & mártyri miſſus, in Evangélio prædicándo multùm cum eo labórans innúmeras gentes ad Chriſtum convértit. Quare ab eódem Sancto Bonifácio authoritáte Apoſtólica primus Aureaténſis Epíſcopus fuit ordinátus. Quo múnere ſanctíſſimè functus, multis virtútibus, & miráculis clarus in Chriſto quiévit, nonis Július, Gregórii Tértii, & Zacharíæ Romanórum Pontíficum témpora aſſecútus, circa annum Dómini ſeptingentéſimum trigéſimum quintum.

℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

HUjus relíquiæ unà cum corpóribus Sancti Winebáldi ejus fratris Abbátis Heidelménſis, & eórum sorória Sanctæ Walbúrgis Abbatíſſæ, allátæ ſunt ex Germánia, anno Dómini octingentéſimo ſeptuagéſimo, per Balduínum Pérreum Cómitem, Furníſque magno cum honóre repóſita, inſtitúto ad id Monaſtério Ordinis Sancti Benedícti, quod nunc eſt Canonicórum Collégium Diœceſis Ipréniſis. Ex Sanctæ Walbúrgis verò óſſibus, óleum hódiè in ſubjéctum argénteum vas miraculóſè défluit, quod multis grávibus morbis medétur. Eam elevávit primus Odogérus Epíſcopus conſénſu Adriáni Secúndi, qui eam juſſit Sanctórum Catálogo adſcríbi.

℟. Iſte eſt.

In iij. Nocturno Homil. in Evangel. Homo péregrè. *ut in Comm.*

Miſſa. Státuit. *de Comm.* j. *loco.*

DIE VIII. JULII.

S. Chiliáni Epiſc. & Mart. Semid.

Omnia de Communi unius Mart.

Oratio. Infirmitátem.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

CHiliánus natióne Hibérnus, nobílibus ortus paréntibus, & à pueritia liberálibus ſtúdiis erudítus; divína eum grátia præveniénte, cunctis mundi illécebris ſpretis, monáſticam vitam ſub Régula Divi Benedícti, in Monaſtério Huénſi in Hibérnia proféſſus eſt. In quo quantæ obediéntiæ, quantæ frugalitátis, quantæ in vigíliis, & oratiónibus inſtántiæ fúerit, vitæ præséntis términus declarávit. Coáctus à frátribus per gradus Eccleſiáſticos ad Presbyterátus offícium aſcéndere: iíſdem étiam cogéntibus regíminis Monaſtérii curam ſuſcépit. Sed tamen ſanctitátis ejus fama longè, latéque crebreſcénte, à láudibus hóminum ſibi prudénter métuens, cum ſibi benè notis sóciis, Præſulátu abdicáto, ſolóque natáli relícto, Herbípolim tandem in orientáli Fráncia pervénit, incrédulis illíus regiónis géntibus Evangélium prædicatúrus, ſimúlque ſibi occaſiónem martyrii, quod

quod magnópere deſiderábat, paratúrus. A prædicatiónis múnere ſanctè, & religióſè ínterim abſtínuit, donec ſe Románo Pontífici præſentáret: à quo & íntegrum Chriſtiánæ Religiónis dogma, & facultátem accíperet prædicándi.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

ROmam ígitur proféctus, & à Conóne Summo Pontífice Herbipolénſis Epíſcopus ordinátus, cum Colománno Presbytero, & Tornáno Levíta Mónachis longíſſimo eménſo itínere, ad locum ſibi deſtinátum pervénit, ubi divíni verbi prædicatiónem aggréſſus, Gosbértum Provínciæ Ducem idólis ánteà ſerviéntem, cum plúribus áliis ad Chriſti fidem convértit. Dux ergo, Beatíſſimi Præſulis aſsídua adhortatióne, multùm in Chriſti religióne proficiébat, ſed uxórem habébat Geilánam, quæ fratri ipsíus fúerat ánteà matrimónio copuláta: quas núptias Chiliánus nóluit Duci in ipsíus fídei ſuæ inítiis illícitas oſténdere, ne ea re abſtérritus, ſuſcéptæ Religiónis pœnitúdine afficerétur. Nactus deínde opportúnam Chiliánus occaſiónem, illícitum eſſe conjúgium illud Duci maniféſtat, ſimúlque ſuádet, ut ea dimíſſa, nihílque apud ſe príſtini erróris relínquens, íntegrum ſe Deo, quem agnóverat, reſtítuat. Dux primò ægrè ferre, múltaque, quò minùs diléctam ſibi cónjugem relínqueret, causári: mox Chiliáni ſuaſiónibus mítior factus, ei ſpopóndit, ſe ex itínere, quod advérsùs Reipúblicæ hoſtes arripiébat, revérſum, eam ſtatim relictúrum.

℟. Deſidérium. *Lectio vj.*

ID ut agnóvit Geilána, impoténti ira advérsùs Sanctum, ejúſque sócios accénſa, necem illis machinári cœpit; inventíque duo tanti ſcéleris prétio condúcti miníſtri, eos oratióni ardentíſſimè inſtántes, quippè qui divína revelatióne ſe eádem hora martyrio nóverant coronándos, interfecérunt. Tam immáne fácinus maríto ex itínere revérſo cœláre ſtudens Geilána nihil profécit. Duo enim illi carnífices à Dœmone arrépti, altérque própriis ſe déntibus lánians, alter verò ſuo ſe gládio confódiens ſcelus admíſſum, remque omnem detexérunt. Geilána dénique ſævíſſimè à Dœmone cruciáta, Chiliánum ſibi, quem injúſtè occíderat, nimìs inféſtum vocíferans, horrénda morte vitam finívit. Horum Mártyrum córpora Sanctus Burchárdus ex Mónacho Ordinis Sancti Benedícti Herbipolénſis Epíſcopus, à terra elevávit, & in Basílica à ſe erécta recóndidit, à Romanóque Pontífice impetrávit, ut eíſdem honor Sanctis Martyribus débitus deferrétur.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Noct. Homil. Si quis venit ad me. *ut in Comm.*

Miſs. Státuit. *de Comm. un. M. Pont.*

DIE XII. JULII.

S. Joannis Gualberti Abb. Congr. Vallumbroſ. Fundator. Dupl.

In j. Noct. Lect. & reliq. ut in Breviario ſub ſua die.

Miſs. propr. & ſit commem. SS. Naboris, & ſoc.

DIE XVI. JULII.

SS. Andreæ, & Benedicti Confeſſ. Camald. Duplex.

Omnia de Comm. Confeſſ. non Pontif.

Oratio.

DEus, qui nos Beatórum Andréæ, & Benedícti Confeſsórum tuórum ánnua ſolemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut quorum natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

ANdréas Svirádus, quem álii Zoerárdum nóminant, ex Polóniæ Província ortus, Chriſtiána Religióne, tùm primùm in Polónia, & Hun-

Hungária florénte, vitam monáſticam in Cœnóbio Zobor dicto, apud Nítriam Civitátem ſub Philíppo Abbáte profeſſus eſt. Mira illíus viri abſtinéntia, carníſque mortificátio prædicátur: quippe qui præter triduánam frequéntem inédiam, quadragéſimam quoque ſolis quadragínta núcibus conténtus, transígeret; & nihilóminùs tamen intérdiu operarétur: Noctu verò vix quidquam quiétis cáperet, ſedénti enim juxta ſpíneam ſepem, lumbíſque caténa occúlta ærea præcínctis, brevis ſomnus erat. Verúntamen in tanta cibórum parcitáte nunquàm ab elaboratióne ceſsávit: ſed accépta ſecúri ſolitárium ſilvæ penetrábat recéſſum, ibidémque tándiu in ópere perſiſtébat, quoad nímio labóre fractus, humi laberétur.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

ACcidit autem, ut die quodam ſic inſtar mórtui jacéret, cùmque dúbio procul ab omni humáno ſolátio deſtitútus extrémum ſpíritum edidíſſet, tunc ecce súbito júvenis exímio præfúlgens candóre, qui eum vehículo impóſitum, ad Cellam perdúxit, ac prótinùs evánuit: tum verò Andréas, ut colléctis víribus cognóvit, benígna Dei miſericórdia tantò perículo ſe eſſe perfúnctum, exultáre, & grátias ágere cœpit, Benedictúmque ejus diſcípulum, ne ante diem óbitus ſui rem admirábilem promulgáret, juraménto conſtrínxit. Cùm jam extrémus imminéret vitæ dies, tum Andréas illis, qui eum circumſtábant, præcépit, ne quid veſtimentórum, quibus operiebátur auférrent, uſque dum Abbas ipſe Philíppus, qui accersítus expectabátur, adéſſet.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

ABbas autem, eo defúncto, advéniens, ut primum ſacrum corpus de more lavándum, áttigit, caténam æneam ipſis viſcéribus pénitùs inhæréntem invénit, prorsùs quidem hoc martyrii genus occúltum manſíſſet, niſi ad umbílicum ligáti nodus apparuíſſet metálli. Solúta verò caténa dum ex córpore trahebátur coſtárum ſonus eliſárum ómnium aures cum horróre replébat. Andréæ in hujúſmodi ſanctis exercítiis defúncto, Benedíctus ejus diſcípulus, género ítidem Polónus ſuccéſſit; magíſtrique mores, & vitam imitátus, triénnium ſupervíxit. A latrónibus dénique ſpe inveniéndæ pecúniæ occíſus, & in flumen próximum, Vagum nómine, projéctus eſt, ubi corpus ejus deméſum totum annum ſub aquis delítuit: tandémque Aquilæ locum quotídiè obſervántis indício íntegrum, & incorrúptum invéntum, in Templo Sancti Emerámi córpori magíſtri ſui appóſitum eſt.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi veſtri præcíncti. *ut in eodem Communi.*

Miſſa. Os juſti. *de eod. Communi, cum Orat. ut ſup. in plurali.*

Orat. ſecr. ut jacet in Miſſali.

Poſtcomm.

Reſécti cibo, *& ubi dicit* in cujus hæc commemoratióne, *dicatur* in quorum hæc, &c. *& ubi dicit* ejus muniámur, *dicatur* eórum muniámur.

DIE VI. AUGUSTI.

SS. Stephani, & ducentorum Monachorum Martyrum Charadignæ.

Duplex.

Omnia de Comm. plur. Martyr. præter hæc propria. *Oratio.*

PRæſta quæſumus omnípotens Deus, ut qui glorióſos Mártyres Stéphanum Abbátem, & ſócios ejus Mónachos, fortes in ſua confeſſióne cognóvimus; pios apud te in noſtra interceſſióne ſentiámus. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

Ex Bulla S. D. N. Papæ Clementis Octavi. Lectio iv.

TEmpore, quo Arabum ſæva tyránnis in Hiſpánia Chriſtiános affligébat, atque Zaſa eórum Rex ímpius Caſtéllæ Províinciam devaſtábat, potiſſimùm verò Dei ſervos Fídei Chriſtiánæ propugnatóres, viros Religióſos, quos ſciret eſſe ipsórum execrábilis ſectæ acérrimos impugnatóres, veheménter exagitábat, inter álios venerábiles Mónachos, qui divérſis in locis Hiſpaniárum, propenſióri cultu Deo ſerviéntes, eorúmdem perſecutiónibus premeréntur, felicióres illi fuére, qui apud Burgos in Monaſtério Sancti Petri de Caradígna, Ordinis Sanctíſſimi Patris noſtri Benedícti, egrégia vitæ Sanctitáte floréntes digni invénti ſunt, qui omnes ſimul ducénti número ad martyrii corónam promoveréntur à Dómino Jeſu Chriſto.

℟. Sancti tui. *Lectio v.*

HI enim ſub Stéphano Abbáte ab ipſo viro Sanctíſſimo ad ſpirituálem palæſtram júgiter exercitáti, & carnem víncere, mundum contémnere, & debellàre aéreas poteſtátes edócti, audiéntes eóſdem adéſſe Arabes miníſtros Sátanæ, ipsórum ſánguinem ſitiéntes, nullam ſuſcípere voluére redemptiónem, ut meliórem inveníirent reſurrectiónem; ſed unánimes, Dei armatúra poténtes, ſpíritu fervéntes, ad quæque mala ſubeúnda perſtitére conſtántes: probéque intelligéntes, quòd non ſunt condígnæ paſſiónes hujus témporis, ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis, mútuis ſe exhortatiónibus ad ſubeúndum martyrium roborárunt, atque aſsíduis précibus muniérunt.

℟. Vérbera. *Lectio vj.*

SIc ígitur divína grátia confirmáti, in Monaſtérii cláuſtro fortes ánimo conſiſténtes, ſumma patiéntia irruéntes excepére carníifices: à quibus ſínguli crudéliter juguláti, optátam corónam martyrii percepérunt, octávo Idus Augúſti, féria quarta, anno ſalútis octingentéſimo vigéſimo quarto. Sepúlti ſunt ibídem Sancti Mártyres à Chriſtifidélibus, qui illùc convenére, poſtquam funéſta Arabum cohors inde recéſſit. Deus autem, qui ſuos mílites non ſolùm corónat in Cœlis, ſed & in terris éfficit glorióſos, ad ipsórum Mártyrum glóriam, locum illum célebri miráculo illuſtrávit; dum plúribus ſubſequéntibus annis, die anniverſáriæ ipsórum cædis, tanquam recénti cruóre aſpérſum eúndem rubéntem oſténdit, ſed & jam penè extínctam injúria témporum ipsórum memóriam réddidit ſua auctoritáte Sedes Apoſtólica redivívam, atque eam celebrándam ómnibus fidélibus repræséntat.

℟. Tanquam áurum.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Cùm audiéritis.

Miſſa. Intret in conſpéctu. *prima Orat. propr. ut ſup.*

DIE XX. AUGUSTI.

S. Bernardi Abb. Ciſt. Dupl.

Oratio.

PErfice, quæſumus Dómine, pium in nobis Sanctæ Religiónis effectum: & ad obtinéndam tuæ grátiæ largitátem; Beátus Bernárdus Abbas, & Doctor egrégius ſuis apud te ſemper pro nobis méritis, & précibus intercédat. Per Dóminum noſtrum.

Lect. j. Noct. de Script. cætera ut in Brev.

Miſſa. Os juſti. *de Comm. Abbat. prima Orat. propr. ut ſup. & fit comm. Oct. Aſſumpt.*

DIE XXI. AUGUSTI.

B. Bernardi Ptolomæi Abbatis, Congr. Olivet. Fund. Dupl.

Omnia de Comm. Confeſs. non Pont. præter hìc poſita.

In

In Hymn. Méruit ſuprémos.
Oratio. Intercéſſio.
In j. Noct. Lect. de Script.
In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

BErnárdum, qui in ſæculo Joánnes, Senis ex priſco Ptolomæórum génere natum, pia genitórum cura apud Religióſos Sancti Domínici educátum, priúſquam naſcerétur ſub ſpécie Cycni, roſtro ramum ex víridi decérptum ólea præferéntis, mater párere ſibi viſa eſt, qui è puérperæ ſinu pósteà divúlſus, áliis comitántibus, in Cœlum evoláret: quod Olivetáni Ordinis præſágium fuiſſe créditur. Adoléſcens equéſtri dignitáti eruditiónis præſtántiam adjúngens, Philoſophíæ, ac Juriſprudéntiæ proféſſor excélluit. Cùm aliquándo célebrem diſputatiónem inſtituíſſet, óculis repéntè captus, ſed à Deípara, quam impénſiùs colébat, voto ei nuncupáto oculórum lúmini reſtitútus, cáthedram conſcéndens, & lectiónis vice, facúndum de vanitáte mundi ſermónem habens, bonis ómnibus ſtatim abdicátis, eíſque in páuperes, & ália pia ópera erogátis, in ſolitúdinem Acconæ ſecéſſit, quò eum plures nóbiles cives, ejus voce, & exémplo permóti, conſectáti ſunt. Ibíque aſsíduis, & voluntáriis jejúniis, & flagéllis, cœteríſque córporis maceratiónibus, aſpérrimum, ſed divinórum, ac cœléſtium meditatiónibus ſuavíſſimum, novus homo novum anachoréticæ vitæ genus exórſus eſt.

℞. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

TAntam lucem Princeps tenebrárum ægrè cùm ferret, de quo vir Dei plúries divínitùs triumpháverat, famam illíus falſis criminatiónibus per ímprobos hómines apud Joánnem Vigéſimum ſecúndum Avenióne tunc ſedéntem, denigráre conátur. Quem Summus Póntifex ad ſe accersítum, ágnita ejus innocéntia, aliorúmque, qui ad ipſum ex ſanctitátis odóre conflúxerant, laudátum ad Guidónem Epíſcopum Aretínum deſtinávit; cui Inſtitúti ſub certa Régula approbándi jus, & facultátem cóntulit. Epíſcopus verò, triduáno indícto jejúnio, cándidum hábitum ſub Régula Sancti Benedícti cum insígnibus Religiónis, quam Congregatiónem Sanctæ Maríæ de Monte Olivéto denominávit, prout ipſi Antíſtiti in ſomnis fúerat à Deípara præmonſtrátum, ſervo Dei, ac sóciis impertívit.

℞. Amávit eum.

Lectio vj.

BErnárdus ſubíndè ad eum locum revérſus, ubi novæ plantatiónis prima jécerat fundaménta, ædem Deo ſacram ſub invocatióne Nativitátis Beátæ Maríæ Vírginis ædíficat. Porrò tanta erat in ipſo ánimi demíſſio, ut vix tandem ſuórum votis addúci potúerit, ad aſſuméndum Religiónis régimen, niſi poſtquam ternis moderatóribus paruíſſet. Fervor verò charitátis ejus in próximi ſalútem emícuit, cùm graſsánte Senis, & in ejus ditiónis ámbitu fœda peſtiléntia, & morbo laborántium tùm córporum, tùm animárum incolumitáti ſe, ſuóſque devóvit: quo ipſe morbo corréptus, ætátis ſuæ ſeptuagéſimo ſexto, méritis, & virtútibus insígnis, in Monaſtério Senénſi ſalutári reféctus épulo, inter pſallentium, paritérque mœréntium manus exúltans, immaculátum ſpíritum Deo réddidit decimotértio Kaléndas Septémbris, anno ſalútis reparátæ ſupra milléſimum trecentéſimo quadragéſimo octávo, ibíque miráculis clarus, ſepúltus eſt.

℞. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos. *de Comm. Abbat. com. Oct.*

Miſſa. Os juſti. *de eod. Comm. fit comm. de Oct.*

DIE II. SEPTEMBRIS.

S. Nonnoſi Abbat. *Dupl.*

Omnia

Omnia de Communi Confeſs. non Pont. præter ea, quæ ſequuntur.
Oratio. Intercéſſio.
In j. Noct. Lect. de Script.
In ij. Nocturno. *Lectio iv.*
Ex Libro Dialogórum Sancti Gregórii Papæ. *Lib.* 1. *Cap.* 7.

NOnnóſus ſub aſpérrimo ſui Monaſtérii degébat Patre: ſed ejus mores mira ſemper æquanimitáte tolerábat. Sicque frátribus præerat in manſuetúdine, ut crebrò Patris iracúndiam ex humilitáte mitigáret. Quia verò ejus Monaſtérium in ſummo Montis Soráctis cacúmine ſitum eſt, ad quémlibet parvum hortum frátribus excoléndum nulla patébat planíties, unus autem brevíſſimus locus in látere montis excréverat, quem ingéntis ſaxi moles naturáliter egrédiens occupábat. Quadam verò die dum Nonnóſus, vir venerábilis, cogitáret, quod ſaltem ad condiménta ólerum nutriénda locus idem aptus potuíſſet exíſtere, ſi hunc moles ſaxi illíus non tenéret, occúrrit ánimo, quod eámdem molem quingénta boum pária movére non poſſent. Cùmque de humáno labóre facta eſſet deſperátio, ad divínum ſe ſolátium cóntulit, ſeque illic noctúrno ſiléntio in oratiónem dedit.
℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

CUmque manè facto ad eúndem locum fratres venírent, invenérunt molem tantæ magnitúdinis ab eódem loco lóngiùs receſſíſſe, ſuóque recéſſu largum frátribus ſpátium ad excoléndum hortum dedíſſe. Alio quoque témpore cùm idem vir venerábilis lámpades vítreas in Oratório laváret, una ex ejus mánibus cécidit, quæ per innúmeras partes fracta diſsíluit: qui vehementíſſimum Patris Monaſtérii furórem timens, lámpadis prótinùs ómnia fragménta collégit, atque ante altáre póſuit, ſeque cum gravi gémitu in oratiónem dedit. Cùmque ab oratióne caput leváſſet, ſanam lámpadem réperit, quam timens per fragménta collégerat. Sicque in duóbus miráculis duórum Patrum virtútes imitátus eſt. In mole ſcílicet ſaxi, factum Gregórii, qui montem movit: in reparatióne verò lámpadis, virtútem Donáti, qui fractum cálicem príſtinæ incolumitáti reſtítuit.
℟. Amávit eum.

Lectio vj.

DUm quadam die in Monaſtério vetus óleum deéſſet, jamque colligéndæ olívæ tempus incúmberet, ſed fructus in óleis nullus apparéret, viſum Patri Monaſtérii fúerat, ut circumquáque fratres in colligéndis olívis ad exhibénda extráneis ópera pérgerent: quátenùs ex mercéde ſui óperis aliquántulùm Monaſtério óleum deportárent. Quod vir Dómini Nonnóſus fíeri cum magna humilitáte prohíbuit, ne exeúntes Fratres ex Monaſtério, dum lucra ólei quærerent, animárum damna pateréntur. Sed quia in Monaſtérii arbóribus olívæ páucæ inéſſe videbántur, eas cólligi præcépit, & in prælo mitti, & quódlibet parum ólei exíre potuíſſet, ſibímet deférri. Factúmque eſt, & ſuſcéptum in parvo váſculo óleum fratres Nonnóſo, Dei fámulo, detulérunt: quod ipſe prótinùs ante altáre póſuit, cunctíſque egrediéntibus orávit, atque accersítis póſtmodum frátribus præcépit, ut hoc, quod detulérunt, óleum levárent, & per cuncta vaſa Monaſtérii exíguè fundéndo divíderent, quátenùs benedictióne ejúſdem ólei ómnia infúſa videréntur, quæ prótinùs, ut erant vácua claudi fecit. Die verò áltera apérta, ómnia plena repérta ſunt.
℟. Iſte homo.
In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos. *de Comm. Abbat.*
Miſſa. Os juſti. *de eod. Comm.*

DIE

DIE XI. SEPTEMBRIS.

S. Vincentii Mart. & Abbatis. Duplex. Omnia de Comm. unius Mart. præter ea, quæ hic ſunt propria.

Oratio.

PReces pópuli tui, quæſumus Dómine, cleménter exáudi; ut Beáti Vincéntii Mártyris tui, atque Abbátis méritis adjuvémur, cujus paſſióne lætámur. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

VIncéntius Abbas Cœnóbii Sanctórum Mártyrum Cláudii, Lupértii, & Victórii in Subúrbio Legiónis Urbis, vir orthodóxæ fídei, Monaſticæque diſciplínæ obſervantíſſimus, cùm ab Ariánis, quorum bona pars per ea témpora in Gallæcia à Gothórum Régibus jam Cathólicis, idéntidèm deficiébat, nequáquam addúci poſſet, ut in eórum dogma à recta fide defléćteret, quin pótiùs eórum perfídiam, & errores deteſtátus, públicis conciónibus, & diſputatiónibus in his profligándis totus incúmberet, ab eis in conciliábulum addúctus, varieque circa fídei confeſſiónem, ut vel à Cathólicis, dúmtaxat verbis diſcéderet, tentátus eſt. Vincéntius verò primùm illis pravam, quam de Trinitáte ſenténtiam, Evangélica reclamánte veritáte, tuebántur, exprobrávit; deínde Nicénæ Synodi authoritátem objíciens, mortem ſe pótiùs ſubitúrum, quàm in áliquo, quamvis módico, ab ea deſcíſceret, proféſſus eſt. Quo reſpónſio irritáti, véſtibus ſpoliátum, acerbíſſimè flagéllant; flagellátum in obſcuríſſimum cárcerem trudunt. Ubi ab Angelo, multa luce cárcerem illuſtránte, viſitátus, priſtinæque valetúdini reſtitútus eſt.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

POſtrídie autem, cùm altíſſima voce coràm ómnibus ex fídei ſymbolo illud, quo præcípuè Ariána hæreſis damnátur, recitáſſet, ſcílicet: Nihil prius, aut poſtérius: Nihil majus, aut minus, ſed totæ tres Persónæ coætérnæ ſibi ſunt, & coæquáles; morti addícitur. Juſſus eſt autem occídi juxtà ſui Cœnóbii fores. Quò cùm ducerétur, vérbaque illa Chriſti in Cruce pendéntis ſubínde repéteret: Pater ignóſce illis, quia néſciunt, quid fáciunt, quidam ex ſatellítibus gládio ingénti vúlnere caput illíus percúſſit: quo ictu córruens ſpíritum Dómino réddidit; ætátis ſuæ anno quadragéſimo séptimo, Dómini verò ſexcentéſimo trigéſimo. Ejus Corpus Mónachi noctu rapiéntes juxta Eccléſiæ paríetem ſepeliérunt ad Occidéntem. Quibus vigilántibus viſus eſt inter Mártyrum choros, eis prædícens, adéſſe martyrii tempus, ſi qui cúperent; aut oportére illos, relícto Cœnóbio, in abditíſſimis ſe locis occultáre. ℟. Deſidérium ánimæ.

Lectio vj.

MOnachi ergo fuga ſibi conſuléntes, in Gallæciam ſe contulérunt, ubi áliud Cœnóbium ædificárunt, cui ex relícto nomenclatúram indidérunt, Sancti Cláudi ſimíliter appellántes. Quod à nigris, quales erant primi illi conditóres, longo témpore inhabitátum, hódie à Ciſterciénſibus Mónachis, qui ab illis oríginem ducunt, incólitur. Corpus verò Sancti Vincéntii divíno nutu póſteà repértum, & Ovétum deportátum; in Cathedráli Eccléſia argéntea Theca recónditum aſſervátur, quam illi ex voto ſuis impénſis cónſtrui curávit Magíſter Garcías, ejúſdem Eccléſiæ Archidiáconus anno Dómini milléſimo ducentéſimo ſexagéſimo octávo.

℟. Stola jucunditátis.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Si quis vult. *de Comm. un. Mart.*

Miſſa. In virtúte. *de Comm. prima Orat. propr.*

DIE

DIE XVI. SEPTEMBRIS.

Commem. S. Edíthæ Virgin. Antiph. & ℣. de Communi Virg.

Oratio.

DEus, qui nos ánnua Beátæ Edíthæ Vírginis tuæ ſolemnitáte lætíficas, da, ut quam venerámur offício, étiam piæ converſatiónis ſequámur exémplo. Per Dóminum.

Pro S. Edítha Virg. *Lectio ix.*

EDítha Virgo, Edgari Anglórum Regis fília, matris Vulfrúdis exémplum ſecúta, virtútum æmula, in Monaſtério Wilthoniénſi à téneris annis Deo dicáta, cucullóque Sancti Patris Benedícti indúta, ſæculum pótiùs ignorávit, quàm relíquit, líteris, & aſsídua lectióne Sanctórum excélluit. Virtútibus ornáta, præcípuè humilitátem, ſoróribus inſerviéndo, miríficè cóluit. In páuperes, in hóſpites, in egénos propensíſſima, líberis Regis lepróſos anteferébat, & quantò quis vílior, & defórmior apparéret, tantò ad eídem inſerviéndum promptiórem ſe gerébat. Regnum, mórtuo patre, & Eduárdo fratre, à procéribus Regni non ſolùm oblátum, ſed étiam per vim, ut acceptáret, procurántibus, recusávit. Demùm prænunciáto à ſancto Dunſtáno ſuę mortis die, felíciter ad ſponſum evolávit. Te Deum laudámus.

DIE XVII. SEPTEMBRIS.

S. Columbæ Virg. & Mart. Dupl.

Omnia de Communi Virg. & Mart. præter ea, quæ hìc ſunt propria.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius: ut qui Beátæ Colúmbæ Vírginis, & Mártyris tuæ ſolémnia cólimus, ejus apud te patrocínia ſentiámus. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In Quat. Temp. De Virgínibus præcéptum. *ut in Comm. Virg.*

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

COlúmba Virgo ex óppido Cordubénſi, nóbilis, & decóra, cùm inter bona paréntum tenérrimè in annis puelláribus degens, propóſitum Eliſabeth ſoróris ſanctimoniális agnóſceret, conféſtim terréna ómnia ſpérnere desíderat: ſed adverſátur puéllæ intentióni génitrix, quæ illam núptiis deſtináverat, ſed cùm nec illa conſentíret, nec mater desíſteret; ipſa mater, Dei providéntia ex improvíſo, mundo exémpta decéſſit. Rémanet ítaque Dei fámula, non tàm matris óbitu contriſtáta, quàm lætior grátia ſuæ devotiónis, ſine cujúſquam præjudício adimpléndæ. In Tabanénſi ergo Cœnóbio Virgo ſe terrénis éxuens, hæret cœléſtibus, & mentem ad ſtúdium Scripturárum convértens, fit ádmodùm erudíta.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

SUb regímine ítaque ſoróris ſuæ manens, méritis, & grátia honeſtátis ómnibus præívit; ſæpè enim ternas, & quatérnas horas, necnon uſque ad médium diem oratióni incumbébat, & cùm nulla reſonárent ſuſpíria, nec ullus ſingúltus audirétur, in magno tamen ſiléntio clamábat ad Dóminum, & divína ſuavitáte perfúſa, in lácrymas effluébat; adeòut perénnes aquárum rívuli ex óculis emanárent, quibus locus, in quo orábat, irrigabátur. Verùm beáta Virgo, quaſi parva eſſent hæc ómnia, ad martyrii corónam aſpirábat quibúſdam revelatiónibus ad id frequénter impúlſa. Quare in forum digrédiens, cùm ad Júdicem perveníſſet, emíſſa Chriſtiánæ Fídei profeſſióne, iníqua Mahométi dógmata conſtantíſſimè redárguit, cujus ſpéciem, vérbaque mirátus Judex, íllicò eam in palátium ducens, Satrapárum Concílio repræséntat.

℟. Dilexíſti juſtítiam.

Le-

Lectio vj.

QUi cùm fortíſſimam Vírginis conſtántiam miraréntur, neque ejus reprehenſiónem ferre valérent, contínuò ante fores Palátii eam trucidári præcípiunt. Quæ non ſe priùs decollári permíſit, quàm præmio lictórem tanquam insígnem benefactórem honoráret. Sic è vínculis córporis cápitis abſciſſióne ſolúta, martyr glorióſa volávit ad ſponſum, quintodécimo Kaléndas Octóbris, Æra octingentéſima nonagéſima prima, qui eſt annus Dómini octingentéſimus quinquagéſimus tértius. Nec mora, ut erat líneis indútum cadáver, ſporta immíſſum, álveo projíci Príncipes mandavérunt. Quod poſt ſextum diem illæſum & íntegrum quorúmdam ſolértia Monachórum invéntum, digno Officio in Basílica Sanctæ Euláliæ Vírginis, & Mártyris honorábilem méruit ſepultúram.

℟. Afferéntur regi.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Símile erit Regnum Cœlórum decem virgínibus. *ut in Comm.*

In Quat. Temp. ix. Lect. de Homil. & comm. Quat. Temp.

Miſſa. Loquébar. *prim. Orat. prop. ut ſup.*

DIE XIX. SEPTEMBRIS.

In Off. hujus diei commem. S. Theodori Epiſc. & Conf.

Orat. Exáudi quæſumus. *ut in Communi Confeſs. Pontif. ij. loco, & ſimiliter in Miſſa.*

DIE XXVI. SEPTEMBRIS.

S. Gerardi Epiſc. & Mart. Duplex.

Oratio. Infirmitátem. *cum comm. SS. Cypr. & Juſtinæ mart. ut in Brev.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

GErárdus Venétiis ex Sagréda Patrítia família natus, ab ineúnte ætáte divíno cúltui déditus, Monáſticum ampléxus eſt Inſtitútum ſub Régula Sancti Benedícti in Monaſtério Sancti Geórgii majóris Venetiárum, in quo divínis contemplatiónibus vacans, flagránti ánimo concupívit Domínicum Sepúlchrum invíſere. Cùm ígitur in Palæſtínam ténderet, pervénit in Pannóniæ partes, ubi tunc piíſſimus Rex Stéphanus regnábat, à quo benígnè excéptus, primùm heremíticam vitam duxit. Mox Epíſcopus creátus commíſſas ſibi oves verbo, & exémplo páſcere nunquàm déſtitit, donec in perſecutióne Chriſtianórum, quæ in Pannónia, ut ipſe prædíxerat, poſt Sanctíſſimi Regis óbitum ſecúta eſt, lapídibus óbrutus, martyrii palmam obtínuit; atque ſanctitáte, doctrína, & miráculis clarus, Hungarórum Apóſtolus méruit nuncupári.

℟. Honéſtum fecit.

Lect. v. & vj. de Sermone S. Auguſtini. Triumphális. *ut in Communi unius mart.*

In iij. Noct. Homil. in Evang. Si quis venit ad me. *ut in eodem Comm.*

ix. Lect. ex duab. fit una, & comm. SS.

Miſſa. Státuit. *de Comm. un. mar. primo loco.*

DIE V. OCTOBRIS.

SS. Placidi, & ſocior. Mart. Duplex ij. claſs. *Oratio.*

DEus, qui nos concédis ſanctórum mártyrum tuórum Plácidi, & ſociórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum ſocietáte gaudére. Per Dóminum.

Omnia ut in Comm. plur. mart.

In j. Noctur. Lect. Fratres debitóres. *ut in Comm.*

In ij. Nocturno. Lectio iv.

PLácidus Romæ Tertúllo Patre in primis nóbili natus, puer Deo oblátus, & Sancto Benedícto tráditus, tantùm ejus diſciplína, & Monáſticæ vitæ inſtitútis profécit, ut inter præcípuos illíus diſcípulos numerétur. In ſolitúdine Sublacénſi fontem divínitùs impetránti, ád-

fuit.

fuit. Adoleſcéntulus ad hauriéndam aquam egréſſus, & in lacum prolápſus, ejúſdem Patris império per Máurum Mónachum ſuper aquas ſicco pede curréntem, ſalvus mirabíliter extráctus fuit.

℟. Sancti tui Dómine.

Lectio v.

IN Sicíliam deíndè miſſus, Monaſtérium, & Eccléſiam in honórem Sancti Joánnis Baptíſtæ propè Meſsánæ portùm conſtrúxit, & trigínta Mónachos ſub ejúſdem Benedícti Régula cùm inſtituíſſet, ſanctitáte, & miráculis penè quotidiánis cláruit. Ejus ígitur vidéndi cauſa [illegible]m eò veníſſent Eutychius, & Victorínus illíus fratres, & Flávia virgo ſoror, eódem témpore illùc áppulit immánis quidam piráta, Manúcha nómine, qui capto Monaſtério, cùm Plácidum, & cœteros nullo modo addúcere potuíſſet, ut Chriſtum negárent, ipſum, fratréſque illíus, ac ſorórem crudéliter necári juſſit. ℟. Vérbera carníficum.

Lectio vj.

POrrò cum eis étiam Donátus, Firmátus Diáconus, Fáuſtus, aliíque trigínta Mónachi, Sancti Plácidi in jam dicto Cœnóbio Diſcípuli martyrii agónem fœlíciter conſummárunt, tértio nonas Octóbris, anno ſalútis quingentéſimo trigéſimo nono. Quorum ómnium córpora cánibus projécta, poſt áliquot deínde dies Gordiánus mónachus ex eódem Monaſtério fuga elápſus, intácta cùm reperíſſet, cum lácrymis ſepelívit. Tyránni autem non multò poſt ultrícibus maris undis absórpti, crudelitátis ſuæ pœnas dedérunt.

℟. Tanquam áurum.

In iij. Noct. Homilia in Evang. Sedénte Jeſu *: ut in feſto SS. Januarii, & ſocior.* 19. *Septemb. comm. S. Athiliani Epiſc. & Conf. in Laud. tantum.*

Oratio. Da quæſumus. *ut in Comm.*

Miſſa ut not. in Miſſali, in qua dic. Credo, *& fit comm. S. in Miſs. privat. tant.*

DIE VII. OCTOBRIS.

S. Martini Abb. Ciſterc. Dupl.

In Hymn. Méruit ſuprémos.

Oratio. Intercéſſio.

Fit comm. S. Marci Pap. & Conf. & SS. Sergii, & ſocior. mart.

Lect. j. Noct. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

In Feſto ſancti Martini Epiſcopi.

OPportúnè Martínus ad médium véniat, ut de médio fiat occáſio peccatórum. Hódie enim ille per ómnia ſímilis nobis, planè & ſenſíbilis, & paſsíbilis; ſed & longè poſt illa patriarchálium, & propheticárum témpora viſiónum, & homo purus, nihil de natúra divinitátis habens, credens autem in eum, quem non vidit, plenus fructu obediéntiæ, & virtútum lócuples, ſolum deſéruit, polum ſúbiit, terræ comméndans quod habébat è terra: ſpíritum dírigens ad Patrem ſpiríttuum, cui fidéliter in adoptiónis ſpíritu deſervívit. ℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

MArtínus iſte Chriſtus non fuit, ſed tamen Chriſtum hábuit, non quómodò Angeli in præséntia majeſtátis, non quómodò Apóſtoli in viſióne humanitátis, non quómodò olìm locútus eſt in viſióne Sanctis ſuis, ſed quómodò eum étiam nunc habet Eccléſia in fide & ſacraméntis. Non erat ille lux, ſed lucérna planè ardens & lucens: eum ſaltem non pígeat imitári, ſed imitári, in eo, quod eſt imitábile, non autem quod mirábile exhibétur. Dives eſt Beátus Martínus, dives in méritis, dives in miráculis, dives in virtútibus, dives in ſignis. Diligénter autem conſídera, quæ apponúntur tibi, quænam, vidélicet, ad admiratiónem, quæ verò ad imitatiónem.

℟. Amávit eum.

Le-

Lectio vj.

ALtíſſima, quæ fecit magnália, quidni miríſica quædam vaſa díxerim dívitis hujus, auro grávia, gemmis micántia, paritérque matéria & ópere pretióſa? Noli in his ſapórem quærere, ſed miráre ſplendórem. Líceat in hujúſmodi lucérna noſtra, ut in lúmine ejus videámus lumen, quod quidem purum, prout in ſe eſt, nec dum prævales intuéri. Non enim eſt iſte lux, ſed ut teſtimónium perhíbeat de lúmine, & appáreat tibi ínterim glorióſus Deus in Sancto ſuo, dum non potes ad glóriam ejus, ſícuti eſt in ſe ipſo. Cæterùm ne putáveris ornátas quidem Martíni lámpades, ſed vácuas inveníri, non eſt fátua virgo, habet in vaſis óleum.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos. *de Comm. Abb. ix. Lect. & comm. S. Marci, & SS.*

Miſſa. Os juſti. *de eod. Comm. cum comm. S. Marci, & SS.*

EODEM DIE.

S. Juſtinæ Virg. & Mart. Dupl.

Oratio.

DEus, qui nos ánnua Beátæ Juſtínæ Vírginis, & Mártyris tuæ ſolemnitáte lætíficas: da, ut quam venerámur offício, étiam piæ converſatiónis ſequámur exémplo. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

JUſtína Virgo Patavína, Vitaliáno viro illúſtri, & Præpedígna cónjuge, pari nobilitáte nata; Fidem Chriſtiánam, quam paréntes à Proſdócimo Sancti Petri diſcípulo accéptam piè coluérunt, unà cum lacte nutrícis ímbibit. Benè infans paréntibus orbáta Proſdócimo Epíſcopo educánda relínquitur: qui puéllam dócuit nobilitátem géneris Chriſti humilitáti ſubjícere, formam córporis ánimæ pulchritúdine ſuperáre, opes per manus ínopum in theſáuros cœléſtes transférre, omnibúſque aſſuéſcere veræ pietátis offíciis, quibus virgo Chriſtiána armátur ad pugnam fídei, ornátur ad thálamum ſponſi: unde Juſtína móribus priúſquàm annis matúra, nondum conjúgio apta, martyrio erat adúlta.

℟. Propter veritátem. *Lectio v.*

ETenim cùm Máximus Præſes in Chriſtiános Patávii deſæviens, ipſam pro tribunáli de fide Chriſti reſpondéntem, nec blandítiis remolléſcere, nec minis terréri cérneret, pectus viríle Vírginis ferro transfígi jubet. Sicque Juſtína virginitátis florem ſánguine purpurátum Jeſu Chriſto læta óbtulit nonis Octóbris. Quem diem Vírgini feſtum pia Reſpública Véneta augúſtiùs célebrat, ob victóriam Chriſtianórum ad Echínadas Inſulas de Turcis in ipſo reportátam. Corpus ejus juxta martyrii campum Proſdócimus ſepelívit, in loco, quo Chriſtiáni tunc Oratiónis cáuſa clàm conveniébant, atque Sacéllum à Proſdócimo Beátæ Maríæ Vírginis póſitum légitur; ubi templo póſteà Deo in honórem Juſtínæ dicáto, Monachórum die, ac nocte in Dei láudes incumbéntium Cœnóbium inſígne accrévit: quorum exémplis, & ópera ſub Juſtínæ patrocínio, collápſa Régulæ Benedictínæ obſervátio reſtitúta, & per Itáliam Mónachis Caſſinénſibus, quos ex veſte atra vulgo Nigros vocant, propagáta eſt.

℟. Dilexíſti juſtítiam.

Lectio vj

VEnétiis in Eccléſia Juſtínæ ſacra in hodiérnum uſque diem petra víſitur fóſſulis impréſſa, quas ipsíus génuum ſigna eſſe tradunt, dum in réditu à prædio ſuburbáno, in ponte angúſto à milítibus Præſidis inopináto deprehénſa, è carpénto, quo vehebátur, ſe prorípiens, in ſílices provolúta, caſtitátem ſuam,

ac

ac pudicítiam [cui ne violarétur ánxiè timébat] Deo commendáret, eo oratiónis ardóre, ac ímpetu, ut ſpirítui vehementiæ corpus Vírginis impellénti ſaxi rigor céſſerit.

℟. Afferéntur regi.

In iij. Noct. Homil. in Evangel. Símile erit Regnum Cœlórum decem virgínibus.

Miſſa. Loquébar. *j. Orat. ut ſupr.*

DIE X. OCTOBRIS.

S. Paulini Epiſc. & Conf. Semid.

Omnia de Communi Confeſs. Pont. præter ea, quæ hìc ſunt propria.

Oratio.

EXáudi quæſumus Dómine, preces noſtras; & intercedénte Beáto Paulíno Confeſsóre tuo, atque Pontífice, ſupplicatiónes noſtras placátus inténde. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

PAulínus, Mónachus Románus, Sancti Gregórii Papæ diſcípulus, cum Auguſtíno, & sóciis prædicatiónis grátia in Angliam miſſus, primùm à Juſto Cantuariénſi Archiepíſcopo Nordanhumbrórum Epíſcopus, ideſt Anglórum eórum, qui ad Aquilonárem Humbri flúminis plagam habitábant, fuit ordinátus, & ad eos miſſus, unà cum Edelbúrga Edelbérti Cantuariórum Regis fília, hac lege cum Eduíno eórum Rege adhuc éthnico nuptúra, ut licéret Regínæ, ſuíſque comítibus Chriſtiáno more vívere, promitténte étiam Rege, ſe, Chriſtiána religióne diligénter examináta, ſi ſánctior, & Deo dígnior inveniretur, Chriſtiánum futúrum. Quaſi comes ígitur puéllæ nuptúræ, Paulínus advéniens, ipſe pótiùs totis víribus intendébat, ut gentem, quàm adíbat, ad agnitiónem veritátis ádvocans, juxtà vocem Apóſtoli, uni viro vírginem caſtam exhibéret Chriſto. Primam ergo, quam ex Edelbúrga Eduínus ſuſcépit filiam, ſtatim Rege ipſo annuénte, baptizávit, deínde Regem in amplecténda Chriſtiána fide cunctabúndum inſtándo ímpulit, ut ea de re cum ſuis deliberáret, qua in deliberatióne, ádeò ſtrénuè ſe geſſit Paulínus, ut idolórum Pontifícibus primùm ad fidem convérſis, mox Rex abrenunciáta idololatría, Chriſti fidem lætus ſuſcéperit. Unúſque ex Idolórum ſacerdótibus, equo conſcénſo, & lánceaarrépta, eáque in fanum immíſſa, ad idolórum everſiónem réliquos animáverit.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

REx ígitur tumultuário ópere lígneam Basílicam Eboráci, in qua ſanctum baptíſma ab eódem Páulíno ſuſcépit, ſtatim érigens, eam deíndè lapídeam in honórem Sancti Petri Apoſtolórum Príncipis conſtruéndam curávit, ſedémque Epiſcopátus eſſe vóluit. Ex quo tantus fertur tunc fuíſſe fervor fídei, ac deſidérium lavácri ſalutáris, ut poſt omnem Prolem Régiam eo purificátam, trigínta ſex diébus contínuis aliquándo Sanctus Paulínus, in géntibus illis catechizándis, & in flúmine Gleno baptizándis, à manè uſque ad véſperam, ſine intermiſſióne áliqua, ímprobo, ſed pio ſtúdio deſudáverit. Quin & ad meridiánam Humbri flúminis plagam divértens, eíque genti Evangélium prædicans, Bleccam Lindacolínæ Civitáti Præféctum, cum tota domo ad fidem convértit, Baſilicámque lapídeam eréxit, in qua quotánnis multa mirácula fiébant.

℟. Póſui adjutórium. *Lectio vj.*

ADjútus eſt in hiſce pietátis opéribus Paulínus máximè Bonifácii Quinti, & Honórii Primi Romanórum Pontíficum líteris ad Eduínum Regem, & ejus cónjugem exhortatóriis, à quorum áltero ipſe quoque pállium accépit. Sed Rege in bello occíſo, magnáque in Nordanhumbrórum Eccléſia ſtrage ſubſecú-

ſecúta, Sanctus Paulínus, accépta ſecum Regína, Cántium, undè digréſſus primò fúerat, revérſus eſt. Ubi Roffénſis Eccléſiæ Paſtóre deſtitútæ curam ſuſcépit, ac ténuit, donec & ipſe, ſuo témpore, ad Regna Cœléſtia, cum glorióſi fructu labóris, aſcéndit ſexto Idus Octóbris anno Dómini ſexcentéſimo quinquagéſimo quarto.

℟. Iſte eſt.

In iij. Nocturno Homil. in Evangel. Vigiláte, quia neſcítis. *in Comm. Pontif. ij. loco.*

Miſſa. Sacerdótes tui. *de Comm. eod.*

DIE XIII. OCTOBRIS.

S. Mauritii Abb. Ciſt. Duplex.

Oratio. Intercéſſio.

Lect. j Noct. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

MAurítius in óppido de Lónduac Diœcéſis Briocénſis in Británnia minóri ex mediócris fortúnæ paréntibus prognátus, & lítteris in ſæculo óptimè inſtrúctus, exácta inter pietátis ópera adoleſcéntia, adúlta ætáte ductus cœléſti lúmine mundum deſéruit, & ad Monaſtérium Langonénſe Ordinis Ciſterciénſis recénter conſtrúctum convolávit. Tanta autem brevi édidit exémpla virtútum, ut, à profeſſióne nondùm expléto triénnio, commúnibus ſuffrágiis in Abbátem ejúſdem loci eléctus fúerit. Hoc onus ſuſcípiens invítus, ímpigrè ſibi oves commíſſas rexit, & diſcípulos ſuos reguláribus documéntis informávit, vir verbo, & ópere potens. Eménſis ſumma cum láude in regímine quinque luſtris, ſibi ſoli, & Deo vívere exóptans, álio idóneo operário in ſuum locum ſufféćto, qui víneæ Dómini invigiláret, in ſolitúdinem incénſo ſtúdio ſeſe recépit, ut ad inſtar emériti mílitis ſingulári certámine commúnem hoſtem vigíliis, jejúniis, & abſtinéntia, ac áliis ſpirituálibus exercítiis debelláret. Conánus Británniæ dux, & Richemóntis comes, andíta ſanctitátis Maurítii fama, libénter ejus fruebátur collóquio, & ſalutária ipsíus mónita amplectebátur: unde ei ſylvam, cui nomen eſt Carnoéta in Diœcéſi Coriſopiténſi aſſignávit. Sed ibídem adéſſe ſine diſcípulis non pótuit vir Dei, concurréntibus ad eum quamplúribus, quibus exímia ejúſdem ſanctimónia innotúerat.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

NOvo Cœnóbio in eádem ſylva brevi témpore ædificáto, quod beatíſſimæ Vírginis Maríæ nómine inſigníri vóluit, ſanctus Abbas non ſolùm piis opéribus flóruit, ſed & miráculis innúmeris cláruit. Cùm autem ibi Mónachi ſub Maurítio, Deo indeféſſo ſtúdio deſervírent, Conánus, ántequam bona illi Cœnóbio contulíſſet, univérſæ carnis fines ingréſſus eſt. Maurítius verò rebus neceſsáriis Monaſtério deficiéntibus, ſoli Deo confídens, ei magis, magíſque ſe, ſuóſque commendábat, per patiéntiam à Cœlo conſolatiónem expéctans. Cùmque aliquándò vinum non eſſet pro ſacro faciéndo, urcéolum vácuum beátus vir ſuſcípiens, fuſis ad Deum précibus, vino óptimo plenum réddidit. Ejus virtus, ac potéſtas in Dæmones admiránda appáruit, qui aut parébant ejus império, aut ſi fortè parére recuſábant, diríſſimè torquebántur.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

TAndem ſanctus Abbas à Dómino in Cœlum, die décima tértia Octóbris anno milléſimo centéſimo nonagéſimo primo, ætátis ſuæ ſeptuagéſimo quinto, ómnibus Eccléſiæ Sacraméntis confortátus, evocátus eſt. Tot autem ad ejus túmulum miràcula oſténſa ſunt, tamque ingens fama per álias longínquas Províncias de ipſis diffúſa eſt, ut Monaſtérium ántea dictum, ſancta María de Carnoéto, in Sancti Maurítii

nomen pertranſíerit: quod ex lítteris Apoſtólicis Honórii Papæ Tértii ſuper ipsíus canonizatióne córpori juris insértis elúcet. Inter plúrima mirácula, quæ ſancti viri funus illuſtrárunt, fuit célebris reſurréctio cujúſdam púeri in aquis ſubmérſi, & ſuffocáti, ad Sancti ſepúlchrum peráɕta. Ipsíus corpus è terra elevátum público cúltui expóſitum eſt, & ſolémni feſtivitáte ac offício quotánnis ſacra ejus memória recólitur.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos. *de Comm. Abb.*

Miſſa. Os juſti. *de eod. Comm.*

DIE XIV. OCTOBRIS.

B. Dominici Loricati Confeſs. Camald. *Duplex.*

Oratio. Adéſto. *ut in Comm. Conf. non Pont. ij loco.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

DOmínicus à férrea, qua ad carnem præcingebátur, loríca cognoménto Loricátus, cùm in Sacris à ſe ſuſcéptis Ordínibus Simoníæ labem áliquam Paréntum vítio inhæſíſſe accepíſſet, tanto ejus rei dolóre captus eſt, ut pœniténtiæ cáuſa in ſolitúdinem ſecédens apud Erémum illam, quæ Lucéoli dícitur, Monáſticum inſtitútum arripúerit, ubi ſub ſeverióris diſciplínæ Magíſtris Joánne de Monteféretro, ac Petro Damiáni, póſteà Cardinále, Epíſcopo Oſtiénſi, brevi tantùm Divína grátia profécit, ut ipſis Magíſtris eſſet admiratióni. Abſtinéntia in primis erat admirábili, ac ſolo dúmtaxat pane conténtus, ſæpíſſimè jejunábat, cui ſi aliquándo fœnículum addidíſſet, carnáliter ſe vívere dictitábat: ſomni parcíſſimus, íntegras ſæpè noctes in oratióne, ac ſui córporis caſtigatióne tranſigébat. Vixque dies ulla præteríbat, quin duo Pſaltéria modulándo, utráque manu ſcopis armáta, nudum corpus allíderet. Quadrageſimáli verò témpore ad Chriſti Dómini Paſſiónem expréſſiùs recoléndam, tértium quoque Pſaltérium eádem córporis affliɕtatióne adjungébat.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

CUm autem Divíni amóris æſtu in dies ſeípſum excruciándi novas adinveníret artes, ſuóque exémplo ad mortificatiónem Jeſu in córpore circumferéndam plúrimos provocáret, factum eſt, ut faciéndæ diſciplínæ mos ádeò in illis pártibus inoléverit, ut non modò viri, ſed & nóbiles mulíeres hoc purgatórii genus inhiánter arríperent. Ipſe verò ſemper ad perfectióra ſe exténdens, virgárum ſcopas in durióres corrigiárum ſcúticas in ſeípſum convértit. Aſpérrima quamvis hyeme, nudis ſemper pédibus incédere, atque única conténtus túnica rigidíſſimam paupertátem cólere inſtítuit. Nova ferreórum néxuum armaménta confíngens, multis ſe vínculis per divérſa membra ipſe síbimet Judex, ut reus, violénter arctávit. Hos tamen córporis cruciátus benigníſſimus Dóminus non ſine miráculo, módicè temperávit, ut qui ſanctæ devotiónis æſtuánti fúerat ardóre conſtríctus, pro Dei judício eſſet mirabíliter abſolútus.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

VIrginitátis dono fuit illúſtris, omnéſque Diáboli tentatiónes humilitáte, vigíliis, oratiónibus, ac jugi, conſtantíque linguæ, cæterorúmque sénſuum cuſtódia ſuperávit. Erat in eo ubérrima lacrymárum grátia, atque in divínis láudibus perſolvéndis fervor exímius. Ac dum inter ipſas compaſsíva teneritúdine intùs per mentis afféctum transformarétur in eum, cui ex nímia charitáte crucifígi complácuit, per exténſa páriter, ac ſuſpénſa in Crucis effígiem bráchia, Crucifíxo confórmis apparébat extériùs, tantúmque Di-

víinus

vinus ignis in ejus péctore æſtuábat, ut nunquàm permítteret, eum à ſpiritális exercítii labóre quiéſcere. Ad ſummam ítaque ſenectútem pervéniens, cùm nihil de vitæ aſperitáte remítteret, ſed interdícto étiam ſibi módico, quo per intervália utebátur, vino, magis illam augéret, in morbum íncidit, quo quamvis gráviter afflictarétur, ſexta tamen féria per continuum diem vix déſiit vel modulándis pſalmis inſíſtere, vel corrigiárum ſe íctibus flagelláre. Poſt decúrſum verò noctúrnæ Synáxis offícium, & matutínas horas, cùm prima jam hora ſibi à frátribus, qui áderant, cantarétur, ſanctum Deo Spíritum réddidit prídie Idus Octóbris anno ſalútis milléſimo ſexagéſimo primo. Ejus Corpus, nè ſuperveniéntium pietáte clam raperétur, in eádem, qua obíerat, Céllula cónditum fuit, ac nono poſt die íntegrum, incorruptúmque repértum, juſſu Petri Cardinális Damiáni indè ſublátum, reverénter, ut dignum erat, in Capítulo ſepelítur.

℞. Iſte homo.

In iij. Noct. Homilia in Evang. Sint lumbi veſtri. *de Comm. j. loco.*

Miſſa. Juſtus, ut palma. *de Comm. Confeſs. ij. loco. Evang.* Sint lumbi veſtri. *de Comm. ut ſup.*

DIE XV. OCTOBRIS.

In Off. hujus diei, comm. S. Brunonis Epiſ & Mart. Orat. Infirmitátem. *& S. Theclæ Virg. Antiph.* Símile. ℣. Diffúſa. *Oratio.*

DEus, qui nos ánnua Beátæ Theclæ Vírginis tuæ ſolemnitáte lætíficas, da, ut quam venerámur offício, étiam piæ converſatiónis ſequámur exémplo. Per Dóminum.

ix. Lect. de utroq.

SAnctus Bonifácius Archiepíſcopus Moguntínus, Germániæ Apóſtolus, & Martyr, cùm apud Turíngos, & Heſſos prædicáret, cernens multam quidem illic extáre meſſem, ſed operários eſſe paucos, & qui tantæ credéntium multitúdini inſtituéndæ non ſufficerent (centum mille enim ánimas convértit ad Chriſtum) miſit in pátriam ſuam Angliam, & accívit indè non modò viros religióſos, & multos jugi eruditióne præſtántes, ſed étiam féminas. In quibus præcípuè nominántur Conigúndis Sancti Lúlii matértera, & ejus fília Bértgitis, item Cunitrúdis, Thecla, Lióba, & Walbúrgis, ſoror Sanctórum Wilibáldi, & Wivibáldi: omnes liberálibus ſciéntiis erudítæ, quæ apud Thuríngos Virtútis magíſtræ ſunt conſtitútæ. Cunitrúdis miſſa eſt in Bajoáriam, ut Verbi Divíni ſeméntem illic fáceret, Lióbam Virgínibus ſacris apud Biſchofeshémium præfécit, Theclam dénique apud Magánum flúvium Kisíngæ, & Ochnofúrti vóluit manére. Quæ Vírginum Abbatíſſa conſtitúta, quaſi lucérna in caliginóſo loco lucens, plures ad monáſticæ vitæ amórem, & imitatiónem ſuo exémplo provocávit. Dénique cùm multas Chriſto ánimas acquiſivíſſet, quiévit in Dómino Idibus Octóbris. Cláruit anno ſalútis ſeptingentéſimo trigéſimo. Eódem die natális eſt étiam Sancti Brunónis Epíſcopi Ruthenórum, & Mártyris, ex Mónacho noſtri Ordinis, qui Evangélium in ea regióne prædicans ab ímpiis tentus, mánibus, pedibúſque præcíſis, cápite truncátus eſt anno Dómini milléſimo octávo indictióne ſexta.

Te Deum laudámus.

In Laud. comm. S. Brunonis Epiſ. & Mar. Ant. & ℣. de Comm.

Orat ut ſup. & S. Theclæ Ant. Veni Sponſa. ℣. Spécie. *Orat. ut ſup.*

In Miſſ. comm. S. Brunonis, & S. Theclæ, prim. Orat. ut ſup. rel. de Comm.

DIE XVI. OCTOBRIS.

S. Galli Abbatis. Dupl.

Oratio. Intercéſſio.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

GAllus Abbas nobílibus apud Scotos natálibus ortus, in Hibérnia in Monaſtério Benchor adoleſcéntulus vitam páuperem cùm elegíſſet, humilitáti, & obediéntiæ, perfectǽque ſubjectióni ſemper ſtúduit. Deínde verò cùm non morum tantùm, ſed & ingénii laude, ac ſanctárum Scripturárum ſciéntia, usúque apprímè floréret, prædicándi Evangélii cáuſa Abbátem Columbánum ſequútus, in Británniam, índeque in Gálliam trajécit: ubi Sigibérti Regis voluntáte Luxoviénſem ſolitúdinem dum incóleret, ad Chriſti fidem complúres, multos étiam ad Monáſticæ vitæ inſtitúta permóvit. Sed cùm Regis Theodoríci concubinátum redargúere Columbánus Abbas non desíſteret, Brunichíldis Regínæ inſtínctu Luxóvio pulſus, accépta à Theodebérto Auſtraſianórum Rege poteſtáte, in Alemánnia ad Lacum Turicínum primùm, deínde verò apud Brigántium óppidum, reconciliáto Sanctæ Auréliæ Templo consédit.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

VErùm quóniam Gallus idololatríæ ſcelus ubíque convellébat, fana, ac ſimulácra diſſipábat, gentílium ódia concitávit. Quibus étiam cedéndum ratus Columbánus, in Itáliam ipſe ad Agylúlphum Longobardórum Regem proféctus, Gallum fébribus deténtum, unà cum Magnoáldo, & Theodóro Mónachis in Alemánnia relíquit. Gallus verò octogéſimum quintum annum agens, mox ut convâluit, Erémum cùm jam dictis diſcípulis ingréſſus triduáno eam jejúnio, oratiónibus, ac lácrymis conſecrávit, & Monaſtérium cóndidit. In quo plures Fratres Monáſticis diſciplínis, divinarúmque Scripturárum intelligéntia ímbuit, gentes circumpóſitas Jeſu Chriſti fidem ſectári dócuit. Corpus ſuum inédia, frígore, cilício dénique, & caténa caſtigávit ità ſecrétò, ut de caténa ejus ærea, cilicióve, quibus ad hujuſcémodi exercítia uterétur, nec diſcípuli ejus, dum víveret, reſcírent. Fridebúrgiam Alemánniæ Ducis fíliam, Sigebérti Regis Sponſam à ſæviſſimo Dæmónio cùm liberáſſet, Ducis opulentíſſima dona ómnia commínuit, & apud Arbónam in páuperes erogávit. Epiſcopátum Conſtantiénſem, & Abbatíam Luxoviénſem ſuſcípere recuſávit.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

COlumbánum in Itália vitæ múnere ſanctíſſimè perfúnctum, per viſiónem in Alemánnia præcognóvit. Dénique cùm pópulos multos ab idolórum cultúra avocáſſet, ipsóque die Sancti Michaélis Archángeli apud Arbónam, poſt Miſſárum ſolémnia Evangélium prædicáſſet, febri in jam dicto óppido íterùm corréptus anno Dómini ſexcentéſimo vigéſimo quarto, Bonifácii Papæ Quinti ſéptimo, ſuæ ætátis nonagéſimo quinto, die verò décima ſéptima Kalendárum Novémbrium inter diſcipulórum manus expirávit. Sed cùm illìc nullo modo potuíſſet humári, indomitórum tandem equórum ductu, ardéntibus contínuò ad féretrum céreis, in ſacram Erémum perlátus, in Oratório ſuo Joánnis Epíſcopi Conſtantiénſis ſui olìm diſcípuli, fratrúmque mánibus ſepúltus, miráculis cláruit.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus. *ut in Comm. Abbat.*

Miſſa. Os juſti. *de eod. Comm.*

DIE XVII. OCTOBRIS.

S. Heduvigis Vid. Pol. Duc. Ciſt. Dup.

Omnia, ut in Breviario Romano.

Oratio.

DEus, qui Beátam Heduvígem à ſæculi pompa, ad húmilem

tuæ

tuæ Crucis ſequélam toto corde tranſíre docuíſti, concéde, ut ejus méritis, & exémplo diſcámus peritúras mundi calcáre delícias, & in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adverſántia ſuperáre. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitáte.

Miſſa. Cognóvi. *de Comm. nec Virg. nec Mart. j. Orat. prop.*

DIE XXIV. OCTOBRIS.

S. Bernardi Epiſc. & Confeſs. Ciſt. Duplex.

Oratio. Da quæſumus. *ex Comm. Conf. Pontif.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

BErnárdus cognominátus Calvónius à Manſo Calvo ejus natáli ſolo Tarraconénſis Diœcéſis in Catalónia, ſacris lítteris ſummóperè déditus, in theólogum conſummátum evâſit; nunquam ad libros niſi ab oratióne transíre ſólitus. Cùm jam insígni pietátis, doctrínæ, virtutúmque ómnium ſplendóre prælucéret, à plúribus Epíſcopis optabátur, ut in ſuis Eccléſiis Canónicus eligerétur: ipſe autem ad ſacram ſolitúdinem tantùm aſpírans, in Monaſtério de Sanctis Crúcibus Ciſterciénſem Ordinem ingréſſus eſt. Multis à profeſſióne Monáſtica in omni virtúte transáctis annis, Abbas eídem Cœnóbio eſt præféctus, ut cæteris ſuæ doctrínæ, & virtútis exémplo præíret. Ad viri Dei impérium creatúræ tùm irrationáles, tùm étiam insensíbiles natúræ vim cohibébant. Prophetíæ ſpíritu afflátus, plura humánæ cognitióni prorsùs impérvia prædicébat. Cùm in ipſum aliquándò nonnúllæ mulíeres procáces óculos injecíſſent, ejúſque pulchritúdinem, dentiúmque candórem immódicè commendáſſent, is caſtitátis, & pudicítiæ ſtudíosíſſimus, in ſe ipſum ſæviens & indignátus, divíno Spíritu impellénte, dentes ſibi lápide confrégit, nullum detriméntum in eſu, & in conciónibus ex ea læſióne perpéſſus.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

VIrtútibus ítaque & ſignis Bernárdus in univérſa Hiſpánia, & Gállia célebris, Auſetánæ ſeu Viquénſis Eccléſiæ invítus licèt & relúctans, & nonníſi authoritáte Apoſtólica compúlſus, conſecrátur Epíſcopus commúni Cleri, & pópuli acclamatióne. In hac quidem dignitáte emícuit Bernárdus uti vir verè apoſtólicus, qui boni paſtóris partes fidelíſſimè adímplens, ſíngulis diébus domínicis ad pópulum conciónem habébat, pupíllos, & víduas tuebátur, ægris ſubveniébat, pecúnia páuperes, júvenes egénos ſcholis addíctos eleemóſynis juvábat, ínopes vírgines ſuis súmptibus dotábat, & Diœcéſim própriam ſæpè ſæpiùs per ſe ipſum viſitábat. A Gregório Nono Pontífice Máximo contra hæréticos tunc témporis per Hiſpániam, & Gálliam graſsántes beátus Præſul unà cum duóbus frátribus Ordinis Prædicatórum Inquiſítor, & Judex inſtitútus eſt. Nec his conténtus infidéles plúrimos verbo prædicatiónis ad Chriſtiánæ fídei cognitiónem addúxit, collectóque mílite non páucas Paganórum urbes expugnávit, in quibus expúlſis Mahometánis veram religiónem ſtabilívit.

℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

ACérrimus éxtitit próprii córporis caſtigátor, & aliquándo pro levi culpa ſuos artus cíngulo férreo tam ſtrictè circumligávit, ut síbimet grave vulnus inflíxerit; quod cíngulum tamen nonníſi cælitùs admónitus depóſuit. Cùm ad própriam ſedem Sanctus Epíſcopus revertebátur, multótiès urbis campánæ ultrò pulsábant, quo ſigno cives Paſtóris ſui advéntum agnoſcébant. Inexplébili charitáti indúlgens, aliquándò tribus uvárum racémis ómnia do-

mus ſuæ dólia vino replévit, quod cùm ſíngulis diébus inter páuperes abundántèr diſtribuerétur, divínitùs augebátur, idémque de pánibus inter egénos diſpensátis intérdùm evénit. Méritis ítaque, & virtútibus clarus anno ſalútis milléſimo ducentéſimo quadragéſimo tértio ſanctíſſimam vitam pari morte conclúſit, multis adhuc poſt óbitum corúſcans miráculis, ítaut centum, & ampliùs authénticè comprobáta in Eccléſia Viquénſi facta legántur, & ejus feſtum offício eccleſiáſtico in ea Diœcéſi celebrátur. ℟. Iſte eſt.

In iij. Nocturno. *Lectio vij.*

Homil. in Evang. Sint lumbi. *de Comm. Conf. non Pont.*

Miſſa. Státuit. *Evang. ut ſuprà.*

DIE III. NOVEMBRIS.

S. Malachiæ Epiſcopi, & Conf. Ciſterc. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. ij. loco.

Oratio. Exáudi quæſumus.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

LIquet dilectíſſimi, quòd dum córpore retinémur, peregrinámur à Dómino: ac per hoc luctum magis, quàm gáudium miſerándum nobis indícit exílium, & conſciéntia delictórum. Quia tamen Apoſtólico ore gaudére cum gaudéntibus admonémur; in omnem nos ſuſcitári lætítiam tempus, & cauſa requírit. Nam ſi verè, quod Prophéta ſentit: Exúltant juſti in conſpéctu Dei, exúltat ſine dúbio Malachías, qui in diébus ſuis plácuit Deo, & invéntus eſt juſtus. Quod opus pietátis prætériit Malachías? Páuper ſibi, ſed dives paupéribus erat: Pater orphanórum, marítus viduárum, patrónus éxtitit oppreſsórum, hílaris dator, petítor rarus, accéptor verecúndus, pacis reformándæ inter diſcordántes fuit illi cura máxima, & efficácia multa. ℟. Invéni David. *Lectio v.*

QUis æquè pius ad compatiéndum, ad ſubveniéndum promptus, ad corripiéndum liber? Nam & zelans erat, nec déerat ſciéntia zeli ipsíus moderátrix. De quacúmque tribulatióne clamarétur ad eum, própriam reputábat, niſi quòd in ſua pátiens, in aliéna compátiens erat plerúmque, & impátiens nonnúnquàm, ſíquidèm replétus zelo pro áliis, in álios movebátur, ut erípiens ínopes, & réprimens fortes, consúleret proíndè ómnibus in ſalútem. ℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

ITaque iraſcebátur, ſed ne iraſcéndo peccáret, juxtà illud de pſalmo: Iraſcímini, & nolíte peccáre. Non ira illi, ſed ipſe ánimo dominabátur. Diléctus à Deo, & homínibus; non immérito hódie Malachías in conſórtio Angelórum recípitur, re adéptus quod nómine dicebátur, & ante quidem Angelus erat non minùs puritáte, quàm nómine. Sed nunc felíciùs glorióſi in eo interpretátio nóminis adimplétur, quando pari cum Angelis glória felicitáte lætátur. ℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Vigiláte quia neſcítis. *de Comm. ij. loco. Et ſit comm. de oct. Omnium SS. in Laud. & Veſp.*

Miſſa. Sacerdótes tui. *de Comm. Conf. Pont. ij. loco cum comm. oct.*

DIE X. NOVEMBRIS.

S. Juſti Epiſc & Conf. *Semidupl.*

Omnia, ut in Comm. Conf. Pont.

Oratio. Da quæſumus.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

JUſtus Mónachus, Sancti Gregórii Magni diſcípulus, miſſus ab eo cum Mellíto in Angliam primùm à Beáto Auguſtíno Archiepíſcopo Cantuariénſi Epíſcopus fuit Roſſénſis ordinátus: ſed Auguſtíno defúncto, cùm gens illa ad idololatríam rediiſ-

rediiſſet, Juſtus, & Mellítus Londinénſis Epíſcopus in Gálliam, ne fruſtra multam óperam in Anglia consúmerent, receſsére; Unde póſteà à Sancto Lauréntio, qui Beáto Auguſtíno in Epiſcopátu ſuccéſſerat, revocáti, ad ſuas Eccléſias inſtituéndas redíre juſſi ſunt. Juſtus ergo ad Civitátem Roffi, cui præerat, rédiens, multos pro Chriſto ſuſtínuit labóres, multíſque miráculis cláruit.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

DEnique ex humánis étiam ſubláto Mellíto, qui Lauréntio fúerat in Cantuariénſi Archiepiſcopátu ſuffébus, in ejus locum ſuccéſſit Juſtus, Romanúmque pro ſe Roffénſem conſecrávit Epíſcopum, data ſibi ordinándi Epíſcopos auctoritáte à Bonifácio Papa, à quo pállium étiam accépit. Literárum autem Bonifácii Papæ hoc eſt inítium: Dilectíſſimo Fratri Juſto Bonifácius. Quàm devótè, quàmque étiam vigilánter pro Chriſti Evangélio elaboráverit veſtra Fratérnitas, non ſolùm Epíſtolæ à vobis diréctæ tenor, imò indúlta déſuper óperi veſtro perféctio indicávit. Et infra: Pállium prætérea per latórem præséntium Fraternitáti tuæ benignitátis ſtúdiis invitáti diréximus, concedéntes étiam tibi ordinatiónes Epiſcopórum, exigénte opportunitáte, ut Chriſti Evangélium plurimórum annunciatióne in ómnibus géntibus, quæ necdum convérſæ ſunt, dilatétur.

℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

JUſtus dénique poſtquam ingénti fructu, ætérno cum mérito, Angliæ pópulos, ipſorúmque Regem in Cathólica Fide firmáſſet, vicinóſque étiam ad fídei ſocietátem pellexíſſet, ut Juſti nómine opéribus cónſono, coróna adveniret juſtítiæ, de hac vita ad immortalitátem vocátus, occúbuit quarto Idus Novémbris, circa annum Dómini ſexcentéſimum trigéſimum ſecúndum.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Homo péregrè. *de Comm.*

ix. Lectio, & comm. SS. Tryphonis, & ſocior. mart.

Miſſa. Státuit. *ij. Or. SS. Tryphon. & ſocior. mart. iij* A cunctis.

DIE XII. NOVEMBRIS.

SS. Bened. & Joann. mart. Camald.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos ánnua. *de Comm. plur. mart.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

QUo témpore Otho Imperátor in Itália morabátur, Bolesláus Polóniæ Rex miſit ad eum núncios, óbſecrans, ut viros áliquos ad ſe dirígeret, qui Regni ſui gentem ad Chriſti fidem vocárent. Imperátor autem ejúſmodi viros à Romuáldo, ſub quo frequens florébat númerus ſervórum Dei, popóſcit; qui ignórans in re tanta divínæ beneplácitum voluntátis, némini ex ſuis quidquam præcípere vóluit, ſed in cujúſque arbítrio eúndi optiónem relíquit. Interrogánte ígitur eos Imperatóre, & ſupplíciter obſecránte, renuéntibus cæteris, Joánnes, & Benedíctus ultrò ſe obtulérunt. Quorum álacri voluntáte cógnita Romuáldus, in Polóniam eos cum benedictióne dimíttit. Quò ut Sancti Eremítæ pervenérunt, ſalutáto humíliter Rege, mox in ſolitúdinem ſecédunt, ubi totos ſeptem annos Régia charitáte victum præbénte, manſérunt. Poſt id témporis ſpátium cùm mores jam, & linguam natiónis probè callérent, núncium in Itáliam mittunt, qui eis à Summo Pontífice licéntiam obtíneat prædicándi. Sed Bolesláus ad ſe illos accérſens, obníxè rogáre cæpit, ut Romam ipſi proficíſci vellent, multíſque ſuo nómine, & opu-

léntis donis Beáto Petro oblátis, Régiam ſibi corónam ab Apoſtólica Sede reportárent. At illi hoc fácere renuérunt dicéntes: Nos ſacris Ordínibus initiáti ſumus, tractáre nobis ſæculária negócia nequáquam licet.

℟. Sancti tui. *Lectio v.*

CUm verò de Regni coróna ex auctoritáte Eccléſiæ ſuſcipiénda Boleslái deſidérium innotuíſſet, & Eremítas, qui Romam dona deférrent, ab eo accersítos fuíſſe conſtáret, cùm illórum reſpónſum ignorárent nefárii quidam hómines, opináti ſunt, eos Régiæ voluntáti aſſénſum præbuíſſe, magnúmque auri pondus accéptum ſecum ad Erémum aſportáſſe. Cupiditáte ígitur inſtigánte, ſcelerátum consílium íneunt, ut noctu clam Erémum ingréſſi illos interfíciant, & pecúniam áuferant. Quos ut Beáti Viri in cellam irrúmpere perſensérunt, quæ eórum advéntus cáuſa eſſet, ſtatìm intellexérunt. Ad mortem ítaque ſe comparántes, humánæ fragilitátis delícta altérutrum confitéri, frontémque, & pectus ſigno Crucis muníre incípiunt. Servi autem, qui illìc áderant ex aula Regis, Sanctórum obséquiis deputáti, prout vires dabant, latrónibus resíſtere nitebántur. At illi, perfrácto tandem violénter áditu, diſtrictíſque irruéntes mucrónibus, Eremítas páriter, Regióſque fámulos contrucídant.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vj.

CÆde patráta, ſubvérſis ómnibus, ánxiè aurum perquírunt: ubi nihil repériunt, fácinus tégere ſtudent, cellam ſimul, & cadávera cremáre cógitant, rati ſuſpiciónem armórum abſutúram, ſi flammis graſſántibus res acta viderétur. Cæterùm admótum ignem natúra deſtítuit, nec áridis quamquam tábulis unquàm pótuit a[…]licári. Hoc conátu fruſtráti latrónes, cùm fugam moliréntur, hàc, atque illàc per desérta vagántes, éxitum non invéniunt: quin & bráchiis divíno judício arefáctis, gládios in vagínas cóndere nequivérunt. Locus verò, in quo Beáti Mártyres jacébant, luce claríſſima refúlgens: tota nocte Angélicis concéntibus reſonábat. Igitur ubi dilúxit, & vulgáta re, ad Erémum conféſtim Rex próperans, cùm ſylvam úndique cinxíſſet armátis, latrónes ſuis adhuc hæréntes gládiis comprehéndit. Poſtquam verò Sancta Córpora honoríficè tumuláſſet, vitæ parcens homicidárum ejúſmodi ſenténtiam tulit: ut ad illórum, quos occíderant, ſepúlchra férreis caténis vincti perpétuò ſtarent. Quò cùm perdúcti eſſent, íllicò Dei omnipoténtis nutu fracta ſunt víncula. Ibidem autem mox ad honórem Sanctórum Mártyrum Basílica multis clara miráculis eſt erécta.

℟. Tanquam áurum.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Atténdite àferménto Phariſeórum. *ut in feſto SS. Joannis, & Pauli, die xxvj. Junii.*

Miſſa. Salus autem. *Evang.* Atténdite à ferménto. *ut ſuprà.*

EODEM DIE.

S. Æmiliani Abbatis. *Duplex.*

Oratio. Intercéſſio.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

ÆMiliánus honéſtis paréntibus natus Vergégii, quod óppidum eſt ad radíces montis Diſtértii in Caſtélla véteri apud Hiſpániam, cùm vigéſimum annum attigíſſet, Spíritu Sancto eum inſpiránte, & dirigénte, ad quemdam Eremítam Sanctíſſimum, in Caſtéllo Biliviénſi degéntem nómine Felícem ádiit, ut ab ipſo ſpirituális vitæ documéntis inſtruerétur. Quod cùm felíciter eſſet conſecútus, ad locum, qui nunc ejus Oratórium dícitur, remeávit.

Sed

Sed cùm vidéret impediménto ſibi fore jam ad ſe concurréntium multitúdinem, celſióra, atque remotióra ſecréta dicti montis expétiit. Ibi per quadragínta círciter annos habitávit, nullo hóminum consórtio utens, ſed ſolùm fruens conſolatiónibus Angelórum, & frequéntes pugnas Dœmonum, tàm visíbiles, quàm invisíbiles perpátiens, ventórum ímpetus, incleméntias ímbrium, algóres nívium, & plures id genus labóres, non ſolùm amóre Chriſti tolerabíliter, ſed étiam libénter, deſiderantérque ſuſcípiens. Inde rédiit ad locum ſui Oratórii, ubi aſsíduis vigíliis, jejúniis, & oratiónibus vacans, várias córporis ægritúdines in ſe patientíſſimè ferens, in áliis verò omnes promptíſſimè ſanans, cœléſtem vitam agébat: & ob ſuam notam ſanctitátem à Dydimo ejus Epíſcopo Tiraſonénſi Vergégii Eccléſiæ præfícitur.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

CUm tamen ſua bona in eleemóſynas diſtribúeret, de jactúra illi proveniénte à ſuis Cléricis coràm dicto Epíſcopo accusátur, & ab injúncto miniſtério repéllitur. Tunc lætánter ad ſuum Oratórium rédiit, & vitam monáſticam cum áliis plúribus ſub Régula Sancti Patris noſtri Benedícti proféſſus eſt: curámque gerens Abbatiálem clarus omnígenis miráculis, & prophetíæ ſpíritu, cùm primus ómnium Benedictínam Religiónem plantáſſet in Hiſpánia, óbiit in Dómino, ſuæ mortis ante annum præſcius, ætátis autem centéſimo, Chriſti verò quingentéſimo ſeptuagéſimo quarto, António, & Martíno vita, atque miráculis per ómnia símilis. Poſt ejus mortem, quia non ſemel viſus eſt in Hiſpánia defenſiónem magnis prodígiis de Cœlo deſcéndere, & cum Máuris pugnáre, ex illíſque una ſola vice mactáre octogínta míllia: ídeò cognómen Patróni Hiſpániæ ſimul cum Apóſtolo Jacóbo majóri meritíſſimè adéptus eſt: ípſamet ex tunc cum ánnuæ oblatiónis voto ſe gratam oſtendénte.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

POſteà anno Dómini milléſimo quinquagéſimo tértio, volens Garsía, primus Rex Navárræ, ejúſdem Sancti Corpus ad Najáram tranſportáre, ipſo Rege præsénte, & aliquíbus Epíſcopis, maximóque fidélium concúrſu, cùm ad ima vallis fuíſſet delátum, ita fórtiter humi defíxum eſt, in ſolámen Monachórum, qui tanti Patris ablatiónem inconſolabíliter lamentabántur, ut nulla arte, nullíſque víribus potúerit amovéri. Quod íntuens Rex, eo loco Cœnóbium illud, tota Hiſpánia ſanctitáte, & amplitúdine celebérrimum ejúſdem Sancti Æmiliáni nómine inſignítum, ædificári præcépit, ubi Sancti Viri Corpus, cum áliis plúribus in arca áurea plúrimis, & pretióſis gemmis ornáta, decentíſſimè aſſervátur, & contínuis miráculis corúſcat.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus. *ut in Comm. Abbat.*

Miſſa. Os juſti. *de eod. Communi.*

Veſp. de ſeq. feſto comm. præced.

DIE XIII. NOVEMBRIS.

In Feſto Omn. SS. Monachor. Ord. Sancti Benedicti Duplex ij. claſs.

Ad Veſperas, Antiphona.

Fulgébunt juſti ſicut Sol. *cum reliq. de Laud.*

Pſal. Dixit Dóminus. *cum reliq. de Dominica.*

Loco ultimi Pſalmi Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. Iſa. 8. Cap. 18.

ECce ego, & púeri mei, quos dedit mihi Dóminus in ſignum, & in porténtum Iſrael à Dómino exercítuum, qui hábitat in Monte Sion.

Hym-

Hymnus.

AVéte ſolitúdinis
Clauſtríque mites íncolæ,
Qui pertuliſtis ímpios,
Cætus furéntis Tártari.
Gemmas, & auri póndera,
Et dignitátum cúlmina
Calcáſtis, & fædíſſima,
Quæ mundus offert, gáudia.
Vobis olus cibária
Fuére, vel legúmina:
Potúmque lympha præbuit:
Humúſque dura léctulum.
Vixíſtis inter áſpides,
Sævíſque cum dracónibus;
Porténta nec tetérrima
Vos terruére Dœmonum.
Rebus procul mortálibus
Mens avolábat férvida,
Divúmque juncta cætui,
Hærébat inter ſydera.
Summo Parénti cælitum,
Magnæque Proli Vírginis,
Sancto ſimul Paráclito
Sit ſumma laus, & glória. Amen.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte juſti.
℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exúltet ómnium turba fidélium pro glória almi Patris Benedícti, & eórum ómnium, qui ejus veſtígia ſunt ſecúti: læténtur præcípuè catérvæ Monachórum celebrántes eórum feſta in terris, de quorum ſocietáte Sancti congáudent in Cœlis.

Oratio.

COncéde, quæſumus omnípotens Deus: ut ad meliórem vitam Sanctórum Monachórum exémpla nos próvocent, quátenùs; quorum ſolémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Regem Regum Dóminum, Veníte adorémus, * Quia ipſe eſt coróna Sanctórum ómnium.

Pſal. Veníte, exultémus.

Hymnus.

JESU Salvátor ſæculi
Redémptis ope súbveni:
Et pia Dei Génitrix
Salútem poſce míſeris.
Monachórum ſuffrágia,
Omnéſque Cives cœlici
Annuant votis súpplicum,
Et vitæ poſcant præmium.
Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, cum Fílio,
Sancto ſimul Paráclito,
In ſæculórum ſæcula. Amen.

Antiph. Pſalmi, & Verſ. ut in Feſto Omnium Sanctorum prima Novembris.

In j. Noct. Lect. de Libro Eccleſiaſtici.

Laudémus Viros glorióſos. *ut in Com. Conſ. Pont. ij. loco.*

℟. j. Sanctíſſime Conféſſor Chriſti Benedícte, Monachórum Pater, & Dux: * Intercéde pro noſtra, omniúmque ſalúte.
℣. Devóte plebi súbveni ſancta interceſſióne, ut tuis adjúta précibus regna cœléſtia conſequátur. Intercéde.

℟. ij. Tóllite jugum meum ſuper vos, dicit Dóminus, & díſcite à me, quia mitis ſum, & húmilis corde: * Jugum enim meum ſuáve eſt, & onus meum leve.
℣. Et inveniétis réquiem animábus veſtris. Jugum enim.

℟. iij. Hæc eſt vera fratérnitas, quæ nunquàm pótuit violári certámine: qui, effúſo sánguine, ſecúti ſunt Dóminum: * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléſtia.
℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum habitáre fratres in unum. Contemnéntes.
Glória Patri. Contemnéntes.

In ij. Nocturno.

Ex Sancto Joánne Damaſcéno.

In Hiſt. B. Joſaphat. Cap. 12. circa fin.

Lectio iv.

BEáti iſti, ac ter Beáti, ut qui Dei amóre flagrárunt, atque ob ipsíus charitátem ómnia pro níhilo duxérunt.

runt. Síquidem lácrymas profudérunt, diéque, ac nocte in luctu versáti ſunt, ut perpétuam conſolatiónem adipiſceréntur: ſe ipſos ultrò depreſsérunt, ut illìc in altum attolleréntur. Carnes ſuas fame, ac ſiti, & vigíliis confecérunt, ut illìc Paradíſi delíciæ, & exultátio ipſos excíperent. Spíritus Sancti tabernáculum per cordis puritátem extitérunt, quemádmodum ſcriptum eſt: Inhabitábo in ipſis, & inambulábo. Seípſos mundo crucifixérunt, ut ad Chriſti déxteram ſtarent. Lumbos ſuos in veritáte ſuccinxérunt, atque in promptu ſemper lámpades habuérunt, immortális Sponſi advéntum expectántes.

℟. Sacerdótes Dei benedícite Dóminum: * Sancti, & húmiles corde laudáte Deum. ℣. Spíritus, & ánimæ juſtórum hymnum dícite Deo noſtro. Sancti.

Lectio v.

NAm cùm mentis óculis prædíti eſſent, horréndum illum diem ſemper proſpiciébant, atque tum futurórum bonórum, tum futúri ſupplícii contemplatiónem ita in corde defíxam gerébant, ut ab ipſa nunquàm divelleréntur. Atque hìc laboráre ſtuduérunt, ut ſempitérnæ glóriæ cómpotes eſſent; perturbatiónum expértes non ſecùs, atque Angeli fuérunt, ac nunc cum illis, quorum vitam imitáti ſunt, choréas agunt. Beáti illi, ac ter Beáti, quóniam firmis mentis óculis præséntium rerum vanitátem, atque humánæ proſperitátis incertitúdinem, & inconſtántiam perſpexérunt; eáque rejécta, ſempitérna bona ſibi ipſis condidérunt, ac vitam eam, quæ nunquàm óccidit, nec morte interrúmpitur, arripuérunt.

℟. Iſti ſunt viri Sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, & dedit illis glóriam ſempitérnam: * Quorum doctrína fulget Eccléſia ut ſole luna. ℣. In omnem terram exívit ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Quorum.

Lectio vj.

HOs ígitur admirándos, & Sanctos Viros, nos quoque indígni, ac deſpicábiles imitári ſtudémus. Verùm eórum vitæ cœléſtis faſtígium mínimè aſséquimur, ſed pro infirmitátis noſtræ, ac míſeræ facultátis módulo eórum vitam exprímimus, atque ipsórum hábitum gérimus, étiam ſi ópera non aſſequámur. Etenim divínam hanc profeſſiónem peccátum propulsáre, atque incorruptiónis per Divínum baptíſma nobis concéſſæ sóciam, & opitulatrícem eſſe, perſpéctum habémus.

℟. Propter teſtaméntum Dómini, & leges patérnas, Sancti Dei perſtitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit ſemper ſpíritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum habitáre fratres in unum. Quia unus. Glória Patri. Quia unus.

In iij. Nocturno.

Homilía Sancti Hierónymi Presbyteri *in Evang.* Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in Comm. Abbat.*

℟. *Pro Lect. vij.*

Abſtérget Deus omnem lácrymam ab óculis Sanctórum, & jam non erit ámplius, neque luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor, * Quóniam prióra tranſiérunt.

℣. Non esúrient, neque ſítient ámpliùs, neque cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus. Quóniam.

℟. *Pro Lect. viij.*

Sancti mei qui in carne póſiti, certámen habuíſtis: * Mercédem labóris ego reddam vobis.

℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite Regnum. Mercédem labóris. Glória Patri. Mercédem labóris.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

FUlgébunt juſti ſicut ſol in Regno Patris eórum, dicit Dóminus.

Pſal-

Pſalmus. Dóminus regnávit. *cum reliquis.*
Antiph. Beáti éritis, cùm vos óderint hómines, & cùm ſeparáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen veſtrum tanquam malum propter Fílium hóminis: gaudéte, & exultáte, ecce enim merces veſtra multa eſt in Cœlis.
Antiph. Gáudent in Cœlis ánimæ Sanctórum, qui Chriſti veſtígia ſunt ſecúti, & quia pro ejus amóre ſæculum ſprevérunt, ídeò cum Chriſto exúltant ſine fine.
Antiph. Sancti Dómini, Dóminum benedícite in ætérnum.
Antiph. O quàm glorióſum eſt Regnum, in quo cum Chriſto gáudent omnes Sancti, amícti ſtolis albis ſequúntur Agnum quocúmque íerit.
Capit. Ecce ego. *ut ſup. in Veſp.*

Hymnus.

REx glorióſe Mártyrum
Coróna confiténtium
Qui reſpuéntes térrea
Perdúcis ad Cœléſtia.
Aurem benígnam prótinus
Inténde noſtris vócibus
Trophæa ſacra pángimus
Ignóſce quod delíquimus.
Tu vincis inter Mártyres
Parcíſque Confeſsóribus:
Tu vince noſtra crímina,
Largítor indulgéntiæ.
Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Cum Spíritu Paráclyto
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

℣. Exultábunt Sancti in glória.
℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Vos, qui reliquíſtis ómnia, & ſecúti eſtis me, céntuplum accipiétis, & vitam ætérnam poſſidébitis.
Oratio. Concéde quæſumus. *ut ſuprà in primis Veſp.*
Ad Tertiam, Antiph. Beáti éritis.
Capitul. Ecce ego. *ut ſuprà.*
℟. *brev.* Lætámini in Dómino: * Et exultáte juſti. Lætámini.
℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exultáte.
Glória Patri. Lætámini.
℣. Exúltent juſti in conſpéctu Dei.
℟. Et delecténtur in lætítia.
Ad Sextam, Antiph. Gáudent in Cœlis.

Capitulum. *Eccl. à Cap. 7.*

OMnes iſti in generatiónibus Gentis ſuæ glóriam adépti ſunt, & in diébus ſuis habéntur in láudibus.
℟. *brev.* Exúltent juſti in conſpéctu Dei. Exúltent.
℣. Et delecténtur in lætítia. In conſpéctu. Glória Patri. Exúltent.
℣. Juſti autem in perpétuum vivent.
℟. Et apud Dóminum eſt merces eórum.

Ad Nonam, Antiphona.

O quàm glorióſum eſt.

Capitulum. *Eccl. 44. Cap. 13.*

FIlii eórum propter illos uſque in ætérnum manent: ſemen eórum, & glória eórum non derelinquétur.
℟. *brev.* Juſti autem: * In perpétuum vivent. Juſti autem.
℣. Et apud Dóminum eſt merces eórum. In perpétuum.
Glória Patri. Juſti.
℣. Exultábunt Sancti in glória.
℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis.
Miſs propr. ut in fine Miſſal.
Ad ii. Veſp. Antiph. Fulgébunt juſti. *cum reliq. de Laud.*
Pſal. Dixit Dóminus. *cum rel. de Domin. & loco ult. Pſalm.* Crédidi.
Capitulum, & Hymnus, ut in primis Veſp.
℣. Exultábunt Sancti in glória.
℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis.
Ad Magnif. Antiph. In regeneratióne cùm séderit Fílius hóminis in ſede majeſtátis ſuæ, ſedébitis & vos ſuper ſedes duódecim judicántes duódecim tribus Iſrael.
Oratio. Concéde quæſumus. *ut ſuprà in primis Veſp.*

DIE

DIE XVI. NOVEMBRIS.

S. Edmundi Epiſc. & Conf. Ciſt.
Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pontif. præter ſequent. *Oratio.*

DEus, qui largífluæ bonitátis conſílio Eccléſiam tuam Beáti Edmúndi Confeſsóris tui, atque Pontíficis præcláræ vitæ méritis decoráſti, & glorióſis lætificáſti miráculis; concéde propítius nobis fámulis tuis; ut & ipsíus in mélius reformémur exémplis, & ab ómnibus ejus patrocínio protegámur advérſis. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

EDmúndus natióne Anglus ádeò caſtis, ac ſanctis paréntibus eſt ortus, ut mundítiam ſimul, ac pietáte cum lacte ſuxíſſe viderétur. Nondùm pubertátis annos attígerat, cùm Lutétiam ſtudiórum grátia miſſus à matre, ipsíus hortátu ſíngulis ſextis fériis in pane, & aqua jejunáret, ciliciúmque bis, aut ter in quálibet hebdómada indúeret: ætáte verò creſcénte novum aſpérrimi cilícii genus excogitávit, quo véluti contínuò ſupplício carnem diu, noctúque trucidáret. Hic dignum ſe réddidit, cui Salvátor mundi in forma ſpecioſíſſimi púeri, viſibíliter apparéret, eúmque ad ſui amórem veheménter excitáret. Porrò poſt liberálium ártium ſtúdia, totum ſe divínis líteris addiſcéndis trádidit, quas póſteà públicè dócuit: Et quótiès Sacra Bíblia aperiébat, ipſa reveréntèr oſculabátur. ℟. Invéni David. *Lectio v.*

CUmque Summus Póntifex eum Crucis in primis amatórem reſcivíſſet, Crucis prædicatiónem ipſi cum ſinguléri privilégio demandávit. Vir iſte Sanctus, & Verbi Divíni prædicatióne, ac miraculórum virtúte Chriſti bonus odor factus in omni loco, cùm eſſet Salisberiénſis Eccléſiæ Canónicus, in Cantuarienſis Eccléſiæ Archipræſulem canónicè eléctus eſt. Verùm cùm id munus obíre conſtánter renúeret, Salisberiénſis Epíſcopus ipſi inobediéntiæ, ac lethális culpæ perículum inténtans, ut Paſtorálem curam acceptáret, invítum adégit: ſicque Paſtor in pópulo Dei conſtitútus, omni virtútum génere, cunctis prælúxit.
℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

CUm totum ſe vellet animárum ſalúti, ac ſimul Eccleſiáſticæ libertáti tuéndæ impéndere; multa ipſi advérſa tum à Rege, tum à Regni Procéribus illáta ſunt: Imò ipſum Cantuariénſium Canonicórum Collégium ſe piis ejus conátibus oppóſuit. Sicque cùm débitum Paſtóris offícium exercére non poſſet, Prædeceſsóris ſui Sancti Thomæ exémplo, Pontiníacum ſe recépit: indéque póſtmodum diſcédens Solciácum Priorátum ádiit: Ubi páulò poſt prætéritæ vitæ ſanctitátem beatíſſimo fine comprobávit.
℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Homo péregrè. *ut in Comm. Conf. Pont. j. loco.*

Miſſa. Státuit. *de eod. Comm.*

DIE XVII. NOVEMBRIS.

S. Gertrudis Virginis, & Abbatiſſæ.
Duplex.

Ad Veſp. Antiph.

In corde Gertrúdis inveniétis me, dicit Dóminus: complácuit ſibi in illa ánima mea.

Pſal. Dixit Dóminus. *cum reliquis de Comm. Virg.*

Antiph. Sanctíſſima Chriſti Sponſa Dilécto ſuo júgiter adhærébat, & unus cum illo ſpíritus erat.

Antiph. Quàm pulchra es Gertrúdis, & quàm decóra in delíciis: in qua jucúndam ſibi Deus habitatiónem præparávit.

Antiph. Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus; Ego enim

enim ſtígmata Dómini Jeſu in córpore meo porto.

Antiph. Induit me Dóminus veſtiménto ſalútis, & induménto lætítiæ circúmdedit me, quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis.

Capitulum. *Cant. 4. 4.*

INvéni, quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, & in cubículum genitrícis meæ.

Hymnus.

GErtrúdis Arca Núminis,
Sponsóque juncta Vírginum,
Da nuptiális pángere
Caſtos amóres fœderis.
Quadríma Chriſto núbilis
In Clauſtra promptè cónvolas,
Spretóque nutrícis ſinu
Sponſi requíris óſcula.
Candéntis inſtar lílii
Odóre mulces ſydera,
Et Virgináli Cœlitum
Regem decóre pértrahis.
Qui vivit in ſinu Patris,
Cinctus perénni glória
Amánter, ut Sponſus, tua
Recúmbit inter úbera.
Amóre Chriſtum vúlneras
Hic te vicíſſim vúlnerat,
Tuóque cordi própria
Inúrit altè ſtígmata.
O ſinguláris cháritas,
Et mira commutátio;
Hìc corde reſpírat tuo,
Tu vivis hujus ſpíritu.
Te Sponſe Jeſu Vírginum
Beáta laudent Agmina
Patri, ſimul Paráclyto
Par ſit per ævum glória. Amen.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua.
℟. Inténde, próſperè procéde, & regna.

Ad Magnificat, Antiphona.

Egredímini, & vidéte fíliæ Sion Gertrúdem in diadémate, quo coronávit illam Chriſtus in die deſponſatiónis illíus, & in die lætítiæ cordis ejus.

Oratio.

DEus, qui in puríſſimo corde Beátæ Gertrúdis Vírginis tuæ jucúndam tibi habitatiónem præparáſti: ejus méritis, & interceſſióne cordis noſtri máculas cleménter abſtérge; ut digna Divínæ Majeſtátis tuæ habitátio éffici mereátur. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Regem Vírginum Dóminum, * Veníte adorémus.

Pſal. Veníte, exultémus.

Hymnus.

MIra noctúrnis moduláte lingua
Geſta Gertrúdis celebrémus horis,
Quæ ſacris inſtans précibus perégit
Témpora noctis.
Illíus votis Deus obſecúndans
Mox repentínas plúvias profúdit;
Moxque ſuſpénſos grávidis coércet
Núbibus imbres.
Arva jamdúdùm glácie rigébant,
Corde cùm mæſto miſerans colónos,
Férvidis Virgo lácrymis resólvit
Frígora brumæ.
Nè ſeges largo vitiétur imbre,
Sédulis Cœlum précibus ſerénat,
Et graves læſi gemebúnda placat
Núminis iras.
Igneis mentes pénetrat ſagíttis,
Lánguidis confert ánimis medélã,
Atque ſuccéndit ſceleráta caſtis
Péctora flammis.
Vírginum ſponſum, ſuperúmque Regem
Vírginum Sanctæ célebrent Choréæ,
Et ſacram ſupplex Tríadem per ævum
Orbis adóret. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Gertrúdis Virgo quinquénnis in ſacræ Religiónis horto velut candens lílium plantáta, ómnium virtútum ſplendóre refúlſit.

Pſal.

Pſal. de Comm. Virg. Dómine Dóminus noſter.
Antiph. Ad ſacrum Beáti Patris Benedicti Ordinem divínitùs vocáta eſt, ut quæ Spíritus Sancti donis repléṅda erat, Patriárcham ómnium Juſtórum ſpíritu plenum ſibi imitándum propóneret.
Pſal. Cœli enárrant.
Antiph. Factum eſt cor ejus tanquam cera igne mollíta, cui Chriſtus Divinitátis ſuæ ſigíllum impréſſit.
Pſal. Dómini eſt terra.
℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua.
℞. Inténde, próſperè procéde, & regna.

Lectio j.

De Canticis Canticorum. Cap. 1. 2.

EGo flos campi, & lílium convállium. Sicut lílium inter ſpinas, ſic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna ſilvárum, ſic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem deſideráveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem: fulcíte me flóribus, ſtipáte me malis, quia amóre lángueo.
℞. In charitáte perpétua diléxit Gertrúdem Dóminus, ídeò attráxit eam ab infántia, & duxit in ſolitúdinem: * Et locútus eſt ad cor ejus.
℣. Sponsávit eam ſibi in ſempitérnum in fide, & in miſericórdia. Et locútus.

Lectio ij. *Cap.* 1.

QUis mihi det te fratrem meum ſugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris, & deóſculer te, & jam me nemo deſpíciat? Apprehéndam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docébis, & dabo tibi póculum ex vino condíto, & muſtum malórum granatórum meórum. Læva ejus ſub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliæ Jerúſalem, ne ſuſcitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipſa velit. Quæ eſt iſta, quæ aſcéndit de desérto delíciis áffluens, inníxa ſuper diléctum ſuum?
℞. Gertrúdis convérſa ad Sponſum ſuum dicébat: * Mihi adhærére tibi ſolùm dilécte mi, bonum eſt.
℣. Tunc Dóminus acclinátus circumplectebátur eam dicens: Et mihi adhærére tibi ſemper ſuáve eſt dilécta mea. Mihi adhærére.

Lectio iij.

POne me ut ſignáculum ſuper cor tuum, ut ſignáculum ſuper bráchium tuum, quia fortis eſt, ut mors, diléctio, dura ſicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis, atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam: Si déderit homo omnem ſubſtántiam domus ſuæ pro dilectióne, quaſi nihil deſpíciet eam.
℞. Póſuit in Gertrúde tabernáculum ſuum Altíſſimus: * Deus in médio ejus non commovébitur.
℣. Adjuvábit eam Deus manè dilúculò. Deus. Glória Patri. Deus.

In ij. Nocturno.

Antiph. Spíritu intelligéntiæ replévit Gertrúdem Dóminus; dedit illi ſciéntiam Sanctórum, & póſuit ſuper eam ſpíritum ſuum.
Pſal. Eructávit.
Antiph. Ardentíſſimo animárum zelo æſtuábat, & omnes in viſcéribus Jeſu Chriſti cupiébat.
Pſal. Deus noſter refúgium.
Antiph. Ingruéntem plúviam verbo contínuit, obediénte Dómino Sponſæ ſuæ précibus.
Pſal. Magnus Dóminus.
℣. Adjuvábit eam Deus vultu ſuo.
℞. Deus in médio ejus non commovébitur.

Lectio iv.

GErtrúdis virgo Islébii in Comitátu Mansfeldiénſi nobilíſſimis Paréntibus nata, quinquénnis Chriſto, cui jam núbilis erat, & matúra, in

in Monaſtério Urbis Rodárdæ Ordinis Sancti Patris Benedícti virginitátem ſuam conſecrávit. Ab ipſo in Religiónem ingréſſu Angélicæ vitæ ratiónem íniit, & líteris humanióribus, ac Divínis apprímè excúlta, ad eam doctrínæ perfectiónem pervénit, quam eruditíſſimi quique méritò ſuſcíperent. Exímia fuit ejus contemplátio, in qua multis revelatiónibus, ac viſis Cœléſtibus à Deo illuſtráta, eódem inſpiránte, libros Divínæ ſapiéntiæ plenos conſcrípſit. Quamvis autem tantis natúræ, & grátiæ dótibus enitéret, divínis fruerétur collóquiis, prophetíæ dono, & plúrimis eſſet inſigníta miráculis, ádeò tamen ſibi ipſi vileſcébat, ut inter præcípua Divínæ virtútis mirácula hoc unum ſinguláre créderet, quod ſe indigníſſimam, ut dictitábat, terra peccatrícem ſuſtinéret.

℟. Sapiéntiam Dei loquebátur inter perféctas Vírgines à Chriſto Jeſu edócta: * Quam ab ipſa infántia in ſponſum elégit.

℣. Spíritum hujus mundi non accépit, ſed ſpíritum, qui ex Deo eſt. Quam ab ipſa.

Lectio v.

DUm annum ágeret trigéſimum in Abbatíſſam ejus primùm Monaſtérii, in quo hábitum recéperat, deíndè Elpediáni, ſivè, ut vocant, Elphiáni elécta eſt. Quo in múnere per quadragínta annos ea charitáte, prudéntia, & reguláris diſciplínæ integritáte ſe geſſit, ut Cœnóbium Domus Dei eſſe viderétur, in qua corporáti Angeli víverent ſub Gertrúde magíſtra: quæ quamvis eſſet ómnium mater, ómnium tamen ſe miníſtram exhibébat. Cœléſtis Sponſus in ejus puríſſimo córpore delícias ſuas collocávit, cui ſuórum étiam vúlnerum ſtígmata ígneo amóris ſtylo Divínus Cœlátor inúſſit. Hinc illa nihil, niſi Chriſtum loquebátur, quem in corde geſtábat; qui nuſquàm ſe conveniéntiùs, quàm in Sacraménto Altáris, ac deínde in hujus ſuæ Diléctæ corde, & ánima inveniéndum pronunciávit. Ejúſdem charíſſimæ ſponſæ ſanctitátem Divíni ſui oris confirmávit oráculo, cùm teſtátus eſt, nullam tunc témporis ánimam in terris vívere, quæ ut illi conjúnctior, ita grátior eſſet, & accéptior.

℟. Chriſto confíxa ſum cruci: * Ego enim Stígmata Dómini Jeſu in corde meo porto.

℣. Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Ego enim.

Lectio vj.

DEíparam Vírginem peculiári benefício in matrem, & Procuratrícem ſibi à Chriſto datam, quam cum áliis Cœli cívibus frequénter habébat ſpectábilem, ſinguiári pietáte proſequebátur. Ergà Sanctíſſimum Euchariſtíæ Sacraméntum, & Chriſti paſſiónem, tanto amóris, & gratitúdinis afficiebátur ardóre, ut tota lácrymis liquéſceret. Animas piaculáribus flammis addíctas quotidiánis ſuffrágiis, & aſsíduis précibus ſublevábat. Zelo Divíni honóris promovéndi, & procurándæ ſalútis próximi júgiter ardébat. Cùm ígitur ferventíſſimo Dei amóre pótiùs, quàm morbo languéret, huic Chriſtus Sanctíſſima Matre, dilectóque Diſcípulo, & candidíſſimo Vírginum Choro comitátus ádfuit, & ejus ánimam córporis ſolútam compágibus, ac mirábili péctoris explicatióne intra cordis ſui penetrália recéptam, ad Cœléſtem thálamum tradúxit.

℟. Cùm aſpérrimo gelu terra diù concréta non daret germen ſuum, Beáta Gertrúdis tacta dolóre cordis orávit ad Sponſum; * Et ſtatim ſolúta glácie, ſolúta eſt veris amænitas.

℣. Emíſit Dóminus verbum ſuum, & liquefécit eam: flavit ſpíritus ejus, & fluxérunt aquæ. Et ſtatim ſolúta. Glória Patri. Et ſtatim ſolúta.

In

In iij. Nocturno.

Antiph. Mundo, & ſibi mórtua erat Gertrúdis, & vita ejus abſcóndita cum Chriſto in Deo.

Pſal. Cantáte Dómino. *j.*

Antiph. Ancíllæ ſuæ ſecréta Cœléſtia revelávit Deus per Spíritum ſuum.

Pſal. Dóminus regnávit exúltet.

Antiph. Multæ fíliæ ſub ejus diſciplína congregavérunt divítias: hæc ſupergréſſa eſt univérſas.

Pſal. Cantáte. *ij.*

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam.

℟. In Tabernáculo ſuo habitáre facit eam.

In iij. Nocturno Lectio vij.

Homil. Intelligámus, in Evang. Decem Virgínibus. *ut in vj. die infra oct. S. Scholaſticæ pag.* 15.

℟. vij. Meſſis témpore cùm imbres aſsídui frúgibus terræ nocérent, Gertrúdis effúdit ſicut aquam cor ſuum ante conſpéctum Dómini. * Et ſtatim facta eſt ſerénitas magna.

℣. Clauſæ ſunt cataráctæ Cœli, & prohíbitæ ſunt plúviæ de Cœlo. Et ſtatim.

℟. viij. Quæ per revelatiónem Jeſu Chriſti dídicit Gertrúdis, eódem inſpiránte conſcrípſit; * Qui abſcóndit hæc à ſapiéntibus, & prudéntibus, & revélat ea párvulis.

℣. Lingua ejus cálamus ſcribæ velóciter ſcribéntis. Qui abſcóndit.

Glória Patri. Qui abſcóndit.

A D L A U D E S,
& per Horas, Antiphona.

LAuda, & lætáre fília Sion, quia ecce ego vénio, & hábito in médio tui dicit Dóminus.

Pſal. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Laudibus Domin.*

Antiph. O beáta ánima, quæ méruit eſſe ſedes ſapiéntiæ, cujus delíciæ ſunt, eſſe cum fíliis hóminum.

Antiph. Annulis ſeptem ſubharrávit me Dóminus Jeſus Chriſtus, & tanquàm ſponſam decorávit me coróna.

Antiph. Hábuit Gertrúdis poteſtátem cláudere Cœlum núbibus, & aperíre portas ejus, quia lingua ejus clavis Cœli facta eſt.

Antiph. Ancílla fidélis, & ſponſa elécta intrávit in cor, & gáudium Dómini ſui, cujus amóre languébat.

Capitulum. *Cant.* 4. 4.

INvéni, quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, & in cubículum genitrícis meæ.

Hymnus.

AD ſacros Virgo thálamos anhélans,
Núptias Cœlo celebráre geſtit,
Et piis votis nímiùm morántem
Próvocat horám.

Ægra cùm languet, maniféſtus adſtat
Cœlitum turma comitánte Chriſtus,
Atque Divíni récreat jacéntem
Lúmine vultus.

Surge, conclámat, ſoror, atque ſponſa,
En tibi pando penetrále cordis,
Ut triumpháli reſeráta ſcandas
Sydera curru.

Iſta vox omnes pénetrat medúllas,
Atque compáges ánimi resólvit:
Spíritus liber volat in reclúſa
Víſcera Chriſti.

Régios Agni thálamos peténtem
Júbilans ſtipat ſúperum Coróna,
Atque compléxus, & amíca cantat
Oſcula Sponſi.

Vírginum Sponſum, ſuperúmque Regem
Vírginum Sanctæ célebrent Choréæ:
Et ſacram ſupplex Tríadem per ævum
Orbis adóret. Amen.

℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis.

℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ctus, Antiphona.

O digníſſima Chriſti Sponſa, quam lux

lux prophetíæ illuſtrávit; Zelus Apoſtólicus inflammávit, láurea vírginum coronávit, Divíni amóris incéndium conſummávit.

Oratio, ut ſuprà in Veſp.

Ad Tertiam, Antiph. O beáta ánima.

Capit. Invéni, quem. *ut ſuprà.*

℟. *brev.* Spécie tua, & pulchritúdine tua. Spécie tua.

℣. Inténde, próſperè procéde, & regna. Et pulchritúdine tua.

Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu ſuo.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Ad Sextam, Antiph. Annulis ſeptem.

Capitulum. *Cant.* 8. 6.

Pone me ut ſignáculum ſuper cor tuum, ut ſignáculum ſuper bráchium tuum, quia fortis eſt, ut mors diléctio.

℟. *brev.* Adjuvábit eam Deus vultu ſuo. Adjuvábit eam.

℣. Deus in médio ejus non commovébitur. Deus vultu ſuo.

Glória Patri. Adjuvábit eam.

℣. Elégit eam Deus, & præelégit eam. ℟. In tabernáculo ſuo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Antiph. Ancílla fidélis.

Capitulum. *Cant.* 2. 13.

Surge amíca mea, ſpecióſa mea, & veni Colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, oſténde mihi fáciem tuam: ſonet vox tua in áuribus meis, vox enim tua dulcis, & fácies tua decóra.

℟. *brev.* Elégit eam Deus, & præelégit eam. Elégit eam.

℣. In tabernáculo ſuo habitáre facit eam. Et præelégit eam.

Glória Patri. Elégit eam Deus.

℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis.

℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Miſſ. Dilexíſti. *Orat. propr. ut ſup.*

In ij. Veſperis, Antiph.

Caſta Colúmba nidíficans in cavérna macériæ Sacri Láteris Jeſu Chriſti, mel ſuavíſſimum de petra ſugébat.

Pſal. ut in j. Veſperis.

Antiph. Loquebátur Chriſtus ad diléctam Gertrúdem fácie ad fáciem, ſicut ſolet loqui homo ad amícum ſuum.

Antiph. Lábia Gertrúdis cuſtodiébant ſciéntiam, & qui in preſsúra erant, ſolátium requirébant ex ore ejus.

Antiph. Beátæ Gertrúdis verba Divíni erant amóris jácula: lámpades ejus lámpades ignis, atque flammárum.

Antiph. Diléctæ ánimam è cárcere córporis exeúntem accépit Chriſtus in ulnas ſuas, & cor ſuum illi amánter apéruit.

In ij. Veſp. à capit. de Dedic. Baſilic. SS. Apoſt. Petri, & Pauli, cum comm. S. Gertrud.

Antiph. Apparuérunt Cœléſtes Spíritus de Cœlo deſcendéntes in terram, qui Gertrúdem ad Paradíſi gáudia modulátis vócibus invitábant: Veni, veni Dómina, quia te expéctant Cœli delíciæ. Allelúja, allelúja.

℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis.

℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio ut ſuprà in j. Veſp.

DIE XVIII. NOVEMBRIS.

S. Oddonis Abbatis. Duplex.

Quod transfert. in prim. diem non imped.

Oratio. Intercéſſio. *de Comm. Abb.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

Oddo, Abbonis Nóbilis Franci fílius, adhuc adoléſcens Eccléſiæ Turonénſis Canónicus cùm eſſet, illud Apóſtoli apud ſe répetens: Si quis ignórat, ignorábitur; literárum ſciéntiam viro Eccleſiáſtico dignam cum pietáte conjúnxit. Virgílium Poétam aliquándo dum parat légere, ſomno oppréſſus vidit quaſi vas insígne, ſed ſerpéntibus plenum ſibi ſitiénti offérri: quo viſu pertérritus in pôſterum ſacris líteris ſe totum

tum dedit, deínde rebus ſuis in páuperes diſtribútis, in ſolitúdinem ſeceſſit, ubi per triénnium diem in lectióne ſacra, noctem ferè in oratióne póſuit. Victus illi quotidiánus, panis ſemilíbra cum fabis paucis: lectus ſtórea humi ſtrata: qua ſénſuum incúria, & nuditáte ſpontánea lócuples munéribus úndique oblátis abſtínuit. Póſteà in Monaſtério Gigniacénſi Sancto Bernóne Abbáte, vitam Monáſticam sériò egit, quo témpore Frater quidam illic móriens exclamárat pro Chriſti tribunálj ſibi à Dœmone objéctas micas, quas in fine menſæ comédere neglexíſſet.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

Hujus memor Oddo micas ſédulò colléctas, ipſe lectióni inténtus, cùm ſemèl in menſa comédere oblítus, poſt menſam non audéret, delícti véniam deprecatúrus Abbáti ſupplex, eas in tot margarítas divínitùs mutátas ſtupens oſténdit: quas Abbas veſti ſacræ intéxi curávit. Invítus, & præ humilitáte obníténs Sacerdótio initiári, ac deínceps Abbas eſſe cógitur. Cluníaci Abbas inſtitútus, theſáuros in Régulæ obſervatióne laténtes Mónachis explicávit, nullúmque ipsíus ápicem prudénti inconſúltum, proficiénti inútilem, credénti diffícilem, pœniténti áſperum eſſe, ſuo, & multórum exémplo dócuit. Solitúdini, puritáti, & devotióni ſuórum in Dei láudibus noctúrnis, diurníſque, oratióni, & ſiléntio præcípuè cavit, ſtaut verbórum vice ſignis neceſsária loquerétur. Deínde víribus íntegris à cárnibus planè abſtinére, atque idóneos quoſque ſtatis quotídiè horis díſcere áliquid, aut docére vóluit. Interim ſibi parcus, ómnia, quæ Mónachis Régula permíttit, abúndè ſuppeditábat.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

His accéſſit apparítio crebra Sanctórum Martíni Turonénſis, & Patris Noſtri Benedícti, è quorum exémplo, & patrocínio únicè pendébat; qui Oddónem, & illi obſequéntes favóribus, negligéntes vindícta cœlitùs proſequebántur. Hinc família Cluniacénſis cùm Régulæ conveniénter vívere, aut mori cúperet, brevi longè, latéque propagáta ſanctitátis, ac doctrínæ ſplendóre Eccléſiam univérſam diù illuſtrávit. Páuperes ſolébat Cœli janitóres appelláre, ultrò ab ipſis, quo potíſſimùm egérent, pétere, ómnium inópiæ [cui póterat] honeſtiórum étiam verecúndiæ consúlere: morbo, vel sénio débiles in itínere óbvios equum ſuum aſcéndere cogébat, quos ipſe pſallens pédibus comitabátur. Quam humanitátem cùm in Alpibus Cótiis præſtáret, múlier ad primum ſellæ ipsíus tactum Dæmónio, quo tenebátur, liberáta eſt. In Príncipum diſsídiis componéndis, Eccléſiis pacem reſtituéndo, Monaſtériis reformándis, cùm conſenuíſſet, Romæ ex febri moribúndus mortis indúcias impetrávit, donec Turónes revérſus Sancti Martíni ſolemnitátem celebráſſet: tunc febri redeúnte Sanctis Eccléſiæ Sacraméntis munítus, inter ſuas, fratrúmque preces ánimam Deo réddidit decimoquárto Kaléndas Decémbris, círciter Annum Dómini nongentéſimum quadragéſimum: quem Sanctus Bernárdus ad Guilélmum Abbátem ſcribens, Sanctum fuíſſe, áſſerit.

In iij. Noctur. Homilia in Evangel. Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in Communi Abb.*

Miſſa. Os juſti. *de eodem Communi.*

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

S. Columbani Abbatis. Semid.

In Hymn. Iſte Conféſſor, méruit ſuprémos.

Oratio. Intercéſſio. *ut in Comm.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

COlumbánus, natióne Hibérnus, jam inde ab útero Matris, quæ illo grávida ſolem radiántem ſibi in quiéte geſtáre viſa eſt, futúram claritátem præſignávit. In humánis, divinísque líteris apprímè versátus, inter cétera ingénii ſui, & doctrínæ monuménta, expoſitiónem in Pſalmos adhuc adoléſcens édidit. Carnis, Mundi, & Dæmonis triumphátor, per calcátam Matrem ſtrato ſibi ad Religiónem itínere, Monaſtérium Benchor per id tempus celebérrimum ingréſſus eſt: in qua ſapiéntiæ ſanctióris Schola uſque ádeo profécit, ut paucis poſt annis ex diſcípulo Magíſter factus virtútis, & ad munus prædicándæ Evangélicæ veritátis à Deo vocátus, aſsúmptis ſecum ab eódem Cœnóbio duódecim Mónachis, in Británniam, índeque in Gálliam trajécerit. Ab Auſtraſiórum Rege perhumánè excéptus, ad Voságum Montem húmiles caſas ſibi, ſociíſque conſtrúxit, quibus in ſumma vitæ auſteritáte, & rerum ómnium inópia degéntibus, ſæpè Deus commeátum mirabíliter provídit.

℟. Honéſtum fecit. *Lectio v.*

SEd cùm illa ſolitúdo ab iis, qui ad Columbánum ſanitátis obtinéndæ grátia confluébant, frequentári cœpíſſet, Feſtis ipſe ſolemnióribus ſecédens in interióris deſérti ſpelúncam, quam huic dignióri hóſpiti Urſus concéſſerat, ſylvéſtrium árborum fructu, & fontis, quem è petra velut alter Móyſes edúxerat, unda recreátus, procul ab hóminum consórtio, rerúmque terrenárum curis, mentem divínis contemplatiónibus exercébat. Cùm verò illíus ſanctitátis fama, ex his látebris erúmpens, plures ad ejus Magiſtérium efflagitándum úndique allíceret, Luxoviénſe Cœnóbium cóndidit, in quo trecéntos Mónachos laudis perénnis Sacrifícium Deo immolántes, ſuis exémplis, ac præcéptis informávit, quos ut in obediéntia exercéret, ægros aliquándo è léctulo súrgere, ac fruméntum flagelláre juſſit; obediéntibus labóris ſui fructum ſanitátem conſecútis. Suis ipſe précibus nunc créſcere in hórreis, nunc in mánibus annónam fecit. Interim cùm ſanctitáte, doctrína, & miráculis toti Gálliæ prælucéret, Theodorícus Burgúndiæ Rex, cujus ille impúros amóres arguébat, Virum Dei váriè vexátum proſcrípſit.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

QUare Luxóvio extrúſus, ex Regis império Biſúntium ductus eſt, ubi captivórum víncula captívus ipſe ſolo tactu confrégit: moxque eádem, qua álios donáverat, libertáte ad ſuos revérſus eſt. Tum verò ſic Theodorícus, inſtigánte Brunechílde Regína, exárſit, ut ad eum è Cœnóbio exturbándum míſerit ſatéllites, quos præſens Columbánus offúſa divínitùs eórum óculis, animíſque calígine velut alter Eliséus elúſit. Sed Regis furóri cedéndum ratus poſt prænunciátum prophético ſpíritu ipſi, & poſteritáti ejus intéritum, dum in Hibérniam trajíceret, exórta mirabíliter tempeſtáte, ad Gálliæ oram repúlſus, ad Theodebértum Auſtráſiæ Regem ſe cóntulit, à quo benígnè recéptus, ad Lacum Brigantínum consédit, dirutíſque Idolórum Templis, ſuperſtitiónem ubíque debellávit. Inde à Gentílibus ejéctus, in Itáliam ad Agyúlphum Longobardórum Regem proféctus eſt, extructóque in Cótiis Alpibus Bobiénſi Monaſtério, Ariános coràm, & ſcriptis acérrimè confutávit. Tandem graviſſimis diutúrni exílii labóribus: pro glória Dei perfúnctus, in Cœléſtem Pátriam migrávit undécimo Kaléndas Decémbris, Anno Chriſti ſexcenteſimo decimoquínto. ℟. Iſte homo.

In

In iij. Noctur. Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia, &c. *de Comm. Abbatum.*

ix. Lect. ex duab. fit una, & comm. S. Chryſogoni mart. ut in Brev.

Miſſ. Os juſti. *de Comm. Abb. cum comm. S.*

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

S. Silveſtri Abbatis. Duplex.

Oratio. Intercéſſio.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

SIlvéſter Auxími in Picéno nóbili génere ortus, ſtatìm puerílem ætátem líteris, ac bonis móribus mirífice exornávit. Adoléſcens Bonóniam ad ſtúdia Juriſprudéntiæ miſſus à Patre, cùm ſacris líteris à Deo mónitus dedíſſet óperam, paréntis incúrrit indignatiónem; quam æquo ánimo toto decénnio pértulit. Ob egrégiam ejus virtútem à Canónicis Cathedrális Auxímanæ Eccléſiæ sócius honóris eléctus eſt, in quo múnere pópulo oratiónibus, exémplo, & conciónibus opem tulit.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

INter funus Nóbilis cujúſdam defúncti in apérto túmulo formóſi viri, ſuíque propínqui defórme cadáver conſpíciens, ego, inquit, ſum, quod hic fuit: quod hic eſt, ego ero: & mox peráсto fúnere, illa ſibi Dómini occurrénte ſenténtia: Qui vult veníre poſt me, ábneget ſemetípſum, & tollat crucem ſuam, & ſequátur me; in ſolitúdinem majóris perfectiónis ſtúdio ſecéſſit, ibíque vigíliis, oratiónibus, jejuniíſque déditus, crudas tantùm herbas in cibum ſæpiùs adhíbuit. Ut autem magìs latéret hómines, várias mutávit ſedes, ac demùm pervénit ad montem Fanum, locum quamvis propè Fabriánum, eo tamèn témpore desértum, ibíque in honórem Sanctíſſimi Patris noſtri Benedícti Templum eréxit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

COngregationíſque Silveſtrinórum fundaménta jecit, ſub régula, & hábitu in viſióne ſibi ab eódem Sancto oſténſis. At ínvidens Sátanas, váriis terróribus illíus Mónachos turbáre nitebátur, noctu Monaſtérii jánuas hoſtíliter invádens: ſed vir Dei hoſtis ímpetum ità repréſſit, ut Mónachi in ſancto inſtitúto magis confirmaréntur, ac Patris ſanctitátem agnóſcerent. Spíritu Prophetíæ, aliíſque donis enítuit, quæ ut ſemper profúnda humilitáte conſervávit, ita contrà ſe Dæmonis invídiam concitávit. A quo præceps actus, à Beáta Vírgine deſperátam accépit ſalútem; quod benefícium perpétua, & ſinguléri in illam pietáte commendávit ad últimum uſque vitæ ſpíritum: quem ferè nonagenárius ſanctitáte, & miráculis clarus Deo réddidit, Anno ſalútis milléſimo ducentéſimo ſexagéſimo primo, ſexto Kaléndas Decémbris.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. *de Communi Abbat.*

ix. Lect. & commem. S. Petri Alex. Pap. & Mart.

Miſſ. Os juſti. *cum comm. S.*

DIE III. DECEMBRIS.

S. Galgani Conf. Dupl.

Omnia de Comm. Confeſſ. non Pontif. præter Orat. & Lect. ij. Noct.

Oratio.

DEus, qui Beátum Galgánum Confeſſórem tuum à vitiórum corruptéla mirábili converſióne ſanáſti; da nobis, quæſumus, ejus méritis, & exémplo per dignos pœniténtiæ fructus ad gáudia ſempitérna perveníre. Per Dóminum.

Lect. j. Noct. de Script.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

GAlgánum Cluſdíni in Etrúſco agri Senénſis Oppido natum infœcúndi Paréntes à Deo précibus

impetrárunt, à quorum pia inſtitutióne púerum adhuc juvenílis licéntia in omne ferè vitiórum genus abrípuit. Verùm ad ſigna pœniténtiæ tunc máximè à Deo revocátus eſt, cùm Clufdíno Civitéllam ad viséndam ſponſam proficíſcens ab apparénte ipſi Michaéle Archángelo juſſus eſt in próximum montem ſecédere, cui nomen à Sépibus: Ubi jejúniis, vigíliis, verberatiónibus, omníque pœnárum génere aſpérrimam, ſed cœléſtium rerum contemplatióne ſuavíſſimam vitam inſtítuit. Cùm verò Cruci, ad quam oráret, confórmándæ, per mali Dæmonis improbitátem vidéret ſibi ſæpiùs parátam éripi, diſpérdique matériem, gládium in extántem lápidem fácili ictu per prodígium altè defíxit, ut in decuſsáto ejus ſcápulo Crucis imáginem adoráret.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

INtérea Mater, nova quidem fílii converſióne læta, ſed ejúſdem diſcéſſu, abſentiáque perægra illum à ſolitúdinis amóre, cultúque ad núptias omni arte revocáre conténdit. Puéllam adeò, Polyxénam nómine, forma præſtántem Galgáni thálamo deſtinátam ad ipſum in Erémum addúxit. Verùm melióre ſuccéſſu Galgánus innúptæ, ut Chriſto in Vírginum Cœnóbio núberet, perſuáſit. Ipſe ínibi in ſua céllula súbſtitit, quam súbito miráculo circà, ſupráque infíxum lápidi gládium ſuccreſcéntes árbores concamerárunt. Ubi à Dæmone multíplici ratióne vexátus, victórque ſemper ſuſcéptam vitæ ratiónem conſtánter uſque, ſanctéque retínuit. Romam pietátis cauſa, Michaélis ductu proféctus ab Alexándro Tértio ſacris Indulgentiárum, ac Reliquiárum theſáuris auctus eſt: quæ dum expéctat, admonétur ab Angelo de ſuo ab ínvidis comminúto gládio, celluláque exúſta, deque flagítii pœnis, quas illi súbitas Deo dedére.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

MOx ad Erémum revérſus précibus gládium príſtinæ integritáti reſtítuit. Céllulam ſibi ſua ipſe manu refécit. Anno dénique, poſtquam ibi conséderat, evolúto, plúribus éditis ſanctíſſimæ vitæ exémplis, atque miráculis, exháuſtis à vitæ aſperitáte membris, ac víribus, plenus méritis, cœléſti voce ad prǽmia labórum invitánte, tértio Nonas Decémbris ætátis ſuæ anno trigéſimo ánimam Deo réddidit. Ejus Cadáver repértum eſt elátis in Cœlum óculis ante ſuam Crucem in génua de more procúmbens, propè quam, & ſepúltum eſt in extrúcto deínde ibi Templo in honórem Sancti Michaélis Archángeli, cujus ſub Ara infíxus étiam lápidi gládius ínteger cuſtodítur. Córpori autem poſt multos menſes refóſſo Caput præcíſum fuit: & in célebri Ciſterciénſium Templo propè Cluſdínum ad radíces montis Nómini Galgáni Sacro, veneratióni diù pátuit; quod deíndè Senas tranſlátum, apud Sacras Vírgines Sanctæ Maríæ Angelórum adhuc íntegrum, & capillátum, cum honóre, cultúque máximo frequéntis pópuli aſſervátur, & cólitur.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi. *de Comm. Conf. non Pont.*

Miſſa. Os juſti. *de dic. Comm.*

Et in Adv. ſit comm. fer.

DIE IV. DECEMBRIS.

S. Bernardi Card. Epiſc. & Confeſs. Vallumbr. Dupl.

Omnia de Comm. Conf. Pontif. præter ea, quæ ſequuntur.

Oratio.

DEus mundi Creátor, & Rector, qui hodiérna die Beátum Bernárdum Pontíficem ad cœléſtis Regni glóriam tranſtulíſti: da nobis, quæ-

quæſumus, fámulis tuis; ut qui ejus celebrámus feſtivitátem, ſalútem conſequámur, & pacem. Per Dóminum noſtrum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno. *Lectio iv.*

BErnárdus, Floréntiæ claris natálibus ortus, cùm Patris defúncti opulentíſſimam hæreditátem ingréſſus eſſet, adoléſcens mundi delícias faſtidíre cœperat ſolidióres ánimi voluptátes exquírens. Undè dum ſe ſopóri dat, per viſum offértur illi veſtis Monáſtica à venerábili viro; quam cùm à princípio Bernárdus accípere renuíſſet, mox pro Chriſti amóre ſe receptúrum pollícitus eſt: cujus ſponſiónis memória ſollicítior efféctus, Beatíſſimam Vírginem rogáre cœpit, ut quod ſibi hac in re faciéndum eſſet, inſpiráret. Célebris eo témpore erat fama ſanctitátis Monachórum Villisumbróſæ, quos Beátus Joánnes Gualbértus ſub Sanctíſſimæ Vírginis patrocínio pauló antè inſtitúerat, ad quorum Abbátem declínans Bernárdus, Religiónis ingréſſum humíliter expoſtulávit.

℟. Invéni David. *Lectio v.*

PLantátus ítaque in vínea Dómini exténdit pálmites bonórum óperum, ádeò ut defúncto illíus loci Abbáte, Abbas ipſe ſufféctus ſit; índeque ad universále Vallisumbroſánæ Religiónis régimen fuit promótus. Quem pòſteà, mórtuo venerábili Petro Cardináli ex Vallisumbroſáno Ordine (quem Sancta Eccléſia ob tránſitum per ignem Igneum appellávit) Urbánus Secúndus ob egrégias ánimi virtútes, & exploratíſſimam ſanctitátem invítum licèt, & eníxè reluctántem ad Cardinalátum aſsúmpſit, ejúſque ópera contra Henrícum Imperatórem Schiſmáticum ipſe, & Paſchális ſuccéſſor ſæpíſſimè uſi ſunt. Bernárdum máximè cóluit Mathíldis Comitíſſa óptima fémina, cujus cura públicum donatiónis inſtruméntum ipſa Venerábilis Comitíſſa bonórum, tàm quæ in Itália, quàm quæ ultrà Alpes poſſidébat, Sedi Apoſtólicæ inſtaurávit. Ea hortánte, & Parménſi pópulo efflagitánte, Parmæ, quo ad componéndos Schiſmaticórum motus ſe contúlerat, Epíſcopus conſecrátur: perpéſſis ante in ea Civitáte quamplúrimis ærúmnis. Nam die Aſſumptiónis Sanctæ Dei Genitrícis, dum cantáto Evangélio conciónem ad pópulum habéret, & hærétici Imperatóris mores aliquántulùm perſtrinxíſſet, commóta plebs ſchiſmática, Sanctum Virum Miſſas celebrántem rápuit ad cárcerem, quibus ſtatim Bernárdus ignóvit, illíſque véniam, & à Mathílde, quæ propter eórum ſcelus exércitum coégerat, & à Pontífice impetrávit.

℟. Póſui adjutórium.

Lectio vj.

PAcem Itáliæ, cujus Legátus erat, reſtítuit, hóſtibus Eccléſiæ perdómitis. Dimicántes Parménſium ácies armis, & número hóſtibus inferióres, fuſis ad Deum précibus, ad victóriam præmunívit. Horríbilem Padi alluviónem cuncta in agro Parménſi devaſtántem, advéntu ſuo ſolo Crucis ſigno compréſſit. Moribúndo Mónacho vitæ tempus protráxit, quoúſque negótiis, quæ præ mánibus verſabántur, expedítis, Pontificálem illi benedictiónem elargirétur. Demùm actívæ vitæ áctibus non minùs, pro Eccléſiæ Dei dignitáte tuénda, ſuíque gregis ſalúte, & Vallisumbróſæ Religiónis exaltatióne, quàm contemplatívæ, ſacræ nimírùm Scriptúræ ſtúdio, & oratiónibus ad Beátam Vírginem præſértim, quam Sancti Patris Joánnis Gualbérti exémplo Patrónam aſcíverat, conſpícuus in Cœlum evolávit anno milléſimo centéſimo trigéſimo tértio, pridiè nonas Dé-

cémbris. Ejus corpus Parmæ in Ecclésia Cathedráli aſſervátur.

℟. Iſte eſt.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Homo péregrè. *de Comm. Conf. Pont. j. loco, cum comm. fer. & S. Barbaræ Virg. & Mart.*

Miſſa. Státuit. *de Comm. Confeſs. Pont. fit commem. fer. & S. Barbaræ Virg. & Mart.*

DIE XIV. DECEMBRIS.

S. Dominici Silenſis Abb. Dupl.

Omnia de Comm. præter ea, quæ hìc ſunt propria.

In Hymn. Méruit ſuprémos.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam Beáti Domínici Confeſsóris tui præcláris vitæ méritis decorâſti, & in liberándis captívis, glorióſis lætificâſti miráculis; concéde nobis fámulis tuis, ut & ipsíus inſtruámur exémplis, & ab omni ſervitúte ejus patrocínio liberémur. Per Dóminum noſtrum.

In j. Noct. Lect. de Script.

In Quatuor Temp. Juſtus ſi morte. *ut in Comm. Conf. non Pontif.*

In ij. Nocturno. Lectio iv.

DOmínicus Abbas honéſtis paréntibus natus eſt Cannis, oppídulo ad radíces Jubédæ montis in Cantábris. Quem ab ipſa puerítia mirus monáſticæ vitæ ardor occupávit: ádeò ut relícta gregis patérni cura in ſolitúdinem ſecéſſerit. Sed cùm parum ei tuta viderétur illa ſolitúdo, insígne Sancti Æmiliáni Cœnóbium ádiit: ubi cùm diu ſub hábitu, & diſciplína monáſtica vixíſſet, magna ſanctitátis opinióne, Ecclésiæ Cannárum regéndæ præfícitur. Inde in Cœnóbium Sancti Æmiliáni revocátus, Prior effícitur. Verùm dum Cantabrórum Regi, quædam à Cœnóbio injúſtè exigénti conſtantíſſimè resíſtit, ab eódem in Jubédæ montis ínvia, duóbus Mónachis comítibus actus eſt; qui ejus furóri cédere cúpiens, ad Ferdinándum Caſtéllæ, & Legiónis Regem ejus nóminis primum ſe cóntulit.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

QUi Viri Dei ſanctitáte motus, illum ad ſe adeúntem beníguè, & honoríficè excépit, & Cœnóbio Sancti Sebaſtiáni præéſſe vóluit, áddito ab Epíſcopo Diœcesáno Abbátis título. Erat autem ipſe locus ínfrequens, útpotè qui ſterílibus quibúſdam Jubédæ montis cóllibus ſubjacébat, quà mons ipſe Celtibéros tangit. At claritáte miraculórum, quæ quotídiè per ſervum ſuum Domínicum operabátur Deus, tam céleber, ac frequens factus eſt, ut eo témpore per Hiſpániam nullus illúſtrior eſſet. Nulla enim fermè morbórum génera erant, quæ Domínici précibus ab hóminum corpóribus non pelleréntur. Unde Cœnóbio in auguſtiórem formam eréctо, magno étiam Monachórum número coáluit, Régibus, ac pópulis multa illi certátim offeréntibus.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

QUin étiam ſinguléri privilégio ſervum ſuum inſignívit Dóminus, ut Chriſtiáni, qui apud Mahometános vincti, multis ferri pondéribus tenebántur invocáto Domínico, liberaréntur. Demùm gravi morbo corréptus, Ecclésiæ Sacraméntis devotíſſimè ſuſcéptis, migrávit ad Dóminum, Anno Dómini milléſimo ſeptuagéſimo quarto. Eo autem die, quo migrávit à córpore viſa eſt à quibúſdam illíus ánima tríplici coróna decoráta in Cœlum ſubvoláre. Corpus verò ejus in eódem Cœnóbio cónditum hódie cérnimus, quod Sanctum Domínicum de Silos appellámus. Ad cujus ſepúlchrum orans Joánna, Felícis

lícis Guzmáni Uxor , olim infœcúnda , fílium impetrávit, cui Sancti hujus Viri proptéreà nomen impóſuit . Quod quidem ipſe mira vitæ ſanctitáte, Sacróque Prædicatórum Ordine inſtitúto, multò réddidit illúſtrius, quàm accépit.

℞. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. *de Comm. Abbat. ſit comm. oct. & fer.*

Miſſa. Os juſti. *de Comm. Abbat. ſit comm. oct. & fer. dic.* Credo, & *Præf. de Concept.*

Si hoc feſt. vener. in Quat. Temp. ix. Lect. de Homil. comm. oct. & fer.

ij. Veſper. erunt integræ de die Oct. Concept. ut in j. Veſper. feſti , cum commem. præced. fer. & S. Euſebii Epiſc. & Mart.

OFFICIUM S. BENEDICTI ABBATIS

Recitandum Feria tertia, ſeù aliâ die, ſub ritu ſemidupl.

MENSE JANUARIO.

Omnia ut in Comm. Conf. non Pontif. præter ea, quæ ſequuntur.

In primis Veſperis, Antiphona.

Fuit Vir vitæ venerábilis. *cum reliq. ut in feſto pag.* 37.

Pſal. Dixit Dóminus. *cum reliq. de Dominica, loco ult. Pſal.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitul. *Eccl.* 31.

BEátus vir, qui invéntus eſt ſine mácula, & qui poſt aurum non ábiit, nec ſperávit in pecúniæ theſáuris. Quis eſt hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita ſua. ℟. Deo grátias.

Hymnus. Láudibus cives &c. *ut in feſto pag.* 35. ℣. Amávit eum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Sanctíſſime Conféſſor Dómini, Monachórum Pater, & Dux Benedícte, intercéde pro noſtra, omniúmque ſalúte. *Oratio.*

EXcita Dómine in Ecclésia tua Spíritum, cui Beátus Pater Benedíctus Abbas ſervívit: ut eódem nos repléti, ſtudeámus amáre, quod amávit, & ópere exercére, quod dócuit. Per Dóminum noſtrum. In unitáte ejúſdem.

Ad Matutin. Invitatorium.

Regem Confeſsórum Dóminum; * Veníte adorémus.

Pſal. Veníte exultémus.

Hymnus. Quicquid antíqui, &c. *ut ſuprà in feſto pag.* 35.

Antiph. Pſal. ℣. & ℟. *Noctur. ſumuntur de Comm. Conf. non Pont.*

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

Incipit Liber ſecúndus Dialogórum Sancti Gregórii Papæ. Fuit vir, &c. *ut in ij. die infra Oct. S. Benedicti pag.* 38.

℟℟. *de Comm.*

In iij. Noct. Homil. Grandis fidúcia, *in Evang.* Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in Brev. de Communi Apoſtol. vel Abb.*

Benedictio octava.

Cujus feſtum, &c.

Ad Laudes, & per Horas, Antiph. Fuit Vir, &c. *ut in feſto pag.* 37.

Capitulum. Beátus vir, qui invéntus eſt. *ut ſuprà in Veſp.*

Hymn. Inter ætérnas. *Vide ſuprà in feſto pag.* 37.

℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et oſténdit illi Regnum Dei.

Ad Benedictus, Antiphona.

O Beáti Viri Patris Benedícti ſancta præcónia, ò inæſtimábilis diléctio charitátis: qui dum ſæculi pompam contémpſit, ætérnæ vitæ conjúnctus eſt.

Oratio. Excita Dómine. *ut ſuprà in Veſp.*

Ad Horas omnia de Comm. Conf. non Pontif. exceptis Antiphonis, quæ ſumuntur propriæ, ut in Laud.

Oratio. Excita. *ut ſuprà.*

Miſſa. Os juſti. *de Comm. Abb.*

j. Orat.

℣. Orat. Excita, *ut ſuprà, reliq. de dic. Miſſa.*

In ij. Veſp. Antiph. Pſal. Capit. & Hymn. ut in j. Veſp.

℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et oſténdit illi Regnum Dei.

Ad Magnificat, Ant. ut in j. Veſp.

Oratio. Excita Dómine. *ut ſuprà. Dic. Ant. ad Ben. & Mag. cum Orat. ut ſup. dicunt. etiam in Suffr.*

MENSE FEBRUARIO.

Omnia ut in Menſe Januario, præter ea, quæ hìc ponuntur, & ſic in ſingulis Menſibus ſeq.

In j. Noct. Lect. de Script.

℟℟. de Comm.

In ij. Nocturno.

De Libro ſecundo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Cap. 1. ante med.

BEnedíctus plus áppetens mala mundi pérpeti, quàm laudes, & pro Deo labóribus fatigári, quàm vitæ hujus favóre extólli, Nutrícem ſuam occúltè fúgiens, desérti loci ſecéſſum pétiit, cui Sublácus vocábulum eſt; qui à Romána Urbe quadragínta ferè míllibus diſtans frígidas, atque perſpícuas emánat aquas: quæ illìc vidélicet aquárum abundántia in exténſo priùs lacu collígitur, ad extrémum verò in amnem derivátur. Quò dum fúgiens pérgeret Mónachus quidam Románus nómine, hunc eúntem réperit: quò ténderet, requisívit. Cujus cùm deſidérium cognovíſſet, & ſecrétum ténuit, & adjutórium impéndit: eíque ſanctæ converſatiónis hábitum trádidit, & in quantum lícuit, miniſtrávit. Vir autem Dei ad eúndem locum pervéniens, in arctíſſimum ſpecum ſe trádidit, & tribus annis, excépto Románo Mónacho, ómnibus ibi incógnitus manſit: qui vidélicet Románus, non longè in Monaſtério ſub Theodáti Patris régula degébat. Sed piè ejúſdem Patris ſui óculis furabátur horas, & quem ſibi ad manducándum ſurrípere póterat, diébus certis Benedícto panem ferébat.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

AD eúndem verò ſpecum à Románi cella iter non erat, quia excélſa déſuper rupes eminébat, ſed ex eádem rupe in longíſſimo fune ligátum Románus depónere panem conſuéverat, in qua étiam reſti parvum tintinnábulum inséruit, ut ad ejus ſonum Vir Dei cognóſceret, quando ſibi Románus panem præbéret, quem éxiens accíperet: Sed antíquus hoſtis uníus charitáti ínvidens, & altérius refectióni, cùm quadam die ſubmítti panem conſpíceret, jactávit lápidem, & tintinnábulum fregit: Románus tamen modis congruéntibus miniſtráre non déſiit. Cùm verò jam Deus Omnípotens, & Románum vellet à labóre quiéſcere, & Benedícti vitam in exémplum homínibus demonſtráre, ut póſita ſuper candelábrum lucérna claréſceret, quátenùs ómnibus, qui in domo Dei ſunt, lucéret, cuídam Presbytero lóngiùs manénti, qui refectiónem ſibi in Paſcháli feſtivitáte paráverat, per viſum Dóminus apparére dignátus eſt, dicens: Tu tibi delícias paras, & ſervus meus illo in loco fame cruciátur. Qui prótinùs ſurréxit, atque in ipſa ſolemnitáte Paſcháli cum aliméntis, quæ ſibi paráverat, ad locum teténdit, & Virum Dei per abrúpta móntium, & per cóncava vállium, per defóſſa terrárum quæsívit, eúmque latére in ſpecu réperit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

CUmque oratióne facta benedicéntes Dóminum omnipoténtem conſedíſſent: poſt dúlcia vitæ collóquia, is, qui advénerat, Présbyter dixit; Surge, ſumámus cibum,

bum, quia hódie Paſcha eſt. Cui Vir Dei reſpóndit dicens: Scio, quia Paſcha eſt, quia hódie vidére te mérui: Longè quippè ab homínibus póſitus, quia die eódem Paſchális ſolémnitas eſſet, ignorábat. Venerábilis autem Présbyter rursùs aſséruit, dicens: Veráciter hódie Reſurrectiónis Domínicæ Paſchális dies eſt: abſtinére tibi mínimè cóngruit: quia & ego ad hoc miſſus ſum, ut Omnipoténtis Dei dona páriter ſumámus. Benedicéntes ígitur Dóminum, ſumpsérunt cibum. Expléta ítaque refectióne, & collóquio, ad Eccléſiam ſuam Présbyter recéſſit.

℞. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. Perféctus ille eſt, *in Evang.* Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in Converſione Sancti Pauli Apoſt. (25. Jan.)*

MENSE MARTIO.

In j. Nocturno Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Cap. 3. in fine.

CUm Sanctus Vir diù in eádem ſolitúdine virtútibus, ſigníſque ſuccréſceret, multi ab eo in eódem loco ad Omnipoténtis Dei ſunt ſervítium congregáti; ità ut illic duódecim Monaſtéria cum Omnipoténtis Jeſu Chriſti Dómini opitulatióne conſtrúxerit: in quibus ſtatútis Pátribus, duodénos Mónachos deputávit, páucos verò ſecum retínuit, quos adhuc in ſua præséntia áptiùs erudíri judicávit. Cœpére étiam tunc ad eum Románæ Urbis Nóbiles, & Religióſi concúrrere, ſuóſque ei fílios, Omnipoténti Deo nutriéndos dare. Tunc quoque bonæ ſpei ſuas sóboles Eutychius Máurum, Tertúllus verò Patrícius Plácidum trádidit: è quibus Maurus júnior, cùm bonis polléret móribus, Magíſtri adjútor cœpit exíſtere; Plácidus verò puerílis adhuc índolis gerébat annos.

℞. Honéſtum fecit.

Lectio v.

IN uno autem ex eis Monaſtériis, quæ circumquáque conſtrúxerat, quidam Mónachus erat: qui ad oratiónem ſtare non póterat; ſed mox, ut ſe Fratres ad ſtúdium oratiónis inclinábant, ipſe egrediebátur foras, & mente vaga, terréna áliqua, & tranſitória agébat. Cùmque ab Abbáte ſuo ſæpiùs fuíſſet admónitus, ad Virum Dei dedúctus eſt: qui ipſe quoque ſtultítiam ejus veheménter increpávit, & ad Monaſtérium revérſus, vix duóbus diébus Viri Dei admonitiónem ténuit: Nam die tértia ad uſum próprium revérſus, vagári témpore oratiónis cœpit. Quod, cùm Servo Dei ab eódem Monaſtérii Patre, quem conſtitúerat, nunciátum fuíſſet, dixit: Ego vénio, & nunc per memetípſum eméndo.

℞. Amávit eum.

Lectio vj.

CUmque Vir Dei veníſſet ad Monaſtérium, & conſtitúta hora, expléta Pſalmódia, ſeſe Fratres in oratiónem dedíſſent, aſpéxit, quòd eúndem Mónachum, qui in oratióne manére non pótuit, quidam niger puérulus per veſtiménti fímbriam foràs tráheret. Tunc eídem Patri Monaſtérii Pompejáno nómine, & Mauro Dei fámulo ſecrétè dixit: Numquid non aſpícitis, quis eſt, qui iſtum Mónachum foràs trahit? qui reſpondéntes dixérunt: Non; quibus ait: Orémus, ut vos étiam videátis, quem iſte Mónachus ſéquitur. Cùmque per bíduum eſſet orátum, Maurus Mónachus vidit, Pompejánus verò ejúſdem Monaſtérii Pater vidére non pótuit: Die ígitur áltera, expléta oratióne, Vir Dei oratório egréſſus, ſtantem foràs Mónachum réperit, quem pro cœcitáte cordis ſui, virga percúſſit:

qui

qui ex illo die nihil perſuaſiónis ultériùs à nigro jam puérulo pértulit, ſed ad oratiónis ſtúdium immóbilis permánſit: ſicque antíquus hoſtis dominári non auſus eſt in ejus cogitatióne, ac ſi ipſe perfúſus fuíſſet ex vérbere.

℟. Iſte homo.

In iij. Noctur. Homilia. Duo ſunt órdines, *in Evang.* Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in Brev. vj. die infra oct. SS. Apoſtol. Petri, & Pauli die 4. Julii.*

MENSE APRILI.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. *Cap.* 6.

ALio quoque témpore Gothus quidam pauper ſpíritu, ad converſiónem venit, quem Dei Vir Benedíctus libentíſſimè ſuſcépit. Quadam verò die ei dari ferraméntum juſſit, quod ad falcis ſimilitúdinem falcáſtrum vocátur, ut de loco quodam vepres aſcínderet, quátenùs illic hortus fíeri debéret. Locus autem ipſe, quem mundándum Gothus ſuſcéperat, ſuper ipſam laci ripam jacébat. Cùmque Gothus idem denſitátem véprium totíus virtútis anníſu ſuccíderet, ferrum de manúbrio proſíliens in lacum cécidit, ubi ſcílicet tanta erat aquárum profúnditas, ut ſpes requiréndi ferraménti nulla jam eſſet. Itaque ferro pérdito, tremebúndus ad Maurum Mónachum cucúrrit Gothus, damnum, quod fécerat, nuntiávit: & reátus ſui egit pœniténtiam. Quod Maurus quoque Mónachus mox Benedícto fámulo Dei curávit indicáre. Vir ígitur Dómini Benedíctus, hæc áudiens, accéſſit ad lacum, tulit de manu Gothi manúbrium, & miſit in lacum, & mox ferrum de profúndo rédiit, atque in manúbrium intrávit. Qui ſtatim ferraméntum Gotho réddidit, dicens: Ecce, labóra, & noli contriſtári.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v. *Cap.* 8. *propè fin.*

SAnctus Vir ad ália démigrans loca, non hoſtem mutávit: nam tantò poſt gravióra prælia pértulit, quantùm contra ſe apértè pugnántem ipſum malítiæ magíſtrum invénit. Caſtrum namque, quod Caſsínum dícitur, in excélſi montis látere ſitum eſt, qui vidélicet mons diſténſo ſinu, hoc idem Caſtrum récipit, ſed per tria míllia in altum ſe súbrigens, velut ad áera cacúmen tendit; ubi vetuſtíſſimum fanum fuit, in quo ex antiquórum more gentílium, à ſtulto ruſticórum pópulo Apóllo colebátur.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

CIrcumquáque étiam in cultu Dœmonum luci ſuccréverant, in quibus adhuc eódem témpore infidélium insána multitúdo ſacrifíciis ſacrílegis inſudábat. Illùc ítaque Vir Dei pervéniens, contrívit idólum, ſubvértit aram, ſuccéndit lucos, atque in ipſo Templo Apóllinis, Oráculum Beáti Martíni, ubi verò Ara ejúſdem Apóllinis fuit, Oráculum Sancti Joánnis conſtrúxit: & commorántem circumquáque multitúdinem, prædicatióne contínua ad fidem vocábat.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. Si céntuplum, *in Evang.* Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in iv. die infra Octav. S. Benedicti pag.* 40.

MENSE MAIO.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. *Cap.* 11.

RUrſum, dum Fratres paríetem [quia res ita exigébat] paulò áltiùs erígerent, Vir Dei in oratiónis

nis ſtúdio intra cellæ ſuæ clauſtra morabátur. Cui antíquus hoſtis inſúltans appáruit, & ei, quod ad laborántes Fratres pérgeret, indicávit. Quod Vir Dei, per núncium celérrimè Frátribus indicávit, dicens: Fratres cautè vos ágite, quia ad vos hac hora malígnus ſpíritus venit.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

IS, qui mandátum détulit, vix verba compléverat, & malígnus ſpíritus eúndem paríetem, qui ædificabátur, evértit, atque unum puérulum Mónachum cujúſdam curiális fílium ópprimens, ruína contrívit. Contriſtáti omnes, ac veheménter afflícti, non damno paríetis, ſed contritióne Fratris, venerábili Patri Benedícto celériter cum gravi luctu nunciárunt.

℟. Amávit eum.

Lectio v.

TUnc idem Pater Benedíctus, dilacerátum púerum ad ſe deférri jubet: quem portáre nonníſi in ſacco potuérunt, quia collápſi ſaxa paríetis, non ſolùm ejus membra, ſed étiam oſſa contríverant. Præcepítque Vir Dei ſtatim eum in cella ſua in pſyácio, quo oráre conſuéverat, projíci; miſsíſque foras Frátribus cellam clauſit: qui oratióni inſtántiùs, quàm ſolébat, incúbuit. Mira res, eádem hora hunc incólumen, atque ut priùs valéntem ad eúndem íterùm labórem miſit: ut ipſe quoque paríetem cum Frátribus perfíceret, de cujus ſe intéritu antíquus hoſtis Benedícto inſultáre credidíſſet.

℟. Iſte homo.

In iij. Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Lectio vij.*

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jeſum: Ecce nos relíquimus ómnia, & ſecúti ſumus te; quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía Sancti Ambróſii Epíſcopi. *In Pſalm. 118. ſerm. 8. poſt init.*

ECce nos ómnia derelíquimus, & ſecúti ſumus te, hoc eſt, non quæsívimus, quæ ſæculi ſunt, non quæsívimus partem de poſſeſſiónibus, ſed te elégimus portiónem: Reliquíſti ergo ómnia, Petre, quæ habébas, unde habes, quod habére te dicis? Surgit claudus, & ſono tui ſermónis erigitur. Sanitátem áliis donas, qui indigébas ipſe tuæ ſalútis auxílio. Reliquíſti ergo, quæ habébas, & cœpíſti, quæ non habébas. Chriſtus tibi pórtio, Chriſtus tibi poſséſſio eſt: illíus nomen tibi muníficum, illíus nomen tibi eſt fructuóſum, illíus nomen tibi tribúta dependit, & bona tribúta, non pecúniæ, ſed grátiæ.

℟. Iſte eſt. *Lectio viij.*

QUicúmque relíquerit patrem, aut matrem, domum, aut fratres, aut ſorores, céntuplum accípiet in hoc ſæculo, & vitam ætérnam poſſidébit. Multos quidem in hoc ſæculo, qui ſua paupéribus donavérunt, uberióre theſáuro locupletátos fuíſſe cognóvimus: eſt pulchérrimus locus, ut étiam ad miſericórdiam provocéntur; ſed non debent à Dómino ſæculárem hujúſmodi exígere mercédem; nec ſperáre quæ mundi ſunt: ſed magis eam, qua iis, qui ómnia relíquerint, Deus pórtio eſt. Ipſe eſt útique merces perfécta virtútum, qui non céntupli enumeratióne, ſed perféctæ plenitúdinis æſtimatióne censétur. Ego, inquit, Deus tuus ſum: non dixit, ero; ſed jam ſum, jam inhábito, jam poſsídeo.

℟. Sint lumbi. *Lectio ix.*

HAbes homo inter multa propóſita étiam hujúſmodi portiónem: propóſuit tibi Dóminus in portióne poſſeſſiónes, in portióne aurum, in portióne argéntum, in portióne honóres, in portióne nobilitá-

litátem: propóſuit étiam in portióne ſeípſum. Habes ígitur plúrimas portiónes; élige, quam putas: non te númerus pertúrbet, ſed éxcitet grátia: non te labor avértat, ſed fructus invítet.

Te Deum laudámus.

MENSE JUNIO.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

Ex Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. *Cap.* 1.

EOdem quoque témpore quidam Aquinénſis Eccléſiæ Cléricus à Dœmónio vexabátur, qui à Venerábili Viro Conſtántio, ejúſdem Eccléſiæ Antíſtite, per multa fúerat Mártyrum loca tranſmíſſus, ut ſanári potuíſſet: ſed Sancti Dei Mártyres noluérunt ei ſanitátis donum tribúere, ut quanta eſſet in Benedícto grátia, demonſtrárent. Ductus ítaque eſt ad Omnipoténtis Dei fámulum Benedíctum: qui Jeſu Chriſto Dómino preces fundens, antíquum hoſtem de obséſſo hómine prótinùs éxpulit.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

CUi ſanáto præcépit, dicens: Vade, & poſthac carnem non cómedas, & ad Sacrum Ordinem nunquam accédere præsúmas. Quacúmque autem die ad Sacrum Ordinem accédere præsúmpſeris, ſtatìm juri Diáboli íterùm mancipáberis. Diſcéſſit ígitur Cléricus ſanus; & ſicut terrére ſolet ánimum pœna recens, ea, quæ Vir Dei præcéperat, ínterìm cuſtodívit. Cùm verò poſt annos multos, omnes prióres illo de hac luce migráſſent, & minóres ſuos síbimet ſuperpóni in Sacris Ordínibus cérneret, verba Viri Dei quaſi ex longo témpore oblítus poſtpóſuit, atque ad Sacrum Ordinem accéſſit, quem mox is, qui relíquerat eum, Diábolus ténuit, cúmque vexáre, quoúſque ánimam ejus excúteret, non ceſſávit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

ISte Vir Dei divinitátis, ut vídeo, étiam ſecréta penetrávit, quia perſpéxit, hunc Cléricum idcircò Diábolo tráditum, ne ad Sacrum Ordinem audéret accédere. Quare divinitátis ſecréta non noſſet, qui divinitátis præcépta ſerváret? Cùm ſcriptum ſit: Qui adhæret Dómino, unus ſpíritus eſt cum illo. Sancti Viri in quantum cum Deo unum ſunt, ſenſum Dómini non ignórant. Nam idem quoque Apóſtolus dicit: Quis enim ſcit hóminum, quæ ſunt hóminis, niſi ſpíritus hóminis, qui eſt in ipſo? ita, & quæ Dei ſunt, nemo cognóvit, niſi ſpíritus Dei. Qui, ut ſe oſténderet noſſe, quæ Dei ſunt, adjúnxit: Nos autem non ſpíritum hujus mundi accépimus, ſed ſpíritum, qui ex Deo eſt. Hinc íterùm dicit: Quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcéndit, quæ præparávit Deus diligéntibus ſe: nobis autem revelávit per ſpíritum ſuum.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. Apóſtoli dictis, *in Evang.* Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in vj. die infra Oct. S. Benedicti pag.* 42.

MENSE JULIO.

Lect. j. Noct. de Script.

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. *Cap.* 21.

ALio quoque témpore in eádem Campániæ Regióne fames incubúerat, mágnaque omnes alimentórum indigéntia coanguſtábat: jamque in Benedícti Monaſtério tríticum déerat: panes verò penè omnes consúmpti fúerant, ut non plus quàm quinque ad refectiónis horam, Frátribus inveníri potuíſſent. Cúmque

que

que eos Venerábilis Pater contriſtátos cérneret, eórum puſillanimitátem ſtúduit modéſta increpatióne corrígere, & rursùm promiſſióne ſubleváre, dicens: Quare de panis inópia veſter ánimus contriſtátur? Hódie quidem minùs eſt, ſed die craſtina abundánter habébitis. Sequénti autem die ducénti farínæ módii ante fores cellæ in ſaccis invénti ſunt; quos Omnípotens Deus, quibus deferéntibus tranſmisíſſet, nunc uſque manet incógnitum. Quod cùm Fratres cérnerent, Dómino grátias referéntes, didicérunt jam de abundántia, nec in egeſtáte dubitáre.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v. *Cap.* 28. & 30.

EO quoque témpore, quo alimentórum inópia Campániam gráviter affligébat, Vir Dei divérſis indigéntibus Monaſtérii ſui cuncta tribúerat, ut penè nihil in Cellário, niſi parùm quid ólei in vaſe vítreo remanéret. Tunc quidam Subdiáconus, Agápitus nómine, advénit, magnópere póſtulans, ut ſibi aliquántulùm ólei dari debuíſſet. Vir autem Dómini, qui cuncta decréverat in terra tribúere, ut in Cœlo ómnia reſerváret, hoc ipſum parum, quod remánſerat ólei juſſit peténti dari. Mónachus verò, qui Cellárium tenébat, audívit quidem jubéntis verba, ſed implére díſtulit. Cùmque poſt páululùm, ſi id, quod júſſerat, datum eſſet, inquíreret: reſpóndit Mónachus, ſe mínimè dedíſſe: quia ſi illud ei tribúeret, omnínò nihil Frátribus remanéret. Tunc irátus, áliis præcépit, ut hoc ipſum vas vítreum, in quo parùm ólei remansíſſe videbátur, per fenéſtram projícerent, ne in cella áliquid per inobediéntiam remanéret.

℟. Amávit eum. *Lectio vj.*

FActúmque eſt ita. Sub fenéſtra autem eádem ingens præcipítium patébat ſaxórum mólibus aſpérſum. Projéctum ítaque vas vítreum venit in ſaxis, ſed ſic manſit incólume, ac ſi projéctum mínimè fuíſſet, ita ut neque frangi, neque óleum effúndi potuíſſet. Quod Vir Dómini præcépit levári; ítaque ut erat íntegrum, peténti tríbuit. Tunc colléctis Frátribus, inobediéntem Mónachum de infidelitáte ſua, & ſupérbia coràm ómnibus increpávit. Qua increpatióne compléta, ſeſe cum eíſdem Frátribus in oratiónem dedit. In eo autem loco, ubi cum Frátribus orábat, vácuum erat ab óleo dólium, & coopértum. Cùmque Sanctus Vir in oratióne persíſteret, cœpit operiméntum ejúſdem dólii óleo excreſcénte ſublevári. Quo commóto, atque ſubleváto, óleum, quod excréverat, ora dólii tránſiens, paviméntum loci, in quo incubúerat, inundábat. Quod Benedíctus Dei fámulus ut aſpéxit, prótinùs oratiónem complévit, atque in paviméntum óleum deflúere ceſsávit.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. Arbitror verba, *in Evang.* Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in vij. die infra Octav. S. Benedicti pag.* 42.

MENSE AUGUSTO.

Lect. j. Noct. de Script.

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. *Cap.* 30. & 31.

QUi devóta mente Deo adhærent, cùm rerum necéſſitas expóſcit, exhibére ſigna modo utróque ſolent, ut mira quæque aliquándo ex prece fáciant, aliquándo ex poteſtáte: Cùm enim Joánnes dicat: Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis poteſtátem fílios Dei fíeri. Qui fílii Dei ex poteſtáte ſunt, quid mirum, ſi ſigna fácere ex poteſtáte váleant? Quia enim utróque modo mirácula exhíbeant, teſtátur Petrus, qui

qui Thabítem mórtuam orándo ſuſcitávit, Ananíam verò, & Saphíram mentiéntes, morti increpándo trádidit. Neque oráſſe in eórum extinctióne légitur, ſed ſolúmmodò culpam, quam perpetráverant, increpáſſe. Conſtat ergo, quod aliquándo hæc ex poteſtáte, aliquándo verò exhibéntur ex poſtulatióne, dum & iſtis vitam increpándo ábſtulit, & illi réddidit orándo. Nam duo quoque fidélis fámuli Dei Benedícti facta nunc réplico, in quibus apértè cláreat, áliud hunc, accépta divínitùs ex poteſtáte, áliud ex oratióne potuíſſe. Gothórum quidam, Galla nómine, perfídiæ fuit Ariánæ, qui Tótilæ Regis eórum tempóribus, contra Cathólicæ Eccléſiæ religióſos viros, ardóre immaníſſimæ crudelitátis exárſit, ita ut quiſque ei Cléricus, Monachúſve ante fáciem veníſſet, ab ejus mánibus vivus nullo modo exíret.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

QUadam verò die, avarítiæ ſuæ æſtu ſuccénſus, in rapínam rerum ínhians, dum quemdam rúſticum torméntis crudélibus afflígeret, eúmque per ſupplícia divérſa laniáret, victus pœnis rúſticus ſeſe, reſque ſuas Benedícto Dei fámulo commendáſſe proféſſus eſt, ut dum hoc à torquénte créditur, ſuſpénſa ínterìm crudelitáte, ad vitam hora reparétur. Tunc idem Galla ceſſávit rúſticum torméntis afflígere, ſed ejus bráchia loris fórtibus adſtríngens, ante equum ſuum cœpit impéllere, ut quis eſſet Benedíctus, qui ejus res ſuſcéperat, demonſtráret. Quem, ligátis bráchiis rúſticus antecédens, duxit ad Sancti Viri Monaſtérium, eúmque ante ingréſſum cellæ ſolum ſedéntem réperit, & legéntem. Eídem ſubſequénti Gallæ, rúſticus dixit: Ecce iſte eſt, de quo díxeram tibi, Benedíctus Pater. Quem, dum férvido ſpíritu, cùm pervérſæ mentis insánia fuíſſet intúitus, eo terróre, quo conſuéverat, actúrum ſe exíſtimans, magnis cœpit vócibus clamáre, dicens: Surge, ſurge, & res iſtíus rúſtici redde, quas accepíſti. Ad cujus vocem Vir Dei prótinùs óculos levávit à lectióne, eúmque intúitus, mox étiam rúſticum, qui ligátus tenebátur, atténdit, ad cujus bráchia, dum óculos deflexíſſet, miro modo tanta ſe celeritáte cœpérunt illigáta bráchiis lora devólvere, ut diſsólvi tam cóncitè nulla hóminum feſtinatióne potuíſſent.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

CUmque is, qui ligátus vénerat, cœpíſſet ſúbitò adſtáre ſolútus, ad tantæ poteſtátis vim tremefáctus Galla, ad terram córruit, & cervícem crudelitátis rígidæ ad ejus veſtígia inclínans, ſe oratiónibus illíus commendávit. Vir autem Sanctus à lectióne mínimè ſurréxit, ſed vocátis Frátribus, eum intrórsùs tolli, ut benedictiónem accíperet, præcépit. Quem ad ſe redúctum, ut à tantæ crudelitátis insánia quiéſcere debéret, admónuit. Qui fractus recédens, nihil ultériùs pétere à rúſtico præſúmpſit, quem Vir Dómini non tangéndo, ſed reſpiciéndo sólverat. Ecce ita eſt, Petre, quod dixi, quia hi, qui Omipoténti Deo familiáriùs sérviunt, aliquándo mira fácere étiam ex poteſtáte poſſunt. Qui enim ferocitátem Gothi terríbilis ſedens depréſſit, lora verò, nodóſque ligatúræ, quæ innocéntis bráchia adſtrínxerant, óculis diſsólvit, ipſa miráculi celebritáte índicat, quia ex poteſtáte accéperat habére, quod fecit.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. Ecce enim dixi, *in Evang.* Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in viij. die S. Benedicti pag.* 45.

MENSE SEPTEMBRI.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ii. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. *Cap.* 32.

QUodam die cum Frátribus ad agri ópera fúerat egréſſus. Quidam verò rúſticus, defúncti fílii corpus in ulnis ferens, orbitátis luctu æſtuans ad Monaſtérium venit. Benedíctum Patrem quæsívit. Cui cùm dictum eſſet, quia idem Pater cum Frátribus in agro morarétur, prótinùs ante Monaſtérii jánuam corpus extíncti fílii projécit, & dolóre turbátus, ad inveniéndum Venerábilem Patrem, ſeſe in curſum cóncitus dedit. Eádem verò hora Vir Dei ab agri ópere jam cum Frátribus revertebátur. Quem mox ut orbátus rúſticus aſpéxit, clamáre cœpit: Redde fílium meum, redde fílium meum.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

VIr autem Dei in hac voce súbſtitit, dicens: Numquid ego fílium tuum tibi ábſtuli? Cui ille reſpóndit: Mórtuus eſt, veni, reſúſcita eum. Quod, ut mox Dei fámulus audívit, valdè contriſtátus eſt, dicens: Recédite Fratres, recédite, hæc noſtra non ſunt, ſed Sanctórum Apoſtolórum. Quid nobis ónera vultis impónere, quæ non póſſumus portáre? At ille, quem nímius cogébat dolor, in ſua petitióne pérſtitit jurans, quòd non recéderet, niſi ejus fílium reſuſcitáret.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

QUem mox Dei fámulus inquiſívit dicens: Ubi eſt? cui ille reſpóndit: Ecce corpus ejus ad jánuam Monaſtérii jacet. Quò cùm Vir Dei cum Frátribus perveníſſet, flexit genu, & ſuper corpúſculum infántis incúbuit, ſeſéque érigens ad Cœlum palmas teténdit, dicens: Dómine non aſpícias peccáta mea, ſed fidem hujus hóminis, qui reſuſcitári fílium ſuum rogat, & redde in hoc corpúſculum ánimam, quam abſtulíſti. Vix in oratióne verba compléverat, & regrediénte ánima, ita corpúſculum púeri omne contrémuit, ut ſub óculis ómnium, qui áderant, apparúerit concuſſióne mirífica treméndo palpitáſſe. Cujus mox manum ténuit, & eum Patri vivéntem, atque incólumen dedit.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. Grandis fidúcia, *in Evang.* Ecce nos relíquimus ómnia. *in Commun. Apoſtol. vel Abbat.*

MENSE OCTOBRI.

Lect. j. Noct. de Script.

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. *Cap.* 33. *circa med.*

CUmque Vir Dei Benedíctus, quieſcéntibus adhuc Frátribus inſtans vigíliis, noctúrnæ oratiónis témpora præveníſſet, ad feneſtram ſtans, & Omnipoténtem Deum déprecans, súbitò intempéſta noctis hora reſpíciens, vidit fuſam lucem déſuper cunctas noctis ténebras effugáſſe, tantóque ſplendóre claréſcere, ut diem vínceret lux illa, quæ in ténebris radiáſſet. Mira autem res valdè in hac ſpeculatióne ſequúta eſt, quia, ſicut poſt ipſe narrávit, omnis étiam mundus, velut ſub uno ſolis rádio colléctus, ante óculos ejus addúctus eſt. Qui venerábilis Pater, dum inténtam oculórum áciem in hoc ſplendóre coruſcæ lucis infígeret, vidit Germáni Capuáni Epíſcopi ánimam, in ſphæra ígnea ab Angelis in Cœlum deférri.

℟. Honéſtum fecit.

Le-

Lectio v.

TUnc tanti ſibi teſtem volens adhibére miráculi, Servándum Diáconum, iteráto bis, terque ejus nómine, cum clamóris magnitúdine vocávit. Cùmque ille fuiſſet inſólito tanti Viri clamóre turbátus, aſcéndit, reſpéxit, partémque jam lucis exíguam vidit. Cui tantum hoc obſtupeſcénti miráculum, Vir Dei per órdinem, quæ fúerant geſta, narrávit: ſtatímque in Caſsínum Caſtrum, Religióſo Viro Theóprobo mandávit, ut ad Capuánam Urbem ſub eádem nocte tranſmítteret, & quid de Germáno Epíſcopo agerétur, agnóſceret, & indicáret. Factúmque eſt; & Reverendíſſimum Virum Germánum Epíſcopum is, qui miſſus fúerat, jam defúnctum réperit, & requírens ſubtíliter, agnóvit, eódem moménto fuiſſe illíus óbitum, quo Vir Dómini ejus agnóvit aſcénſum. Fixum tene (Petre) quod loquor, quia ánimæ vidénti Creatórem angúſta eſt omnis creatúra. Quámlibet étenim parùm de luce Creatóris aſpéxerit, breve ei fit omne, quod creátum eſt; quia ipſa luce viſiónis, íntimæ mentis laxátur ſinus, tantúmque expánditur in Deo, ut ſupérior exíſtat mundo; fit verò ipſa vidéntis ánima étiam ſuper ſemetípſam.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

CUmque in Dei lúmine rápitur, ſuper ſe in interióribus ampliátur; & dum ſub ſe cónſpicit, exaltáta comprehéndit, quàm breve ſit, quod comprehéndere humiliáta non póterat. Vir ergo Dei, qui in turri globum ígneum, Angelos quoque ad Cœlos redeúntes vidébat, hæc procul dúbiò cérnere nonníſi in Dei lúmine póterat: Quid ítaque mirum, ſi mundum ante ſe colléctum vidit, qui ſublevátus in mentis lúmine, extra mundum fuit? Quod autem colléctus mundus ante ejus óculos dícitur: non Cœlum, & terra contrácta eſt, ſed vidéntis ánimus eſt dilatátus: qui in Deo raptus, vidére ſine difficultáte pótuit omne, quod infra Deum eſt. In illa ergo luce, quæ exterióribus óculis fulſit, lux intérior in mente fuit, quæ vidéntis ánimam, cùm ad ſuperióra rápuit, ei quàm angúſta eſſent ómnia inferióra, monſtrávit.

℟. Iſte homo.

In iij. Noctur. Homil. Perféctus ille eſt, *in Evang.* Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in Brev. in Converſióne S. Pauli Apoſt.* (25. *Jan.*)

MENSE NOVEMBRI.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

De Libro ſecúndo Dialogórum Sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. *Cap.* 37.

EOdem verò anno, quo de hac vita erat exitúrus, quibúſdam Diſcípulis ſecum commorántibus, quibúſdam longè manéntibus, ſanctíſſimi ſui óbitus denuntiávit diem; præſéntibus indícens, ut audíta per ſiléntium tégerent, abſéntibus índicans, quod, vel quale eis ſignum fíeret, quando ejus ánima de córpore exíret. Ante ſextum verò ſui éxitus diem aperíri ſibi ſepultúram jubet. Qui mox corréptus fébribus, acri cœpit ardóre fatigári.

℟. Honéſtum fecit.

Lectio v.

CUmque per dies ſíngulos languor ingravéſceret, ſexta die portári ſe in Oratórium à Diſcípulis fecit, ibíque éxitum ſuum Domínici Córporis, & Sánguinis perceptióne munívit, atque inter Diſcipulórum manus imbecíllia membra ſuſténtans, eréctis in Cœlum mánibus ſtetit, & últimum ſpíritum inter verba oratiónis efflávit. Qua ſcílicet die, duóbus de eo frátribus, uni in cella commoránti, álteri au-

tem lóngiùs póſito, revelátio unius, atque indiſsímilis viſiónis appáruit. Vidérunt namque, quia ſtrata pálliis, atque innúmeris corúſca lampádibus via, recto Oriéntis trámite ab ejus cella in Cœlum uſque tendebátur.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

CUi venerándo hábitu Vir déſuper clarus aſsíſtens, cujus eſſet via, quam cérnerent, inquisívit: illi autem ſe neſcíre proféſſi ſunt. Quibus ipſe ait: Hæc eſt via, qua diléctus Dómini Cœlum Benedíctus aſcéndit. Tunc ítaque Sancti Viri óbitum, ſicut præséntes Diſcípuli vidérunt, ita abséntes, ex ſigno quod eis prædíctum fúerat, agnovérunt. Sepúltus verò eſt in Oratório Beáti Joánnis Baptíſtæ, quod, deſtrúcta Ara Apóllinis, ipſe conſtrúxit. Qui & in eo Specu, in quo priùs habitávit, nunc uſque, ſi peténtium fides éxigat, miráculis corúſcat.

℟. Iſte homo.

In iij. Noct. Homil. Duo ſunt órdines, *in Evang.* Ecce nos relíquimus ómnia. *ut in Brev. vj. die infra Oct. SS. Apoſt. Petri, & Pauli* 4. *Julii.*

MENSE DECEMBRI.

Ante Adventum.

Omnia ut in menſe Jan. pag. 106.

OFFI-

OFFICIUM S. SCHOLASTICÆ VIRGINIS

Recitandum ſemel in Menſe ſub Ritu ſemidupl.

MENSE JANUARIO.

Omnia de Comm. Virg. præter ea, quæ hìc ſunt propria, & ſic in ſingulis Menſibus ſeq.

Oratio.

EXáudi nos Deus ſalutáris noſter: ut ſicut de Beátæ Scholáſticæ Vírginis tuæ Commemoratióne gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur affléctu. Per Dóminum noſtrum.

Ad Matut. Invitat.

Regem Vírginum Dóminum: * Veníte adorémus.

Pſal. Veníte.

Hymnus.

VIrginis proles. *ut in Comm. Virg.*

In j. Noct. Lect. de Script.

℟℟. *de dic. Comm.*

In ij. Nocturno.

Sermo Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Tom. 7. Operum ejuſd. Bedæ.

Lectio iv.

QUia Beátæ Scholáſticæ commemoratiónem perágimus, Fratres charíſſimi, libet de ejus vitæ méritis áliquid de vita Beatíſſimi Patris Benedícti huic opúſculo introdúcere, ut quantæ excelléntiæ ſanctitátis fúerit, ſiléntio non tegátur: ſed prímitùs Omnipoténti Deo preces mittámus, qui ómnia in ſapiéntia fecit, ut ipſe donáre dignétur, quia dignátus eſt dícere: Qui ſitit, véniat, & bibat, & de ventre ejus fluent aquæ vivæ, ut cœpta ſic dignè proſequámur, ut tantæ Vírginis pertíneat ad honórem, & veſtræ charitáti præbeat increméntum. Tu autem Dómine.

℟. Propter veritátem. *pag.* 8.

Lectio v.

SOror ígitur Benedícti Scholáſtica Omnipoténti Dómino ab ipſo infántiæ témpore dedicáta, ad eum ſemel per annum veníre conſuéverat. Prímitùs quidem virtútem tanti nóminis inquirámus, ut ſuo decóre orátio decúrrat. Scholáſtica enim à Schola derivátur, quæ eſt ſapiéntiæ nutrix; ab ipſa virtútum ómnium norma concréſcit, & tota virtus ánimi procax fit ad diſcéndum bona, & mala, ut recto límite cúrrere poſſit viam ſalútis, quáliter peritúra mundi deſpíciat, ne obérrans bonum ducat pro malo, malum pro bono, ténebras pro luce, & lucem pro ténebris, amárum pro dulce, & dulce pro amáro, & diſcérnere poſſit, quæ virtus ſit ſpíritus, quæ carnis, ne indiſcrétè cuncta péragens, ibi bonum elígere ſperet, ubi tota eſt malítiæ norma, ut eſt illud: Qui non fúerit diſcípulus veritátis, erit magíſter erróris.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *pag.* 8.

Lectio vj.

SEd videámus, quis hujus tantæ Soróris poſſit eſſe Germánus? per ómnia Benedíctus, non ſolùm nómine, ſed ópere, non ſolùm in terris, ſed étiam in Cœlis. Iſta, non Philoſophórum ſchola, Scholáſtica

 facta,

facta, ſed Chriſti, mundi ludíbria ab infántia fúgiens, Cœléſtem ſibi Sponſum aptávit: ſicut ille à pueritiæ ſuæ témpore abrúpta vitiórum, literárum mundanárum Romæ ſtúdia cernens, ſeníli corde eum, quem in ingréſſu mundi poſúerat, pedem retráxit. O quam fœlix Núrſiæ Tellus, talesquæ mittit Alúmnos, nam Canópica Regna áurea mittunt Tyránnos; Tu Chriſto Proles ſuper æthera dignas. O felícia tantæ víſcera matris, quæ tali gérmine sóboles mundo dedére, ideſt benedictiónis, & ſapiéntiæ. Verè iſta eſt illa fértilis gleba, quæ ſumpto sémine, áliud centéſimum, áliud ſexagéſimum fructum prodúxit.

℟. Afferéntur Regi. *pag.* 9.

In iij. Noct. Homil. Sæpè vos, *in Evang.* Decem Virgínibus. *ut in Brev. de Comm. Virg. cum ſuis* ℟℟.

MENSE FEBRUARIO, ET MARTIO.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

De Sermóne Venerábilis Bedæ Preſbyteri. *Lectio iv.*

SEd cur ſemel in anno, ò Sancta Soror, ad fratrem veniébas? fórſitan longitúdine itíneris à tua ténera planta formidábas? an munus parábas, quod ferres? an fórſitan tantùm te ſemel in anno fœcundábat bonus frater rore verbi cœléſtis, ut madefácta méntium prata ſuffíceret ad increméntum ſalútis? an in mente habébas illud Salomónis. Próhibe pedem tuum de domo próximi tui, ne fortè ſatiátus óderit te? & illud: Mel inveníſti, fili mi, cómede, quod súfficit tibi, ne fortè ſatiátus évomas illud?

℟. Propter veritátem. *pag.* 8.

Lectio v.

SIc, ſic agant omnes ſoróres, non denſis gréſſibus fratrum límina frequéntent, non inéptas réſonent fábulas, non munus déferant tantùm, quod tela depíngit, vel magíſtra manus adórnat, non olfactoríola, non variórum placéntas ſapórum, ſed cum Scholáſtica ſacram Benedícti fratris requírite Scholam, ut magis cibo cœléſti, quàm dono terréno ſatiáti, revérti ad própria queátis. Ad quam Vir Dei non longè extra jánuam in poſſeſſióne Monaſtérii deſcendébat. Quàm Sanctus, quàm pudícus, quàm diſcrétus accéſſus; ut frágilis ſexus non laſséſceret,* óbvius frater occúrrit, ne fortè labor itíneris frángeret mentis devotiónem.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *pag.* 8.

Lectio vj.

AN illícitum cernébat, ut tanti limen Cœnóbii calcári feníneo pede debuíſſet? An fortè ſæculárium latrátus vitábat, qui bonos Monachórum mores caníno more deváſtant, & hoc credunt in illis, quod ſuis malis áctibus ágere non recúſant? Etſi hoc de tanto Patre ſperáre illícitum eſſet, de teneriórìbus diſcípulis inſláto gútture criſpárent cachínnos? Idcircò non in ſæculárium, ſed in própriis poſſeſſiónibus deſcendébat Pater Almíficus.

℟. Afferéntur Regi. *pag.* 9.

In iij Noct. Homil. Notándum verò, *in Evang.* Decem Virgínibus. *ut in ij. die infra oct. S. Scholaſt. pag.* 10.

MENSE APRILI.

Lect. j. Noct. de Script.

In ij. Nocturno.

De Sermóne Venerábilis Bedæ Preſbyteri. *Lectio iv.*

QUadam autem die venit ex more, atque ad eam cum diſcípulis venerábilis ejus frater deſcéndit. Ex more enim venit, quia ex bona conſuetúdine mentis appropinquábat, & fide non ficta. Quàm ſanctus accéſſus, quàm ſanctus advéntus, quàm pius curſus, qui magis amóre mentis currébat ad Chriſtum, quàm devotióne pedum ad fratrem,

imò

imò & ad Chriſtum fratrem, nam & ipſe dicit: Si quis fécerit voluntátem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.

℟. Propter veritátem. *pag.* 8.

Lectio v.

SEd quali devotióne Scholáſtica virgo currat, Pſalmíſta dicat: Sicut cervus desíderat ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te Deus. Sed quare Pſalmíſta metaphóricè cervi proposúerit mentiónem, ut ita currat ánima ad Deum, ut cervus ad fontem, non vácua myſtériis manent. Numquid ſolus cervus, & non colúmba, turtur, & paſſer fontem requírunt? Sed áliter cervus, áliter colúmba ad fontis amnem recúrrunt: iſte curſu pedum, iſta aéreo volátu deſcéndit: iſte inſecútus frequénter arte venatórum laſſabúndus currit ad aquas; hæc verò infatigáta sólita accédit.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *pag.* 8.

Lectio vj.

QUod ſi myſticè pensáre vólumus, invisíbilis ánima visíbilis animális habet formam, qua uno curſu fatigatiónis hic pergit ad fontem terrénum, hæc ad fontem cœléſtem: Iſte fatigátus vócibus canum, iſta conſecúta ſpirítibus malígnis, pro quo ad fontem illum curréndum eſt, qui eſt fons vivus, púteus domus Jacob, ex quo aquæ vena ſaliéntis ebúllit in vitam ætérnam. Certè tanta Soror tali fide venit ad Fratrem, nam áliter æger, áliter ſoſpes ad médicum vadit; iſte ut ſanus ſanum víſitet, ille ut languéntem ſanum procúret; nam & ad fontem áliter sítiens feſtínat, áliter crapulátus à vino: iſte, ut hauſtu refocíllet mentem, ille, ut recto itínere insítiens pergat: Soror verò iſta in tanto fratre ambas grátias cernens ſapiénte pede infatigata venit, priùs ut ſana ſanum víſitet, ſequénter, ut ægram non córpore, ſed mente curet documénto ſalútis, quia nec ipſa aſtra munda ſunt in conſpéctu Dei, & ſecúndùm Apóſtolum, nec infans unius diéi.

℟. Afferéntur Regi. *pag.* 9.

In iij. Noct. Homil. Hanc parábolam, *in Evang.* Decem Virgínibus. *ut in iij. die infra Octav. S. Scholaſticæ pag.* 11.

MENSE MAIO.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

De Sermóne Venerábilis Bedæ Preſbyteri. *Lectio iv.*

QUi totum diem in Dei láudibus, ſacríſque collóquiis ducéntes, incumbéntibus noctis ténebris ſimul accepére cibum. Beáta talis víſio Paréntum, præ óculis habens Dómini præcéptum: Primùm quærite Regnum Dei, & juſtítiam ejus, & hæc ómnia adjiciéntur vobis. Beáta tália fércula, ubi priùs pónitur panis Angelórum, quàm hóminum, & ubi priùs refocillátur mens, quàm venter; nam hìc repónitur cibus, qui placére poſſit menſæ cœléſti, ibi verò eſca manet, quam indigéries córporis mittit. Et beátus ſermo, qui toto diéi ſpátio protelátur laude divína, & qui à primo lucis ortu uſque ad occáſum, alternátim reciprocántur prædicámina ſacrosáncta.

℟. Propter veritátem. *pag.* 8.

Lectio v.

CUmque adhuc ad menſam conſidérent, & inter ſacra collóquia tárdior ſe hora protráheret, eádem ſanctimoniális fémina ſoror ejus eum rogábat, dicens: Quæſo te, ne iſta nocte me déſeras, ut uſque manè áliquid de cœléſtis vitæ gáudiis loquámur. Ad menſam ſedent, cibum ſumunt, uno dente charitátis rúminat panem, & collóquia ſacra; ut unum eſſet os, quo terrénum panem frángeret, & cœléſtem. Nam venter plenus cibo, mens erat adhuc jejúna verbo ſalútis, idcircò quaſi ſaméli-

mélica rogat, ut divínis cibáriis mentem ſatiáret. Cui ille reſpóndit: Quid eſt, quod lóqueris Soror? manére extra cellam nullátenus poſſum. Ecce percontátur frater ſorórem, Magíſter Diſcípulam, Sanctus Sanctam quaſi néſciens, quid díxerit Soror. Sed iſta inquisítio magis iraſcéntis eſt, quàm interrogántis, dum benè Pater audíſſet, quid Soror rogáverit, tanquam ſi díceret: Non benè eſt hoc, quod rogas, ut insólitus extra cellam máneam, quod implére mínimè poſſum. O ſanctitátis amátor, quare Germánæ dénegas, quod étiam extráneis præbes? Sed hoc Relígio facit, non cauſa dolóris. Scis Dómini præcéptum: Qui díligit patrem, aut matrem, aut fratrem, aut ſorórem pluſquam me, non eſt me dignus; ideóque ad aſſuétum recúrris orationis locum, ubi magis Deo, quàm ſorori sólitus es adhærére.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *pag.* 8.

Lectio vj.

SEd præſuménti voce dícimus: Numquid non Deus hìc eſt, ubi bona Soror Sacraménta Dei perquírit, cùm ipſe dicat, ubi duo, vel tres congregáti fúerint in nómine meo, in médio eórum ſum? Ecce non rogat, ut longo te témpore cernat more Paréntum, ſed uníus noctis ſpátium poſcit, quo præbeas collóquia ſacra. Quàm durè atténdis ſancte frater preces ſoróris, ob tuæ cauſam Sacræ Religiónis. Illa benè quærit, ut à te hábeat, tu ſímiliter ut rédeas: illa fide, tu fide; illa amóre Dei, tu páriter ut illa; illa ut cum Sorore in prædicatióne tempus noctis exólvas, tu, ut cum frátribus sólitas Dómino réferas laudes, ſed quis è duóbus méliùs, ſequens ſenténtia monſtrat. Tanta verò erat Cœli ſerénitas, ut nulla in áere nubes apparéret; Verè nulla nubes eſſe pótuit, ubi erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum.

℟. Afferéntur Regi. *pag.* 9.

In iij. Noct. Homil. Quam ob cauſam, *in Evang.* Decem Virgínibus. *ut in feſto S. Cœciliæ Virg. & Mart.* (22. *Novemb.*)

MENSE JUNIO.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

De Sermóne Venerábilis Bedæ Preſbyteri. *Lectio iv.*

SAnctimoniális autem fémina, cùm verba fratris negántis audíſſet, insértas dígitis manus ſuper menſam póſuit, & caput in mánibus Omnipoténtem Dóminum rogatúra declinávit. Dic, Virgo beáta, cujus te Schola dócuit, quæ contra Magíſtrum ſenténtiam propónis? Numquid non dicit: Perféctus omnis diſcípulus erit, ſi ſit ſicut Magíſter ejus? & in Evangélio inquit: Néſciat ſiníſtra tua, quid fáciat déxtera tua, & tu ambas manus innéctis? Et illud: Míttite in déxteram navígii rete, & tu utróque látere rete immérgis? Ille à dextris oves cóllocat, tu étiam in ſiníſtro? Pſalmíſta hinc à dextris ponit dicens: Dixit Dóminus Dómino meo ſede à dextris meis. Necnon: Déxtera Dómini fecit virtútem: Déxtera Dómini exaltávit me. Et in Cántico: Déxtera tua Dómine glorificáta eſt in virtúte; & tu iſta dérogans non ſolùm manus impléctis, ſed étiam dígitos ínſeris?

℟. Propter veritátem. *pag.* 8.

Lectio v.

DOminus dicit in Evangélio: Tu autem cùm oráveris intra in cubículum tuum, & clauſo óſtio ora Patrem tuum, & tu ad cœnam ſedens ante humános óculos, preces, lacrymáſque fundis? Sed quàm laudánda ſunt tua facta, ò ſanctíſſima feminárum? Quid tu in conclávi facis, quando tália paténti cœlo péragis? Nam ídeò tibi una eſt déxtera,

læva-

lævaque pars, quia fábricam atténdis illis, qui nullam habent ſiníſtram, ut dicit: Vidit Deus cuncta, quæ fécerat, & erant valdè bona. Et in Cántico Canticórum: Læva ejus ſub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Et in Pſalmo: Manus tuæ Dómine fecérunt me, & plaſmavérunt me. Et illud in Cántico: Manus meæ ſtillavérunt myrrham.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *pag.* 8.

Lectio vj.

HAc quippè authoritáte, quàm pulchræ tuæ manus compléxæ consíſtunt, ſuper quas caput reclínans, imbrem cœlitus, & lácrymas effudíſti. Sed quod caput, Apóſtolus dicat: Caput mulíeris vir, caput viri Deus; nam cujus viri, niſi illíus, undè Prophéta dicit: Vir óriens nomen ejus? Ecce ille, qui pro ſalúte ómnium in Cruce inclináto cápite trádidit ſpíritum, ſuo cápite tuas nunc declinávit in palmas, ut ſui myſtérii, quod mente quærébas, arcánum tibi manáret ab aſtris, quæ tantùm insértis dígitis egíſti miráculum, quid fáceres, ſi palmas extendíſſes ad preces?

℟. Afferéntur Regi. *pag.* 9.

In iij. Noct. Homil. Poſt ingéntes labóres, *in Evang.* Decem Virgínibus. *ut in v. die infra Octav. S. Scholaſticæ pag.* 13.

MENSE JULIO.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

De Sermóne Venerábilis Bedæ Preſbyteri. *Lectio iv.*

CUmque leváret de menſa caput, tantæ coruſcatiónis, & tonítrui virtus, & tanta inundátio plúviæ erúpit, ut neque Venerábilis Pater Benedíctus, neque fratres, qui cum eo áderant, extra loci limen, quo conséderant, pedem movére potuíſſent. Quàm nova miracula mundo, quàm cunctis laudánda præcónia ſæclis? Ubi nulla erat umbra nubis, aer íntonat clamóribus omnis, & denſa tonitrúra ſonant, ubi nullíus erat concúſſio venti. Nam unus fons oculórum & menſam rigábat lácrymis, & æther ímbribus arua.

℟. Propter veritátem. *pag.* 8.

Lectio v.

STet nunc ſancta cháritas fixa, ſtent immóbiles pedes fratérni, quod ſoror poſcit, non déneget diléctio fratris: Da volens, nolens pernox ſacra collóquia Pater. Ecce iſta præcéptum Dómini complet, petit, ut accípiat; quærit, ut invéniat; pulſat, ut aperiátur ei. Quid petit, ipſa dicat: Ut uſque manè áliquid de cœléſtis vitæ gáudiis loquámur; Nam ídeò deſcendíſti óbvius, ut iſta dona proférres; pérfice, quod cœpíſti; nam non inítio præmium extat, ſed in fine óperum bonórum. Idcírcò è ſúperis fudit Dóminus imbrem, ut tu non déneges prædicáminum amnem. Verè non poſcit munus cadúcum, ſed Regni Cœléſtis éxpetit lucrum. Sanctimoniális autem fémina, caput in mánibus declínans, lacrymárum flúvios in menſam fúderat, per quos ſerenitátem áeris ad plúviam traxit, nec pauló tárdiùs poſt oratiónem inundátio illa ſequúta eſt; ſed tanta fuit conveniéntia oratiónis, & inundatiónis, ut de menſa caput jam cum tónitru leváret, quátenùs unum, idémque eſſet moméntum, & leváre caput, & plúviam depónere. Quàm bonus Deus Iſrael rectis corde, quàm pius ánimæ quærénti illum!

℟. Dilexíſti juſtítiam. *pag.* 8.

Lectio vj.

ECce, qui ſcrutátor eſt méntium, & corda ómnium cernit, qui per Pſalmíſtam dicit: Invocábit me, & ego exáudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatióne: ecce non díſtulit, non multas expetívit preces, ſed in ictu óculi, & puncto cordis peténti tríbuit donum. Nam leváto de mánibus

nibus cápite, una fuit oratiónis convenéntia, & inundatiónis. Gaude, & lætáre virórum ſanctíſſime, quia ecce tenes, quod voluíſti; ecce habes, quod ſemper quæſíſti; ecce mirácula cernis insígnia Cœlo, terráque probáta. Verè ſi negáſſes, quod expetébas, non fúerant ſigna humánis óculis nota, quæ toti ſemper mundo léctio ſacra ſonat. Ecce jam Scholáſticæ nomen virtútum laude corúſcat; Ecce illíus miráculo plebs ſancta congáudet; Ecce quam cultáſti sárculo cœléſti, fructus fert ſignórum.

℟. Afferéntur Regi. *pag.* 9.

In iij. Noct. Homil. Intelligámus, *in Evang.* Decem Virgínibus. *ut in vj. die infra Oct. S. Scholaſticæ pag.* 15.

MENSE AUGUSTO.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

De Sermóne Venerábilis Bedæ Preſbyteri. *Lectio iv.*

TUnc Vir Dei inter corúſcos tónitrus, atque ingéntis plúviæ inundatiónem, videns ſe ad Monaſtérium non poſſe remeáre, cœpit cónqueri contriſtátus dicens: Parcat tibi Omnípotens Deus, Soror, quid eſt, quod fecíſti? Quare quæris Vir Dei, quid Soror fécerit? Numquid non cernis, quid ipſa fécerit? Numquid non vides plúviæ guttas? Numquid non audis concrepántes mugítus ætheris? Numquid non ſentis mirácula coruſcáre, ſigna flúere, fundámina domus contremíſcere; & dicis, quid fecíſti? Numquid ipſa hoc fecit, quod magis tua ſancta negátio fecit? quia ſi non negáſſes, miráculum non eveníret. Hoc Chriſtus geſſit pietátis amátor; nam peténti Chananææ mulíeri preces audíre díſtulit, ut ejus fidem fáceret acutiórem, ut quæréntí catéllo micas, fílii darétur panis; ſed illa ut extránea à fínibus tunc venit, jam non extránea à consórtio Chriſti; iſta verò à cunábulis Chriſto dicáta cum María Glorióſa Vírgine audíre méruit, óptimam partem elégit.

℟. Propter veritátem. *pag.* 8.

Lectio v.

ET quare Pater contriſtátus dicis: Parcat tibi Omnípotens Deus, Soror, quid eſt, quod fecíſti? O Vir Dei; Tibi hóminum mentes patéſcunt, tibi aer numíſmata fundit, tibi árida dólia óleum manant, tibi alta profúndi laci ferrum redúcunt ab imo; ipſi ínferi ánimas reddunt, & nunc quaſi contriſtátus néſciens dicis, quid fecíſti? O Pater Beáte, ſi fas eſt dícere, quantùm fúerat júſtius dícere: Parcat mihi Omnípotens Deus, quia tuas bonas non áudio preces: quàm dícere: Parcat tibi Omnípotens Deus, quid eſt, quod fecíſti? Hoc eſt illud Salomónis: Argue ſapiéntem, & díliget te. Cui illa reſpóndit: Ecce rogávi te, & audíre me noluíſti, rogávi Dóminum meum, & exaudívit me. Subaudiátur: Te quidem rogávi ut fratrem, ſed tu, ut Germánam noluíſti audíre. Sperábam, ut mente habéres víſcera matris, partus dolórem, lácteas mammas, cunas nutrícis, lavácra obſtetrícis, fáſcias temporáles, quibus infántia olim nutrívit; ſed tu me noluíſti audíre, & magis feſtinábas ad fratres, quos tibi ſola cháritas Chriſti facit germános, quos étiam neſcis, à quo límite ad tua cunábula hos mundus tranſmíttat; idcírcò rogávi Dóminum meum, & audívit me.

℟. Dilexíſti juſtítiam. *pag.* 8.

Lectio vj.

TU non attendébas, quod unus Pater ambórum cóntulit membra. Tu non cernébas, unam nobis manſiónem fuíſſe inter úteri ſepta; idcírcò ad illum Patrem cucúrri, qui nobis ánimam dedit, qui terréna tríbuit, & cœléſtia non denegávit. Modò ergo, ſi potes, egrédere, & me

me dimíſſa, ad Monaſtérium redi. Modò enim præséntis eſt témporis, modò enim, quando tibi Omnípotens Deus itínera clauſit; modò, quando áditum eúndi denegávit: modò, ſi potes, me dimíſſa, ad Monaſtérium, redi. Et cur Pater fatigáris? Numquid non hìc eſt Monaſtérium, & Doctor ómnium Monachórum; dum non locus hóminem, ſed homo ſanctíficat locum? Sta nunc Pater Sanctíſſime invítus, ut altérius diéi Sol tibi præbeat greſſum?

℟. Afferéntur Regi. *pag.* 9.

In iii. Noct. Homil. Aliàs dixit, *in Evang.* Decem Virgínibus. *ut in vij. die infra Oct. S. Scholaſticæ pag.* 16.

MENSE SEPTEMBRI.

Lect. j. Noct. de Script.

In ij. Nocturno.

De Sermóne Venerábilis Bedæ Presbyteri. *Lectio iv.*

IPſe autem exíre extra tectum non valens, qui manére ſpontè nóluit in loco, manſit invítus. Quàm multis Sanctis Viris factus eſt Vir Dei compar, qui invíti fecérunt bonórum facta; Nam Jacob invítus fratrem fugit, qui póſteà rédiit cum multis; Sic Dániel vadit Babylónis ad Arcem, ut primus fíeret cunctis ſapiéntibus. Sic Saulus invítus factus eſt Paulus, ut fíeret Géntium Prædicátor: ideóque tua non requiéſcat cháritas ſancte Vir ſtare invítus, ut Chriſti tríbuas documénta ſalútis. Sicque factum eſt, ut noctem totam pervígilem dúcerent, atque per ſacra ſpiritális vitæ collóquia ſeſe vicária relatióne ſatiárent. Ecce nunc nova ſpirituália gáudia ſurgunt, quia negans priùs, factus eſt nunc attribútor cœléſtis, & collóquiis ſacris vicária relatióne ſe sátiant, qui priùs erant à concórdia diſcórdes. Quanta ſunt, Omnípotens, tua mirabília Deus, nam ómnia proba voluíſti, feciſti; & non eſt, qui reſíſtat tuæ majeſtátis poteſtáti, ideóque laudant te Cœli, aer, terra, mare, & cuncta, quæ in eis ſunt; quia ſemper ínnovas ſigna mirabília tua, ut te totus Orbis agnóſcat ſuum eſſe Redemptórem. Da jam pius pio Patri Benedícto iter redeúndi ad cellam, ſtringe aéreum amnem, tolle plúviæ guttas, da ſerenitátis ſolem, ut qui lætus accéſſit, gaudens recédat, ut ſimul ejus Soror vale dicens fratri, ad própria revertátur, ut ſimul gaudéntes, & exultántes tuo de múnere ad ſua tecta vehántur.

℟. Propter veritátem. *pag.* 8.

Lectio v.

QUa de re dixi, eum voluíſſe áliquid, ſed mínimè potuíſſe, quia ſi venerábilis Viri mentem aſpícimus, dúbium non eſt, quod eándem ſerenitátem volúerit, in qua deſcénderat, permanére, ſed contra hoc, quod vóluit in virtúte Omnipoténtis Dei ex feminéo péctore miráculum invénit; Nec mirum, quod plus illo fémina, quæ diù fratrem vidére cupiébat, in eódem témpore váluit; quia enim juxta Joánnis vocem, Deus cháritas eſt: juſto valde judício illa plus pótuit, quæ plus amávit: Brevi ſermóne de his diſſeréndum eſt, nam ſecúndùm Grammáticos cháritas média ſpécies eſt, dum inter bonos, & malos cháritas eſſe poſſit, & inter latrónes, & pios, ut eſt illud, perfécta cháritas foràs mittit timórem. Certè ſi perfécta eſt iſta, quæ inter bonos foràs mittit timórem, imperfécta nihilóminùs fore créditur, quæ inter malos, & ſupérbos nequítiæ concórdiam præſtat. Sic in Paſſióne Dómini Pilátus, Jeſum mittens Heródi, à quo Jeſus íterùm ad Pilátum remíſſus, amíci facti ſunt Heródes, & Pilátus in ipſa die, ſed hæc eſt perfécta cháritas, quæ Deus eſt, qua hìc plus una pótuit, quàm alter: de qua dicit Apóſtolus: Cháritas Dei diffúſa eſt in cór-

córdibus noſtris per Spíritum Sanctum, qui datus eſt nobis.
℟. Dilexíſti juſtítiam. *pag.* 8.

Lectio vj.

CUmque die áltero éadem venerábilis fémina ad cellam própriam receſsíſſet, Vir Dei ad Monaſtérium rédiit, & ecce cùm poſt tríduum in cella consíſtens elevátis in áera óculis, vidit ejúſdem Sorória ſuæ ánimam de ejus córpore egréſſam in Colúmbæ ſpécie Cœli ſecréta penetráre. Quàm felíces ſunt óculi, qui ánimas poſſunt contemplári beátas, qui carnáli intúitu ſpirituália cérnere queunt? Iſta luminária non ádjacent in fundámine frontis, ſed intùs renitéſcunt ad cordis fenéſtras, de quibus dícitur: Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi Colúmbæ ad fenéſtras ſuas? Ecce jam Benedícte Pater iſta Colúmba ad tuas jam cordis volat fenéſtras, ut tuæ Sorória ánima per eas tránſiens ad Cœléſtem illam déferat portam, ut illa fíeret ductrix ánimæ tantæ, quæ fuit avis quondàm portátrix ad arcam rédditæ pacis. Quàm felix ales tálibus myſtériis compta, quæ méruit étiam ſuper Dóminum Chriſtum Spíritum Sanctum ferre; iſta fréquens obséquiis inſtat Regis ætérni? iſta aſſuétis pennis deargentátis áuro dorſa refúlgens, Paradíſo núncia defert. De hac in Cántica Canticórum dícitur: Surge amíca mea Sponſa, & veni, Colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ.
℟. Afferéntur Regi. *pag.* 9.

In iij. Noct. Homil. Inténdat ítaque, *in Evang.* Decem Virgínibus. *ut in viij. die S. Scholaſticæ pag.* 18.

MENSE OCTOBRI.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

De Sermóne Venerábilis Bedæ Preſbyteri. *Lectio iv.*

QUi tantæ ejus glóriæ congáudens Omnipoténti Deo in hymnis, & láudibus grátias egit, ejúſque óbitum Frátribus denunciávit. Denunciávit enim Sanctus Pater Frátribus, quod méruit ſacro intúitu cérnere ſerénum, & tálibus congáudens votis, Omnipoténti Deo grátias egit; quia quam ante tríduum rore verbi cœléſtis perfúderat, ad æthérea Regna in Colúmbæ ſpécie ſcándere cernit. Quos étiam prótinùs miſit, ut ejus corpus ad Monaſtérium deférrent, atque in ſepúlchro, quod ſibi ipſe paráverat, pónerent. Quo facto cóntigit, ut quorum mens una ſemper in Dómino fúerat, eórum quoque córpora nec ſepultúra ſeparáret. Ecce Fratres, Margaríta cœléſtis, à negotiatóre dudùm empta, aptátur cœléſtibus ornaméntis, jam inter lília candéntia paſcens, séquitur agnum quocúmque íerit. Ecce in Paradíſo Dómini ab Angelis collocátur. Ecce in terris Monachórum mánibus aptátur in túmulo Fratris, ut munus, quod una mater cóntulit, nec Cœli jánua, nec terræ ſepultúra ſeparáret: Et quibus una fuit ſemper mens in Chriſto, una eſſet córporum arca. Ecce reparáta ſunt tua damna Paradíſe. Ecce Virgo Dei manu formáta, quam de tuo peſtífer hoſtis ábſtulit loco, jam redit ad cúlmina Cœli, jam recognóſcit ſui palmam ſtructóris, jam, quia victa fuit, victrix calcat hoſtis colla malígni.
℟. Propter veritátem. *pag.* 8.

Lectio v.

DIc, dic Inférni miníſter, dic Orcígenum genus, ómnium venenórum fraude replétum, quod tibi fecit Plaſma ſanctíſſimum Dei? Quod tibi nócuit fémina benè formáta? Qua de cauſa ultrò te conſiliárium injecíſti, ut manducáres, quod tuum non fuit? Dic, péſtifer fur, quia non potuíſti rápere partem Regni Dei, ídeò voluíſti rápere per ſerpéntem creatúram Dei. Quid demens

mens tibi próſuit? Tu tibi perpétuos ignes cumuláſti, ſerpens terram cómedet cunctis diébus. Tu caténis ígneis alligátus, ille ómnium ira prémitur, calcáneis túnditur, verbéribus flagellátur. Væ, væ per ómnia vobis. Ecce fémina reparáta eſt Sánguine Chriſti. Ecce pro amiſſióne terréni Paradíſi, illa nunc cúlmina Cœli rétinet, undè præceps ruíſti. Verſum eſt fel tuum in dulcédinem mellis, fraus malígna tua in reparatiónem ómnium, & ſalútem. Perforáta eſt maxílla gútturis tui néminem mordens, néminem vorans ſine Deo volénte.

℟. Dilexíſti. *pag.* 8. *Lectio vj.*

GAude jam Virgo Dei tantis ſublimáta triúmphis: exúlta Benedícte Pater Sanctíſſime, Patrum Doctor dulcíſſime Doctórum, quia conſummátis opéribus ſanctis páriter congaudétis ſuper Regna Cœlórum. Intercédite pro vobis commíſſis; poſtuláte pro nobis afflíctis, rogáte pro noſtris delíctis, póſcite Chriſtum non ſolùm pro Mónachis commíſſis, ſed étiam pro veſtris ancíllis, ut omnis ætas, omnis ſexus, omnis ordo, qui veſtris præcéptis colla ſubmíttunt, peritúra mundi deſpíciant, gáudia ætérna concupíſcant, Regna beáta áppetant, próſpera animárum, & córporum percípiant, nulla diabólica fraude moleſténtur, nullis incurſiónibus malignórum affligántur, nullíſque malignitátibus annihiléntur.

℟. Afferéntur Regi. *pag.* 9.

In iij. Noct. Homil. Sæpè vos, *in Evang.* Decem Virgínibus. *ut in Brev. de Communi Virg.*

MENSE NOVEMBRI.

In j. Noct. Lect. de Script.

In ij. Nocturno.

De Sermóne Venerábilis Bedæ Preſbyteri. *Lectio iv.*

QUid étiam de Soróre ejus Beatíſſima Scholáſtica Vírgine, & ſponſa Chriſti, & ab ipſa ſua infántia Dómino dedicáta dicémus? Cujus quidem quamvis hoc nomen próprium eſt, ómnium tamen Sanctárum Vírginum commúne eſt. Si enim & céteræ Vírgines hoc nomen non habuíſſent, in Scholis Chriſti non didicíſſent; nec ejus diſcípulæ fuíſſent. Scholáſticus enim, ſive Scholáſtica à ſcholis vocátur. Sed non omnis, qui in Scholis morátur, hoc nómine dignus eſt: verùm enim verò ille ſolus Scholáſticus, vel Scholáſtica dici debet, qui pro ingénii capacitáte, vel lectiónis aſſiduitáte multùm jam in ſapiéntia profecíſſe dignóſcitur.

℟. Propter veritátem. *pag.* 8.

Lectio v.

SEd, quæſo, quibus in ſcholis hanc Vírginem didicíſſe arbitráris? Nunquàm enim Philoſophórum, & Poetárum ſcholas ingréſſa eſt: nunquam eórum ſciéntia, & doctrína ei plácuit; quorum doctrína error, quorum ſapiéntia ſtultítia eſt. Síquidem ſapiéntia hujus mundi ſtultítia eſt apud Deum. Nunquam reſpéxit in vanitátes, & insánias falſas: nunquam vana, & inutília ſibi placuérunt. Omnia ígitur, quæ mundi ſunt, pro níhilo ducens, ad veras Omnipoténtis Dei ſcholas, totam ſe cóntulit; ad ſcholas Jeſu Chriſti Fílii Dei, ad ſcholas illíus magni, & universális Magíſtri, qui totum magiſtérium ſibi véndicans, omnes álios Magíſtros vocári próhibet. Quamvis enim multi in Sancta Eccléſia Magíſtri eſſe videántur, síquidèm Apóſtoli, & Epíſcopi, omnéſque Eccléſiæ Preláti Magíſtri dicúntur; unus tamen eſt Magíſter Chriſtus Jeſus, quia omne magiſtérium, omníſque doctrína ab ipſo eſt; & quidquid céteri docent, non ipſórum, ſed illíus eſt. Hic eſt ille Magíſter óptimus, qui veram ſapiéntiam promíttens, ait: Ego

dabo

dabo vobis os, & ſapiéntiam, cui non póterunt reſíſtere, & contradícere omnes adverſárii noſtri. Sed quare non os ſine ſapiéntia? quare non ſapiéntiam ſine ore?

℟. Dilexíſti juſtítiam. *pag.* 8.

Lectio vj.

ET Hærétici quidem os habent ſine ſapiéntia, quia in ſola loquacitáte confidéntes, non quidem ſapiéntiam prædicant, ſed mortem, erróres, & ſtultítias séminant. E contra verò illi ſapiéntiam ſine ore habent, qui taléntum ſibi créditum terræ ſuffódiunt: & hujus óptimi Magíſtri doctrínam non maniféſtant, de quibus étiam non immérito dícitur: Canes multi non valéntes latráre. Quid enim prodeſt Chriſti ſcholas intráre, & Chriſti doctrínam non prædicáre?

℟. Afferéntur Regi. *pag.* 9.

In iij. Noct. Homil. Notándum verò, *in Evang.* Decem Virgínibus. *ut in ij. die infra Oct. S. Scholaſticæ pag.* 10.

MENSE DECEMBRI.

Ante Adventum.

Omnia, ut in Menſe Novemb.

LAUS DEO.

CLEMENS PAPA X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Univerſis Chriſti Fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

COmmiſſæ Nobis à Domino Noſtro JESU CHRISTO diſpenſationis ratio exigit, ut cœleſtium munerum theſauros, ad augendam in terris Sanctorum in Cœlis regnantium, qui tradita ſibi talenta non defoderunt in terram, ſed uberi bonorum operum fructu multiplicarunt, venerationem, fovendamque, & incitandam erga illos fidelium devotionem, fideli prudentia, quantum Nobis ex alto conceditur, erogare ſtudeamus. Itaque præclara Sancti Benedicti Abbatis, qui deſpectis omnibus, quæ mundus amat, & colit, cœleſtis gratiæ benedictione repletus, Sanctæ converſationis ſtudio, miraculiſque eximiè claruit, & Monachorum Regulam ſcripſit diſcretione præcipuam, ſermone luculentam, ſub qua, numeroſa Religioſorum Monachorum, Sanctimonialiumque agmina, Deo, hodieque ſtrenuè militant, Sanctæ quoque Scholaſticæ ejus Sororis, quæ ſpecioſis virginitatis, pietatis, aliarumque virtutum monilibus exornata in amplexum Sponſi Cœleſtis evolavit; ac Sanctorum, Placidi, qui primus Monachorum Ordinis ejuſdem Sancti Benedicti Martyrii gloria decorari meruit, & Mauri Abbatis Monaſtici Inſt~~ituti in Galliis~~ Propagatoris eximii, aliorumque innumerorum Sanctorum Ordinis præfati Profeſſorum in Eccleſiam Dei merita, pio devotoque animi affectu recolentes, necnon dilecti filii Ildephonſi de Mier Monachi expreſsè profeſſi, & Procuratoris Generalis Congregationis Hiſpaniæ dicti Ordinis, in Sacra Theologia Magiſtri, Supplicationibus Nobis ſuper his humiliter porrectis inclinati; ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis quorumcumque Monaſteriorum, tàm Monachorum, quàm Monialium Regulam Sancti Benedicti profitentium, hactenùs erectis, & in poſterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum exiſtentibus, in eorumdem Sanctorum Benedicti, & Scholaſticæ, ac Placidi, & Mauri Feſtis diebus, necnon die decimatertia Novembris, qua Omnium Sanctorum Ordinis prædicti commemoratio ibidem fieri ſolet, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis dierum hujuſmodi, annis ſingulis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex præfatis id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publicis ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 19. Decembris 1671. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

OFFICIA NOVISSIMA
SANCTORUM
Ad Uſum Breviarii Monaſtici.

KALENDARIUM.

JANUARIUS.

Dom. 2. poſt Epiph. Feſtum SS. Nominis Jeſu dup. 2. claſſis.
15. S. Mauri Abbatis dup. 2. cl.
19. S. Agathonis Papæ, & Confeſs. duplex.

FEBRUARIUS.

10. S. Scholaſticæ Virg. duplex 2. claſſis.
13. S. Gregorii II. Papæ, & Confeſs. duplex.

MARTIUS.

3. S. Anſelmi Abbat. duplex.
8. S. Joannis de Deo Conf. duplex.
19. S. Joſeph Confeſs. duplex 2. claſſis.

APRILIS.

Dom. 3. poſt Paſcha. Feſtum Patrocinii S. Joſeph Conf. duplex 2. claſſis.
4. S. Iſidori Epiſcopi, & Confeſs. duplex.
13. B. Idæ Virginis dupl.

MAJUS.

5. S. Pii V. Papæ, & Confeſs. ſemiduplex.
25. S. Gregorii VII. Papæ, & Confeſs. duplex.
28. S. Bonifacii IV. Papæ, & Confeſs. duplex.

JUNIUS.

12. S. Leonis III. Papæ, & Confeſs. duplex.
Eodem die S. Joannis à S. Facundo Conf. duplex.

JULIUS.

Dom. 3. Feſtum SS. Redemptor. duplex mai.
16. Feſtum B. M. V. de Monte Carmelo dupl. maj.
17. S. Leonis IV. Papæ, & Confeſs. duplex.

AUGUSTUS.

30. S. Roſæ à S. Maria Virg. Limanæ duplex.

OCTOBER.

Dom. 1. Feſt. SS. Roſarii B. M. Virginis dupl. maj.
5. SS. Placidi, & Socior. Mart. dup. 2. claſs.
30. Commem. SS Martyrum, & aliorum Sanctorum, quorum Reliquiæ in Eccleſiis Ordinis Noſtri aſſervantur duplex.

NOVEMBER.

10. S. Andreæ Avellini Confeſs. ſemiduplex.

DECEMBER.

4. S. Petri Chryſologi Epiſc. & Confeſs. duplex.
10. Translatio Almæ Domus B. Mariæ Virg. dup. majus.
14. S. Spiridionis Epiſc. & Confeſs. ſemiduplex.
16. S. Euſebii Epiſc. & Mart. ſemiduplex.

OFFI-

OFFICIA NOVISSIMA SANCTORUM

Ad Uſum Breviarii Monaſtici.

DOMINICA SECUNDA *poſt Epiphaniam.*

FESTUM SANCTISSIMI NOMINIS JESU. Duplex.

Ad Veſperas, Antiphona.

OMnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.

Pſalmus. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica.*

Antiphona. Sanctum, & terribile nomen ejus: initium ſapientiæ timor Domini.

Pſalmus. Confitebor.

Antiphona. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo. *Pſalmus.* Beatus vir.

Antiphona. A ſolis ortu uſque ad occaſum laudabile nomen Domini.

Pſalmus. Laudate pueri.

Capitulum. *Philip.2.*

FRatres, Chriſtus humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genuflectatur.

℟. *brev.* Adjutorium noſtrum in nomine Domini, * Alleluja, alleluja. Adjutorium.
℣. Qui fecit cœlum, & terram. Alleluja, alleluja. Gloria Patri. Adjutorium.

Hymnus.

JEſu dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia:
Sed ſuper mel & omnia,
Ejus dulcis præſentia.

Nil canitur ſuavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Jeſus Dei Filius.

Jeſu, ſpes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus!
Quàm bonus te quærentibus!
Sed quid invenientibus?

Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere;
Expertus poteſt credere,
Quid ſit Jeſum diligere.

Sis, Jeſu, noſtrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit noſtra in te gloria,
Per cuncta ſemper ſæcula. Amen.

℣. Sit nomen Domini benedictum, alleluja. ℟. Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum, alleluja.

Ad Magnificat, Antiphona.

Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus, allel. *Oratio.*

DEus, qui unigenitum Filium tuum conſtituiſti humani generis Salvatorem, & Jeſum vocari juſſiſti: concede propitius; ut, cujus ſanctum nomen veneramur in terris, ejus quoque aſpectu perfruamur in cœlis. Per eumdem Dominum.

Deinde fit commem. Dominicæ.

Ad Completorium, & alias Horas in fine Hymnorum dicitur, Gloria tibi, Domine. Qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum, Invitat. Admirabile nomen Jeſu, quod eſt ſuper omne nomen * Venite adoremus.

Pſalmus. Venite.

Hymnus.

JEſu Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis
Totus deſiderabilis.

Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Jeſu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.

Jeſum omnes agnoſcite,
Amorem ejus poſcite;
Jeſum ardenter quærite,
Quærendo inardeſcite.

Te noſtra, Jeſu, vox ſonet,
Noſtri te mores exprimant,
Te corda noſtra diligant,
Et nunc, & in perpetuum. Amen.

In primo Nocturno, Antiphona.

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Pſalmus. Domine Dominus noſter.

Antiphona. In nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Pſalmus. Cœli enarrant.

Antiphona. Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: mementote quoniam excelſus eſt nomen ejus.

Pſalmus. Domini eſt terra.

Antiphona. Memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione, & generationem.

Pſalm. Eructavit cor meum.

Antiphona. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum.

Pſalm. Deus noſter refugium.

Antiphona. Omnes gentes, quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum.

Pſalmus. Fundamenta.

℣. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo.

℟. Multum eſt enim.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio i. *Cap.* 3.

PEtrus autem & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris ſuæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Specioſa, ut peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum. Is cùm vidiſſet Petrum & Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemoſynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Reſpice in nos. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu ejus dextera, allevavit eum. Et protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ, & exiliens ſtetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

℟. Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: * Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. ℣. Vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur. Ipſe.

Lectio ii.

ET vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoſcebant autem illum, quòd ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat, ad Specioſam portam templi: & impleti ſunt ſtupore & extaſi in eo, quod contigerat illi. Cùm teneret autem Petrum & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, ſtupentes. Videns autem Petrus, reſpondit ad populum: Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum Jeſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem ſanctum & juſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis: Auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus. Et in fide nominis ejus hunc, quem vos vidiſtis & noſtis, confirmavit nomen ejus: & fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrùm.

℟. Benedictum eſt nomen tuum, Deus patrum noſtrorum, qui cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis: * Et in tempore tribulationis peccata dimittis.

℣. Et benedictum nomen majeſtatis tuæ in æternum, qui facis mirabilia ſolus. Et in tempore.

Lectio iii. *Cap* 4.

FActum eſt autem in craſtinum, ut congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scribæ in Jeruſalem, & Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali, & ſtatuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?

℟. Laudabo nomen tuum aſſiduè, * Et collaudabo illud in confeſſione. ℣. Lætabor, & exultabo in te: pſallam nomini tuo, Altiſſime. Et.

Lectio iv.

TUnc repletus Spiritu ſancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & Seniores, audite: Si nos hodie dijudicamur

camur in benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſalvus factus eſt, notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael, quia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli: & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.

℟. Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: * Quoniam tu benedices juſto.

℣. Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In ſecundo Nocturno, Antiphona.

Sanctum, & terribile nomen ejus; initium ſapientiæ timor Domini.

Pſalmus. Benedixiſti.

Antiphona. Omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.

Pſalmus. Magnus Dominus.

Antiphona. Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem ſalutare ejus.

Pſalmus. Cantate. i.

Antiphona. Secundùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: juſtitia plena eſt dextera tua.

Pſalmus. Dominus regnavit, exultet terra.

Antiphona. Cantate Deo, pſalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.

Pſalmus. Cantate. ii.

Antiphona. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo.

Pſalmus. Dominus regnavit, iraſcantur populi.

℣. Propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.

℟. Et propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Sermone 15. ſuper Cantica circa med.

Lectio v.

NOn otioſè Spiritus ſanctus nomen Sponſi oleo comparat, cùm ita doceat Sponſam ad Sponſum clamare: Oleum effuſum nomen tuum. Oleum enim lucet, paſcit, & ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina. Vide idem nunc & de Sponſi nomine. Lucet prædicatum, paſcit recogitatum, invocatum lenit, & ungit. Et percurramus ſingula. Unde putas in toto Orbe tanta & tam ſubita fidei lux, niſi de prædicato nomine Jeſu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen ſuum, quibus illuminatis, & in lumine iſto videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. ℟. Sperent in te qui noverunt nomen tuum: * Quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine. ℣. Exurge Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum. Quoniam.

Lectio vi.

HOc denique nomen coram regibus, & Gentibus, & filiis Iſrael portare juſſus eſt idem Apoſtolus; & portabat nomen tamquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat ubique: Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus. Et monſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum, annuntians in omni loco Jeſum, & hunc crucifixum. ℟. Confiteamur nomini tuo magno: * Quoniam terribile, & ſanctum eſt.

℣. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri invocabimus. Quoniam.

Lectio vii.

QUomodo lux iſta reſplenduit, ac perſtrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tamquam fulgur egrediens, claudi unius corporales plantas ſolidavit & baſes, multoſque ſpiritualiter cæcos illuminavit? Numquid non ignem ſparſit, cùm ait: in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula? ℟. Lætentur omnes, qui ſperant in te, Domine: in æternum exultabunt, & habitabis in eis: & gloriabuntur in te omnes, * Qui diligunt nomen tuum. ℣. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die. Qui.

Lectio viii.

NEc tantùm lux eſt nomen Jeſu, ſed eſt & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æquè men-

mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus, & virtutes roborat, vegetat mores bonos, atque honeſtos, caſtas fovet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur. Inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi Jeſum. Si diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Jeſus. Jeſus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed eſt & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? veniat in cor ejus Jeſus, & inde ſaliat in os: & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen? currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? nonne, ſi invocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?

℟. Benedic anima mea, Domino, * Et omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.

℣. Benedic anima mea Domino, & noli oblíviſci omnes retributiones ejus. Et omnia. Gloria Patri. Et.

In iii. Nocturno ad Cantica, Antiph. Sacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Canticum. Domine miſerere noſtri. *ut in Dominica.*

℣. Afferte Domino gloriam, & honorem. ℟. Afferte Domino gloriam nomini ejus.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.

Lectio ix. *Cap. 2.*

IN illo tempore: Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum eſt nomen ejus Jeſus. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 1. de Circumciſione,

MAgnum & mirabile ſacramentum. Circumciditur puer, & vocatur Jeſus. Quid ſibi vult iſta connexio? Circumciſio nempe magis ſalvandi, quàm Salvatoris eſſe videtur: & Salvatorem circumcidere potiùs decet, quàm circumcidi. Sed agnoſce mediatorem Dei & hominum, qui ab ipſo nativitatis ſuæ exordio divinis humana ſociat, ima ſummis. Naſcitur ex muliere: ſed cui fecunditatis fructus ſic accedat, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur: ſed panni ipſi Angelicis laudibus honorantur. Abſconditur in præſepio: ſed proditur radiante ſtella de cœlo. Sic & circumciſio veritatem ſuſceptæ probat humanitatis: & nomen, quod eſt ſuper omne nomen, gloriam indicat majeſtatis. Circumciditur tamquam verus Abrahæ filius; Jeſus vocatur tamquam verus Filius Dei.

℟. Tribulationem, & dolorem inveni: * Et nomen Domini invocavi. ℣. Turris fortiſſima nomen Domini in ipſo ſperavi, & adjutus ſum. Et nomen.

Lectio x.

NEc enim ad inſtar priorum meus iſte Jeſus nomen vacuum, aut inane portat. Non eſt in eo magni nominis umbra, ſed veritas. Cœlitus ſiquidem inditum nomen Evangeliſta teſtatur, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur. Et attende verbi profunditatem: Poſtquam natus eſt Jeſus. Jeſus vocatur ab hominibus, qui vocatus eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur. Idem quippe & Angeli Salvator, & hominis; ſed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.

℟. Expectabo nomen tuum, Domine: * Quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum tuorum.

℣. Ut confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua. Quoniam.

Lectio xi.

VOcatum eſt, ait, nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo. In ore ergo duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum: & ipſum, quod in Propheta abbreviatum, manifeſtiùs in Evangelio legitur, caro factum.

℟. In nomine Jeſu Chriſti Nazareni crucifixi, quem Deus ſuſcitavit à mortuis: * In hoc eſt omnium ſalus. ℣. Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. In hoc.

Lectio xii. de Homilia Dominicæ currentis, cum ſuo ℟. primo.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundùm Lucam. *Cap. 2.*

IN illo tempore: Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur. *Oratio.*

DEus, qui unigenitum Filium tuum conſtituiſti humani generis Salvatorem, & Jeſum vocari juſſiſti: concede pro-

propitius, ut, cujus ſanctum nomen veneramur in terris, ejus quoque aſpectu perfruamur in cœlis. Per eumdem Dominum.

AD LAUDES,

Et per Horas, Antiphona.

OLeum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. *Pſalmus*. Dominus regnavit. *cum reliquis*. *Antiphona*. Scitote, quia Dominus ipſe eſt Deus, cujus nomen in æternum. *Antiphona*. Sitivit anima mea ad nomen ſanctum tuum, Domine. *Antiph.* Benedictum nomen gloriæ tuæ ſanctum, & laudabile, & ſuperexaltatum in ſæcula. *Antiphona*. Juvenes, & virgines, ſenes cum junioribus laudate nomen Domini: quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius.

Capitulum. *Philip.* 2.

FRatres, Chriſtus humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur.

℟. *br.* Sit nomen Domini benedictum, * Alleluja, alleluja. Sit nomen. ℣. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Alleluja, alleluja. Gloria Patri. Sit nomen.

Hymnus.

JEſu, decus Angelicum,
In aure dulce canticum.
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Qui te guſtant, eſuriunt;
Qui bibunt, adhuc ſitiunt:
Deſiderare neſciunt,
Niſi Jeſum, quem diligunt.
O Jeſu mi dulciſſime,
Spes ſuſpirantis animæ!
Te quærunt piæ lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Mane nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine.
Pulſa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.
Jeſu flos Matris Virginis,
Amor noſtræ dulcedinis,
Tibi laus, honor nominis
Regnum beatitudinis. Amen.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini, alleluja. ℟. Qui fecit cœlum, & terram, alleluja.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dedit ſe, ut liberaret populum, & acquireret ſibi nomen æternum, alleluja. *Oratio*. Deus, qui unigenitum. *ut ſuprà*.

Deinde fit Commem. Dominicæ. Ad Tertiam, Antiphona. Scitote. *Capitulum*. Fratres, Chriſtus. *ut ſuprà in Laudibus*. ℣. Sit nomen Domini benedictum, alleluja. ℟. Ex hoc nunc, & uſque in ſæculum, alleluja.

Ad Sextam, Antiphona. Sitivit.

Capitulum. *Philip.* 2.

IN nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

℣. Afferte Domino, gloriam, & honorem, alleluja.

℟. Afferte Domino gloriam nomini ejus, alleluja.

Ad Nonam, Antiphona. Juvenes & virgines.

Capitulum. *Coloſſ.* 3.

OMne, quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti facite, gratias agentes Deo, & Patri, per ipſum.

℣. Magnificate Dominum mecum, alleluja. ℟. Et exaltemus nomen ejus in idipſum, alleluja.

In ſecundis Veſp. omnia dicuntur, ſicut in primis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Vocabis nomen ejus Jeſum; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum, alleluja.

Oratio ut ſuprà.

Deinde fit commem. Dominicæ.

DIE XV. JANUARII.

In feſto Sancti Mauri Abbatis.

Duplex ſecundæ Claſſis.

Oratio.

DEus, qui beatum Maurum Abbatem ad imitandum obedientiæ exemplum ſicco pede ſuper aquas ambulare feciſti: concede; ut & virtutum ipſius implere documenta, & præmiorum obtinere conſortia mereamur. Per Dominum.

DIE XIX. JANUARII.

In feſto S. Agathonis Papæ & Confeſſoris. Duplex.

(*Fuit* 10 *hujus*) *Oratio.*

PAteant aures miſericordiæ tuæ, Domine, precibus ſupplicantium: & continuis tribulationibus laborantes, intercedente beato Agathone Confeſſore tuo atque Pontifice, propitius reſpirare concede. Per Dominum.

In ſecundo nocturno. *Lectio v.*

AGatho natione Siculus ſub parentum cura probè exultus, eum pietatis fructum tulit, ut illis mortuis ſtatim congeſtas in unum locum facultates die uno pauperibus diſtribuerit. Deinde ſancti Patris Benedicti inſtitutum Panormi in Monaſterio ſancti Hermetis amplexus, totum ſe divino cultui dedit. In eo interdiu ac noctu animo ſemper intentus cœleſtia meditabatur, & Dei munere tot edidit miracula, ut Thaumaturgi nomen acceperit. Defuncto Dono Romano Pontifice, cunctis ſuffragiis ei ſuffectus eſt Agatho, qui ob ſummam humanitatem, eximium animi candorem, ſingularemque morum ſuavitatem, & comitatem, atque alias naturæ & gratiæ dotes ita comparatus erat, ut ad ſupremam illam dignitatem gerendam natus, ſeu factus eſſe videretur. ℟. Inveni David. *Lectio vi.*

ACceptis à Conſtantino Pogonato literis ad Donum prædeceſſorem ſcriptis pro convocando Concilio œcumenico ad diuturnum ſchiſma tollendum, & definiendas fidei controverſias, provinciales Synodos in Occidente haberi curavit, in quibus Monothelitarum cauſa diſcuteretur, & damnarentur errores. Poſtea legatos ſuos, & Concilii Romani miſit Conſtantinopolim cum binis literis ad Imperatorem, in quibus prædicta hæreſi, doctè, fusè, ac ſolidè refutata, damnatiſque primariis illius ſectatoribus, Sergio ſcilicet, Cyro, Paulo, Pyrrho, Petro, & aliis, anteceſſores ſuos Romanos Pontifices ab omni erroris labe immunes hucuſque fuiſſe expreſſis verbis declaravit. ℟. Poſui adjutorium.

Lectio vii.

AGathonis igitur auctoritate ſexta Synodus generalis congregata eſt, in qua iidem errores, iidemque errantes damnati fuerunt, ejuſque Synodica epiſtola, ceu ex ore ſancti Petri prolata, ſuſcepta eſt à Patribus. Orta in Britannica Eccleſia diſſenſione cùm ob alias cauſas, tum Wilfridi Eboracenſis Archiepiſcopi factam contra Canones depoſitionem, Joannem Abbatem ſancti Martini miſit in Britanniam, ut Eccleſiæ illius negotia componeret, & Wilfridum à Sede Apoſtolica ſuæ dignitati reſtitutum juvaret. Tantæ quoque manſuetudinis & humanitatis fuit, ut neminem à ſe umquam triſtem dimiſerit; tantaque prætereà ſanctitate effulſit, ut leproſum obviàm factum oſculo ſuo ſtatim liberaverit.

℟. Iſte eſt qui ante Deum.

Lectio viii.

EA tempeſtate urbem Romanam adeò perniciosa & gravis adorta eſt peſtis, ut loca undique repleta cadaveribus vix ſuppeterent. Ad hæc nocturna prodigia terruerant; nam multi cacodæmonem venabulo domorum oſtia ferientem ſe animadvertiſſe affirmarunt, & quot ille ictibus cujuſque domus oſtium percuſſiſſet, tot ex illa homines poſtridie periiſſe. His calamitatibus modus, divina ope implorata, oppoſitus fuit; nam cœleſti oraculo proditum eſt, peſtilentiam non antè extinguendam, quàm in æde ſancti Petri ad vincula ara inclyto Chriſti Martyri & Eccleſiæ defenſori ſancto Sebaſtiano erigeretur. Unde ab Agathone oraculi juſſu impleto, ſubitò morbus elanguit. Hinc factum, ut qui in eum morbum inciderent, Martyrem ipſum in vota vocarent, atque præſentiſſimam ejus opem ſæpiſſimè in toto orbe experirentur. Demum ſanctiſſimus Pontifex virtutibus & meritis cumulatus migravit in cœlum nonagenario major, quarto Idus Januarii, anno ſalutis ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo, cùm annis duobus & ſex menſibus ſediſſet.

℟. Juſtum deduxit.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Homo peregrè proficiſcens. *ut in Communi Confeſſorum Pontificum.*

DIE X. FEBRUARII.

In feſto Sanctæ Scholaſticæ Virginis. Duplex ii. Claſſis.

Omnia ut in Breviario ſub hac die, præter Verſiculos, Antiphonas, & Orationem, quæ ſequuntur, recitanda etiam per Octav. & in Officio ſemel in menſe ejuſdem Sanctæ.

In

In utriuſque Veſperis, ℣. Quæ eſt iſta, quæ ut nubes volat.

℟. Et quaſi columba ad feneſtras ſuas.

Ad Magnificat, Antiphona.

Dedit mihi Dominus pennas ſicut columbæ, volabo, & requieſcam. *Oratio.*

DEus, qui animam beatæ virginis tuæ Scholaſticæ, ad oſtendendam innocentiæ viam, in columbę ſpecie cęlum penetrare feciſti: da nobis ejus meritis & precibus ita innocenter vivere, ut ad æterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum.

In Laudibus. ℣. Ecce tu pulchra es amica mea.

℟. Ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Surge, propera, amica mea, columba mea, formoſa mea: veni, & accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. *Oratio ut ſuprà.*

DIE XIII. FEBRUARII.

In feſto Sancti Gregorii Secundi Papæ, & Confeſſoris. Duplex.

In Hymno. Iſte Confeſſor, *dicatur.* Hac die lætus meruit ſupremos Laudis honores. *Oratio.*

DEus qui beatum Gregorium Confeſſorem tuum atque Pontificem fidei defenſorem & Apoſtolicæ ſapientiæ ac firmitatis exemplum in Eccleſia tua conſtituiſti: largire nobis, quæſumus: ut omnia adverſa pro nominis tui gloria humili corde ſuſtinentes, æternitatis gloriam conſequamur. Per Dominum.

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

GRegorius hujus nominis ſecundus, natione Romanus, parentibus Marcello & Honeſta, à pueritia monachus ſancti Patris Benedicti factus, ſanctitate, doctrina, facundia, conſtantia, ac ſtudio pro fidei & Eccleſiæ rebus ſpectatiſſimus fuit. Sub Sergii Pontificatu Sacellarius & Bibliothecarius Eccleſiæ Romanæ extitit: deinde à Conſtantino Papa ad Diaconatus Ordinem promotus, in ejuſdem Pontificis comitatu profectus Conſtantinopolim, Juſtiniano Imperatori de pluribus diſciplinæ capitibus occaſione Trullanorum canonum quæſtionem moventi, pro ſua eruditione fecit ſatis. Conſtantino poſt dierum quadraginta interregnum Gregorius mirabili totius cleri & populi concordia ſucceſſit anno ſeptingenteſimo decimo quarto. ℟. Inveni David. *Lectio vi.*

URbis mœnia contra Longobardorum excurſiones aliqua ex parte renovavit. Cumanum caſtrum Romanæ Eccleſiæ à Longobardis ereptum, Ducis, populique Neapolitani auxilio recuperavit. Luitprandum Longobardorum Regem, Alpes Cottias, quas Aripertus ejus deceſſor Eccleſiæ Romanæ donaverat, repetentem admonitione ſua ad earum donationem confirmandam adduxit. Monaſteria & Baſilicas plurimas reparavit, ac Monachis in iis conſtitutis divinum cultum ſtabilivit. Propriam domum poſt obitum Honeſtæ matris in Monaſterium & Eccleſiam commutavit. Cęnobium ſancti Pauli in via Oſtienſi à fundamentis inſtauravit. Caſinenſe Monaſterium penè everſum, & in eo ſancti Patris Benedicti Regulam propè intermortuam per ſanctum Petronacem Abbatem reſtituit. Inundationem Tiberis domos, agroſque devaſtantem, ac diſſipantem, publicis precibus & Litaniis indictis compeſcuit. ℟. Poſui adjutorium. *Lectio vii.*

DE finibus Eccleſiæ dilatandis ſolicitus, ſanctum Corbinianum virum apoſtolicum ad converſionem Gentium procurandam Epiſcopum ordinavit. Bonifacio Anglo Monacho ſancti Patris Benedicti viro ſanctiſſimo, ac deinceps martyri credidit apoſtolatum ad Gentes, eumque Romam vocatum Epiſcopum conſecravit. Ut omnes vigilantiſſimi Paſtoris partes impleret, optimis legibus Eccleſiaſticam diſciplinam, & Chriſtianorum mores inſtruxit. Geminam Synodum Romæ habuit; alteram adverſus illicita conjugia, alteram adverſus Iconoclaſtas. Leonem Iſaurum Imperatorem ſacrarum magnum deſtructorem graviſſimis epiſtolis dogmaticis à nefaria hæreſi removere, omnique illum officiorum genere ſibi demereri incaſſum ſtuduit. Anaſtaſium presbyterum Iconoclaſtam ab Imperatore in ſedem Conſtantinopolitanam, ejecto ſancto Germano, intruſum, anathemate confixit.

℟. Iſte eſt qui ante Deum.

Lectio viii.

VItæ ſanctiſſimi Pontificis pro fidei Catholicæ conſervatione jugiter exculan-

cubantis ſæpiùs per ſuos Exarchos, Duces, aliosque miniſtros inſidiatus eſt Leo Iſaurus. Sed pro Gregorii defenſione piè fœderati Romani & Longobardi, ipſum conjunctis viribus ab eorum dolis inſultibusque incolumem ſervavere. Ipſe verò in orationibus, jejuniis, eleemoſynis, publicisque ſupplicationibus potiſſimum præſidium collocabat. Cùm autem Imperator nullo prorſus remedio ſanabilis eſſet, eum Gregorius diro anathemate perculit, & ne ſolemne tributum ipſi ſolverent Occidentis Incolæ, neve Exarchus nova vectigalia exigeret, inito cum Francis fœdere, vetuit. Rebus demum præclarè geſtis, quibus maximis quibusque prædeceſſorum ſuorum æquiparatur, cœlum conſcendit beatiſſimus Pontifex tertio Idus Februarii, anno Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo primo, cùm annos ſexdecim, menſes octo, & dies viginti ſediſſet. ℞. Juſtum deduxit.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Vigilate. *ut in Communi Confeſs. Pontif.*

DIE III. MARTII.

In feſto Sancti Anſelmi Abbatis Duplex.

Omnia de comm. Abbatum. Præter Lectiones II. Nocturni. Oratio. Interceſſio. *In primo Nocturno Lectiones.* Juſtus ſi morte.

In II. Nocturno.

Lectio v.

ANſelmus Vir Nobiliſſimus, Aſtulpho Longobardorum Regi Giſaltrudæ Sororis ſuæ Viro conjunctus, Forojulienſi Ducatu, & Regiæ Militiæ Præfectura conſpicuus, poſt multa ſtrenuè in bello geſta, Deo militare deinceps inſtituit. Abjectis ergo ſæculi pompis ſub Regula S. Benedicti Monaſticam Vitam amplexus Fanani primùm in Æmiliæ finibus, aſſignato ſibi per Aſtulphum ſolo, Cœnobium ædificavit, ubi aſſumptis ſibi ſociis eamdem Regulam profitentibus, omni virtutum genere brevi reſplenduit. Humilitate potiſſimùm excellere viſus eſt; nam cæteris quibusvis etiam ſibi ſubditis abjectiorem ſe reputans, de virtutibus ſuis Fratres eloqui minimè pati poterat; quinimò viliora quæque Monaſterii munia obire geſtiens, Dominicum illud frequenter ingeminabat: Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Hoſpitalitate prætereà, & mira in pauperes largitate inſignis, plura hoſpitia ad egenos, peregrinosque excipiendos, variis in locis extruxit, multisque attributis à ſæculari ſuo patrimonio bonis locupletavit, à quibus neminem, niſi impenſis ei priùs omnibus charitatis officiis diſcedere permittebat. ℞. Honeſtum.

Lectio vi.

POſt hæc Nonantulæ ſuis ipſe manibus, Monachisque adlaborantibus perpurgato vepribus loco, inſigne Monaſterium à fundamentis erexit; at ad excipiendos debiles, & fœminas, quæ ad Monaſterium venire non poterant, Xenodochium alterum in via Æmilia conſtruxit, ac Divi Ambroſii nomine dedicavit. Romam Religionis cauſa profecturus Aſtulpho Regi auctor fuit, ut eamdem ſecum peregrinationem ſuſciperet. A Stephano Summo Pontifice, aſſidentibus in Vaticana Baſilica Epiſcopis, honorificè exceptus Rex, amplum pro Monaſterio Nonantulano diploma ſupra corpus Beati Petri, veteri more obtulit: quod Stephanus Apoſtolica auctoritate firmatum Anſelmo tradidit, eumque propriis ipſe manibus Abbatem ſolemni ritu conſtituit: ac demùm compluribus Sanctorum Reliquiis, & Sacris præſertim Beati Sylveſtri oſſibus, unde poſteà Monaſterio nomen extitit, donatum dimiſit. ℞. Amavit.

Lectio vii.

NOnantulam reverſus Fratribus ſuis Monaſticam diſciplinam, non tam Regularibus præceptis, & inſtitutis, cœleſti ſapientia plenus, quàm aſſidua virtutum exercitatione, cunctis ipſe prælucens, egregiè tradere, ac promovere non deſtitit. Quapropter adeò Sanctitatis ejus fama percrebuit, quam & Deus ipſe miraculis non ſemel per eum editis reddidit illuſtriorem: ut quamplurimi in dies, terrenis omnibus abdicatis, perfectioris vitæ deſiderio illi ſeſe inſtituendos committerent. Monachorum numerum ad centum, & ampliùs, ſupra mille, excreviſſe compertum eſt, exceptis parvulis, & pulſantibus, capeſſendæ ibidem Regulari militiæ proludentibus; quibus etiam fovendis, atque regendis Anſelmi charitas paterna non deerat. ℞. Iſte homo.

Le-

Lectio viii.

POſtremò Vir Dei, cùm quinquaginta ferè annis ampliſſimo Monaſterio pręfuiſſet, diſſolutionem ſui corporis imminere præſentiens, convocatis Fratribus, jam finis ſui diem adeſſe nuntiavit: eoſdemque lachrymantes paternè conſolatus, & ad ſuſceptum perfectionis iter alacriter proſequendum propoſita ſpe Coronæ immarceſcibilis, adhortatus conſuetos horæ tertiæ, atquæ inde ſextæ Canonicæ Pſalmos in gaudio ſpiritus, & voce exultationis canere aggreſſus eſt: quibus expletis benedictione Fratribus impertita, expanſis manibus, oculiſque in Cęlum intentis animam Deo reddidit, Feria ſexta quinto nonas Martii Anno Salutis octingenteſimo tertio. Sancti Viri corpus marmoreo labello à Monachis conditum in Templi Nonantulani ſummo Altari collocatum adhuc pia Populi frequentia colitur, multique eum in aſſequenda à Deo ex variis infirmitatibus ſanitate, propitium interceſſorem experti ſunt. Nonantulani verò ut peculiarem ſibi adlectum Patronum agnoſcunt, & venerantur.

℟. Deſiderium.

In tertio Nocturno, Nomilia Ecce nos reliquimus omnia *de communi Abbatum.*

DIE VIII. MARTII.

In feſto ſancti Joannis de Deo Confeſſoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter ea, quæ hìc aſſignantur.

Oratio.

DEus, qui beatum Joannem, tuo amore ſuccenſum, inter flammas innoxium incedere feciſti, & per eum Eccleſiam tuam nova prole fecundaſti: præſta, ipſius ſuffragantibus meritis, ut igne charitatis tuæ vitia noſtra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum noſtrum.

In primo Nocturno, Lectiones de libro Eccleſiaſtici. Beatus vir. *de Communi Confeſſoris non Pontificis ſecundo loco.*

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

JOannes de Deo ex catholicis piiſque parentibus in Oppido Montis Majoris junioris Regni Luſitaniæ natus, quàm ſublimiter in ſortem Domini fuerit electus, inſuetus ſplendor ſuper ejus domo refulgens, ſonituſque æris campani ſua ſponte emiſſus ab ipſo ejus nativitatis tempore non obſcurè prænuntiarunt. A laxiori vivendi ratione Divina operante virtute, revocatus, magnæ ſanctitatis exhibere ſpecimen cœpit, & ob auditam prædicationem verbi Dei ſic ad meliora ſe excitatum ſenſit, ut jam ab ipſo ſanctioris vitæ rudimento conſummatum aliquid, perfectumque viſus ſit attigiſſe. Bonis omnibus in pauperes carceribus incluſos erogatis, admirabilis pęnitentiæ, ſuique ipſius contemptus cuncto populo ſpectaculum factus, à pleriſque, ceu demens, graviter afflictus, in carcerem amentibus deſtinatum conjicitur. At Joannes cœleſti charitate magis incenſus, gemino, atque amplo Valetudinario ex piorum eleemoſynis in Civitate Granatenſi extructo, jactoque novi Ordinis fundamento, Eccleſiam nova prole fecundavit Fratrum Hoſpitalitatis, infirmis præclaro animarum corporumque profectu inſervientium, & longè, latèque per Orbem diffuſorum.

℞. Honeſtum fecit. *Lectio vi.*

PAuperibus ægrotis, quos propriis quandoque humeris domum deferebat, nulla re ad animæ corporiſque ſalutem proficua deerat. Effuſa quoque extra Noſocomium charitate indigentibus mulieribus viduis, & præcipuè Virginibus periclitantibus clam alimenta ſubminiſtrabat, curamque indefeſſam adhibebat, ut carnis concupiſcentiam à proximis hujuſmodi vitio inquinatis exterminaret.

℞. Amavit eum. *Lectio vii.*

CUm autem maximum in Regno Granatenſi valetudinario excitatum fuiſſet incendium, Joannes impavidus proſiliit in ignem, huc illuc diſcurrens, quouſque tum Infirmos humeris exportatos, tum lectulos è feneſtris projectos ab igne vindicavit, ac per dimidiam horam inter flammas, jam in immenſum ſuccreſcentes, verſatus, exinde divinitus incolumis, univerſis civibus admirantibus, exivit; in ſchola charitatis edocens, ſegniorem in eum fuiſſe ignem, qui foris uſſerat, quàm qui intus accenderat,

℞. Iſte homo. *Lectio viii.*

MUltiplici aſperitatum genere, demiſſiſſima obedientia, extrema paupertate, orandi ſtudio, rerum divinarum contemplatione, ac in Beatam Virginem pietate mirificè excelluit, & lacrymarum

dono

dono enituit. Denique gravi morbo correptus, omnibus Eccleſiæ Sacramentis ritè ſanctèque refectus, viribus licèt deſtitutus, propriis indutus veſtibus è lectulo ſurgens ac provolutus in genua, manu, & corde Chriſtum Dominum è cruce pendentem perſtringens, octavo Idus Martii anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo obiit in oſculo Domini: quem etiam mortuus tenuit, nec dimiſit, & in eadem corporis conſtitutione ſex circiter horas, quouſque inde dimotus fuiſſet, tota Civitate inſpectante, mirabiliter permanſit, odorem mirè fragantem diffundens. Quem ante & poſt obitum plurimis miraculis clarum, Alexander octavus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

℟. Deſiderium animæ.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum. *Lectio ix. Cap. 22. d.*

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Jeſum Phariſæi: & interrogavit eum unus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnum in Lege? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chriſoſtomi.

Homilia 72. in Matthæum.

SAdducæis confuſis, Phariſæi rurſus aggrediuntur: cùmque quieſcere oporteret, decertare voluerunt; & Legis peritiam profitentem præmittunt, non diſcere, ſed tentare cupientes: ac ita interrogant: Quodnam primum mandatum in Lege ſit? Nam cùm primum illud ſit: Diliges Dominum Deum tuum: putantes cauſas ſibi allaturum ad mandatum hoc corrigendum, aliquid addendo, quoniam Deum ſe faciebat, hoc modo interrogant.

℟. Iſte eſt qui ante. *Lectio x.*

QUid igitur Chriſtus? Ut oſtendat idcircò ad hæc eos deveniſſe, quia nulla in eis eſſet Charitas, ſed invidiæ livore tabeſcerent: Diliges, inquit, Dominum Deum tuum: hoc primum, & magnum mandatum eſt. Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

℟. Sint lumbi. *Lectio xi.*

QUamobrem ſimile eſt huic? quoniam hoc illud inducit, & ab illo rurſus munitur. Quicumque enim malè agit, odio habet lucem, & non venit ad lucem. Et rurſus: Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. Deinde ſequitur: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Et iterùm: Radix omnium malorum avaritia eſt, quam quidam appetentes, erraverunt à fide. Et, Qui diligit me, mandata mea ſervabit: quorum caput, & radix eſt, Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut teipſum.

℟. Beatus vir.

Si hoc Feſtum venerit in Quadrageſima, xii. Lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, & de ea fit commemoratio.

Lectio xii.

SI ergo diligere Deum, diligere proximum eſt: (nam ſi diligis me, ò Petre, inquit, paſce oves meas;) ſi etiam dilectio proximi facit ut mandata cuſtodias: meritò ait, in his totam Legem & Prophetas pendere. Et quemadmodum in ſuperioribus, cùm de reſurrectione interrogaretur, plus docuit quàm tentantes petebant: ſic in hoc loco de primo interrogatus mandato, ſecundum etiam non valdè quàm primum inferius, ſponte attulit: ſecundum enim eſt primo ſimile. Ita occultè inſinuavit, odio illos ad quærendum incitari. Charitas enim, inquit, non æmulatur. ℟. O beati viri Joannis: Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum. *Cap. 22.d.*

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Jeſum Phariſæi: & interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? Ait illi Jeſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ. Congregatis autem Phariſæis, inrerrogavit eos Jeſus, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? cujus filius eſt? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodò ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodò filius ejus eſt? & nemo poterat

rat ei reſpondere verbum : neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum ampliùs interrogare. *Oratio*. Deus, qui beatum Joannem. *ut ſuprà*.

DIE XIX. MARTII.

IN FESTO S. JOSEPH SPONSI B. M. V. Confeſſoris.

Duplex.

Ad Veſperas, Antiphona.

JAcob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.

Pſalmus. Dixit Dominus. *cum reliquis de Dominica*. *Antiphona*. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria. *Antiphona*. Cùm eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. *Antiphona*. Joſeph vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

Capitulum. *Prov.* 28. & 27.

VIr fidelis multùm laudabitur. Et qui Cuſtos eſt Domini ſui, glorificabitur.

℟. *breve*. Invocavi Dominum, Patrem Domini mei. Invocavi.

℣. Ut non derelinquat me in die tribulationis. Patrem. Gloria Patri. Invocavi.

Hymnus.

TE, Joſeph, celebrent agmina Cœlitum,
Te cuncti reſonent Chriſtiadum Chori,
Qui clarus meritis, junctus es inclytæ
Caſto fœdere Virgini.
Almo cùm tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu ſuperi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet.
Tu natum Dominum ſtringis, ad exteras
Ægypti profugum tu ſequeris plagas,
Amiſſum Solymis quæris, & invenis,
Miſcens gaudia fletibus.
Poſt mortem reliquos mors pia conſecrat.
Palmamque emeritos gloria ſuſcipit:
Tu vivens, Superis par, frueris Deo,
Mira ſorte beatior.
Nobis, ſumma Trias, parce precantibus,
Da Joſeph meritis ſidera ſcandere:
Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum.
Amen.

℣. Conſtituit eum Dominum domus ſuæ.

℟. Et Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exurgens Joſeph à ſomno fecit, ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit Conjugem ſuam.

Oratio.

SAnctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus, Domine, meritis adjuvemur: ut, quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſſione donetur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Si celebretur in Quadrageſima, fit commemoratio Feriæ.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Chriſtum Dei Filium, qui putari dignatus eſt filius Joſeph; * Venite, adoremus.

Pſalmus. Venite, exultemus.

Hymnus.

COelitum Joſeph decus, atque noſtræ
Certa ſpes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus, benignus
Suſcipe laudes.
Te Sator rerum ſtatuit pudicæ
Virginis ſponſum, voluitque Verbi
Te patrem dici, dedit & miniſtrum
Eſſe ſalutis.
Tu Redemptorem ſtabulo jacentem,
Quem chorus Vatum cecinit futurum,
Aſpicis gaudens, humiliſque natum
Numen adoras.
Rex Deus regum, Dominator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur æther,
Se tibi ſubdit.
Laus ſit excelſæ Triadi perennis,
Quæ tibi præbens ſuperos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ
Gaudia vitæ. Amen.

In primo Nocturno, Antiphona.

Aſcendit Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, ut profiteretur cum Maria.

Pſalm. Beatus vir. *cum reliquis de Communi Confeſſ. non Pontificis*.

Antiphona. Venerunt Paſtores feſtinantes, & invenerunt Mariam, & Joſeph, & Infantem poſitum in præſepio.

Pſal.

Pſalmus. Quare fremuerunt.
Antiphona. Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.
Pſalmus. Cùm invocarem.
Antiphona. Conſurgens Joſeph accepit Puerum, & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum: & erat ibi uſque ad obitum Herodis.
Pſalmus. Verba mea.
Antiphona. Defuncto Herode Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph. in Ægypto, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & vade in Terram Iſrael: defuncti ſunt enim, qui quęrebant animam Pueri.
Pſalm. Domine Dominus noſter.
Antiphona. Accepit Joſeph Puerum, & Matrem ejus, & venit in Terram Iſrael.
Pſalmus. In Domino confido. ℣. Conſtituit eum Dominum domus ſuæ. ℟. Et Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.
De libro Geneſis. *Lectio i. Cap.* 39.

JOſeph igitur ductus eſt in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, Princeps Exercitus, Vir Ægyptius, de manu Iſmaelitarum, à quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, & erat Vir in cunctis proſperè agens: habitavitque in domo domini ſui, qui optimè noverat Dominum eſſe cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.
℟. Fuit Dominus cum Ioſeph, & dedit ei gratiam in conſpectu Principis carceris; * Qui tradidit in manu illius univerſos vinctos. ℣. Quidquid fiebat, ſub ipſo erat: Dominus enim erat cum illo, & omnia opera ejus dirigebat. Qui tradidit. *Lectio ii.*

INvenitque Joſeph gratiam coram domino ſuo, & miniſtrabat ei, à quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum, & univerſa quæ ei tradita fuerant: benedixitque Dominus domui Ægypti propter Joſeph. ℟. Eſuriente Terra Ægypti clamavit populos ad Regem alimenta petens. Quibus ille reſpondit: * Ite ad Joſeph, & quidquid vobis dixerit, facite. ℣. Creſcebat quotidie fames in omni terra: aperuitque Joſeph univerſa horrea, & vendebat Ægyptiis. Ite ad Joſeph.

Lectio iii. *Geneſ. cap.* 41.

PLacuit Pharaoni conſilium Joſeph, & cunctis Miniſtris ejus: locutuſque eſt ad eos: Num invenire poterimus talem Virum, qui Spiritu Dei plenus ſit? Dixit ergo ad Joſeph: Quia oſtendit Tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid ſapientiorem, & conſimilem tui invenire potero? Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus Populus obediet: uno tantùm Regni ſolio Te præcedam. ℟. Fecit me Dominus quaſi Patrem Regis, & dominum univerſæ domus ejus: nolite pavere: * Pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum.
℣. Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, & comedetis medullam Terræ. Pro ſalute.

Lectio iv. *Geneſ. cap.* 41.

DIxitque rurſus Pharao ad Joſeph: Ecce conſtitui Te ſuper univerſam Terram Ægypti. Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus: veſtivitque eum Stola byſſina, & collo Torquem auream circumpoſuit. Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent univerſæ Terræ Ægypti. Dixitque Rex ad Joſeph: Ego ſum Pharao: abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum, aut pedem in omni Terra Ægypti.
℟. Benedictiones Patris tui confortatæ ſunt benedictionibus Patrum ejus: * Donec veniret deſiderium collium æternorum. ℣. Fiant in capite Joſeph, & in vertice Nazaræi inter Fratres ſuos. Donec.
Gloria Patri. Donec.

In ſecundo Nocturno, Antiphona.

Audiens Joſeph, quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire.
Pſalm. Domine, quis habitabit.
Antiphona. Admonitus in ſomnis Joſeph ſeceſſit in partes Galilææ: & veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth; ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.
Pſalm. Domine, in virtute tua.
Antiphona. Induxerunt Puerum Jeſum Paren-

Parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo.
Pſalmus. Domini eſt terra.
Antiphona. Erat Pater Jeſu, & Mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo; & benedixit illis Simeon.
Pſalmus. Cantate Domino.
Antiphona. Et ut perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth.
Pſalmus. Dominus regnavit.
Antiphona. Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant: Nonne hic eſt Filius Joſeph.
Pſalmus. Cantate Domino.
℣. Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo.
℟. Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Homil. 2. ſuper Miſſus, prope finem.

Lectio v.

QUis, & qualis homo fuerit beatus Joſeph, conjice ex appellatione, quâ, licèt diſpenſatoria, meruit honorari adeò, ut pater Dei & dictus & creditus ſit: conjice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & ſcito ipſius iſtum non ſolùm vocabulum fuiſſe ſortitum, ſed & caſtimoniam adeptum, innocentiam aſſecutum & gratiam.

℟. Angelus Domini apparuit Joſeph, dicens: Joſeph fili David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam: * Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. ℣. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Quod.

Lectio vi.

SIquidem ille Joſeph, fraterna ex invidia venditus, & ductus in Ægyptum, Chriſti venditionem præfiguravit: iſte Joſeph, Herodianam invidiam fugiens, Chriſtum in Ægyptum portavit. Ille domino ſuo fidem ſervans, dominæ noluit commiſceri: iſte Dominam ſuam Domini ſui matrem, virginem agnoſcens, & ipſe continens, fideliter cuſtodivit.

℟. Aſcendit Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem; * Eò quòd eſſet de Domo, & Familia David. ℣. Ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore. Eò quòd.

Lectio vii.

ILli data eſt intelligentia in myſteriis ſomniorum: iſti datum eſt conſcium fieri atque participem cœleſtium ſacramentorum. Ille frumenta ſervavit non ſibi, ſed omni populo: iſte panem vivum è cœlo ſervandum accepit tam ſibi, quàm toti mundo.

℟. Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum; * Et eſto ibi, uſque dum dicam tibi.
℣. Ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum. Et eſto.

Lectio viii.

NOn eſt dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iſte Joſeph, cui Mater deſponſata eſt Salvatoris. Fidelis, inquam, ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris magni conſilii coadjutorem fidiſſimum.

℟. Cùm inducerent Puerum Jeſum Parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo: * Accepit eum Simeon in ulnas ſuas, & benedixit Deum.
℣. Et erat Pater ejus, & Mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo. Accepit eum.
Gloria Patri. Accepit eum.

In tertio Nocturno ad Cantica, Antiphona. Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus Jeſum Filium Joſeph à Nazareth. *Canticum.* Beatus vir. *de eodem Communi.*
℣. Juſtus germinabit ſicut lilium.
℟. Et florebit in ęternum ante Dominum.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Mattheum. *Lectio ix. Cap. 1. c.*

CUm eſſet deſponſata mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Comment. in c. 1. Matth.

QUare non de ſimplici virgine, ſed de deſponſata concipitur? Primùm, ut per generationem Joſeph origo Mariæ monſtraretur: ſecundò, ne lapidaretur à

Judæis ut adultera: tertiò, ut in Ægyptum fugiens haberet ſolatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit cauſam, cur à deſponſata conceptus ſit: Ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, ſed de uxore generatum.

℟. Ibant Parentes Jeſu per omnes annos in Jeruſalem, in die ſolemni Paſchæ: conſumptiſque diebus, cùm redirent, remanſit Puer Jeſus in Jeruſalem: Et non cognoverunt Parentes ejus. ℣. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non.

Lectio x.

ANtequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. Non ab alio inventa eſt, niſi à Joſeph, qui penè licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat. Quòd autem dicitur, Antequam convenirent: non ſequitur ut poſteà convenirent; ſed Scriptura quod factum non ſit, oſtendit.

℟. Dicit Mater Jeſu ad illum: Fili quid feciſti nobis ſic? * Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

℣. Et ait ad illos; Quid eſt quòd me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Ecce Pater tuus.

Lectio xi.

JOſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Si quis fornicariæ conjungitur, unum corpus efficitur; & in lege præceptum eſt, non ſolùm reos, ſed & conſcios criminum obnoxios eſſe peccati; quomodò Joſeph, cùm crimen celaret uxoris, juſtus ſcribitur? Sed hoc teſtimonium Mariæ eſt, quòd Joſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod evenerat, celat ſilentio, cujus myſterium neſciebat.

℟. Deſcendit Jeſus cum eis, & venit Nazareth: * Et erat ſubditus illis. ℣. Proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Et erat.

Lectio xii. dicitur de Homilia Feriæ occurrentis, ſi celebretur in Quadrageſima; & de ea fit commemoratio in Laudibus.

Lectio xii.

JOſeph fili David, noli timere accipere Mariam uxorem. Jam & ſuprà diximus ſponſas uxores appellari: quod pleniùs liber adversùs Helvidium docet. Et blandientis affectu ei per ſomnium Angelus loquitur, ut juſtitiam ſilentii comprobaret: ſimulque notandum, quòd Joſeph filius eſſe dicatur David, ut Maria quoque de ſtirpe David monſtraretur.

℟. Fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam: * Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. ℣. Qui cuſtos eſt Domini ſui, glorificabitur. Amen dico. Gloria Patri. Amen dico.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Matthæum. *Cap. 1. c.*

CUm eſſet deſponſata mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. Joſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Ieſum. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Oratio*. Sanctiſſimæ Genitricis. *ut ſuprà.*

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

IBant Parentes Jeſu per omnes annos in Jeruſalem, in die ſolemni Paſchæ. *Pſalmus*. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiphona. Cùm redirent, remanſit Puer Jeſus in Ieruſalem, & non cognoverunt Parentes ejus.

Antiphona. Non invenientes Jeſum, regreſſi ſunt in Jeruſalem requirentes eum; & poſt triduum invenerunt illum in Templo ſedentem in medio Doctorum, audientem, & interrogantem eos. *Antiphona*. Dixit Mater ejus ad illum: Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. *Antiphona*. Deſcendit Jeſus cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.

Capitulum. *Prov. 28. & 27.*

VIr fidelis multùm laudabitur. Et qui Cuſtos eſt Domini ſui, glorificabitur.

℟. *breve*. Conſtituit eum * Dominum domus ſuæ. Conſtituit. ℣. Et Principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Dominum. Gloria. Conſtituit.

Hym-

Hymnus.

ISte, quem læti colimus fideles,
Cujus excelſos canimus triumphos,
Hac die Joſeph meruit perennis
Gaudia vitæ.
O nimis felix, nimis ò beatus,
Cujus extremam vigiles ad horam
Chriſtus & Virgo ſimul aſtiterunt
Ore ſereno.
Hinc ſtygis victor, laqueo ſolutus
Carnis, ad ſedes placido ſopore
Migrat æternas, rutiliſque cingit
Tempora ſertis.
Ergo regnantem flagitemus omnes
Adſit ut nobis, veniamque noſtris
Obtinens culpis, tribuat ſupernæ
Munera pacis.
Sint tibi plauſus, tibi ſint honores
Trine, qui regnas Deus, & coronas
Aureas ſervo tribuis fideli
Omne per ævum. Amen.

℣. Os juſti meditabitur ſapientiam.
℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Ad Benedictus. Antiphona.

Ipſe Jeſus erat incipiens, quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Ioſeph. *Oratio.* Sanctiſſimæ Genitricis. *ut ſuprà. Deinde fit commemoratio Feriæ, ſi celebretur in Quadrageſima.*

Ad Tertiam, Antiphona. Cùm redirent. *Capitulum.* Vir fidelis. *ut ſuprà.*
℣. Conſtituit eum Dominum domus ſuæ.
℟. Et Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.

Ad Sextam, Antiph. Non invenientes.

Capitulum. *Eccleſ.* 45.

DIlectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt. In fide, & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.
℣. Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo.
℟. Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.

Ad Nonam, Antiphona. Deſcendit Jeſus.

Capitulum *Sap.* 10.

PRofugum juſtum deduxit Sapientia per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum; honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius.
℣. Iuſtus germinabit ſicut lilium.
℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

In ſecundis Veſperis, Antiphona. Ibant Parentes. *ut in Laudibus. Pſalmi, Capitulum,* ℟. *breve, & Hymnus, ut in primis Veſperis.*
℣. Gloria, & divitiæ in domo ejus.
℟. Et juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ecce fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. *Oratio.* Sanctiſſimæ Genitricis. *ut ſuprà Deinde fit commemor. S. Joachim, & Feriæ occurrentis.*

DOMINICA TERTIA *poſt Paſcha.*

Feſtum Patrocinii S. Joſeph Confeſſoris. Duplex ſecundæ Claſſis.

AD VESPERAS,

Antiphona. Jacob autem. *cum reliq. de Laudib. Pſal.* Dixit Dominus. *cum reliq. de Dominica.*

Capitulum. *Geneſ.* 49.

BEnedictiones Patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret deſiderium collium æternorum; fiant in capite Joſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos. ℟. Deo gratias.

℟. *breve.* Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, * Alleluja, allel. Conſtituit eum. ℣. Et principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Alleluja, alleluja. Gloria Patri. Conſtituit.

Hymnus.

TE, Joſeph, celebrent agmina cęlitum;
Te cuncti reſonent Chriſtiadum Chori,
Qui clarus meritis, junctus es inclytæ
Caſto fœdere Virgini.
Almo cum tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu ſuperi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet.
Tu natum Dominum ſtringis, ad exteras
Ægipti profugum tu ſequeris plagas,
Amiſſum Solymis quæris, & invenis,
Miſcens gaudia fletibus.
Poſt mortem reliquos mors pia conſecrat.
Palmaq; emeritos gloria ſuſcipit:
Tu vivens, Superis par, frueris Deo
Mira ſorte beatior.
Nobis ſumma Trias parce precantibus.
Da Joſeph meritis ſidera ſcandere:

Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum. Amen.
℣. Confitebor nomini tuo, alleluja.
℟. Quoniam adjutor, & protector factus es mihi alleluja.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cùm eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto, alleluja. *Oratio.*

DEus, qui ineffabili providentia B. Joſeph Sanctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſum eligere dignatus es: præſta queſumus; ut quem Protectorem veneramur in terris, Interceſſorem habere mereamur in cœlis. Qui vivis & regnas, &c.

Et fit commemoratio Dominicæ.

Antiph. Modicum, & non videbitis me, dicit Dominus: iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem, allelujua, alleluja.
℣. Mane nobiſcum Domine, alleluja.
℟. Quoniam adveſperaſcit, alleluja.

Oratio.

DEus, qui errantibus, ut in viam poſſint redire juſtitiæ, veritatis tuæ lumen oſtendis: da cunctis, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea quæ ſunt apta, ſectari, Per Dominum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Laudemus Deum noſtrum: * In veneratione beati Joſeph Protectoris noſtri, alleluja.

Pſalmus. Venite, exultemus.

Hymnus. Te, Joſeph, celebrent agmina cœlitum. *ut ſuprà.*

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi, uſque dum dicam tibi, alleluja.

Pſalmi primi Nocturni de Communi Confeſſoris Pontif.
℣. Confitebor nomini tuo, alleluja.
℟. Quoniam adjutor, & Protector factus es mihi, alleluja.

De libro Geneſis.

Lectio i. *Cap.*39.

IGitur Joſeph ductus eſt in Ægyptum, emitq; eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, Princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Iſmaelitarum, à quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis proſperè agens, habibitavitque in domo domini ſui; qui optimè noverat, Dominum eſſe cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joſeph gratiam coram domino ſuo, & miniſtrabat ei, à quo præpoſitus omnibus, gubernabat creditam ſibi domum, & univerſa, quæ ei tradita fuerant. Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joſeph, & multiplicavit tam in ædibus quàm in agris cunctam ejus ſubſtantiam. Nec quidquam aliud noverat, niſi panem, quo veſcebatur. Erat autem Joſeph pulchra facie, & decorus aſpectu.
℟. Clamavit Populus ad Regem, alimenta petens. * Quibus ille reſpondit: Ite ad Joſeph, alleluja.
℣. Salus noſtra in manu tua eſt: reſpice nos tantùm & læti ſerviemus Regi. Quibus ille.

Lectio ii. *Gen.cap.*41.

PLacuit Pharaoni conſilium, & cunctis miniſtris ejus, locutuſque eſt ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit? Dixit ergo ad Joſeph: Quia oſtendit tibi Deus omnia, quæ locutus es: numquid ſapientiorem, & conſimilem tui invenire potero? Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm Regni ſolio te præcedam. Dixitque rurſus Pharao ad Joſeph: Ecce conſtitui te ſuper univerſam terram Aegypti. Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus, veſtivitque eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit. Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent univerſæ terræ Aegypti.
℟. Fecit me Deus quaſi Patrem Regis, & Dominum univerſæ domus ejus: * Exaltavit me, ut ſalvos faceret multos populos, alleluja.
℣. Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Aegypti, ut comedatis medullam terræ. Exaltavit.

Lectio iii *Gen. c.* 41.

DIxit quoque Rex ad Joſeph : Ego ſum Pharao : abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum aut pedem in omni terra Aegypti. Vertitque nomen ejus, & vocavit eum lingua Aegyptiaca Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Aſeneth filiam Put phare Sacerdotis Heliopoleos.

℞. Fuit Dominus cum Joſeph, & dedit ei gratiam in conſpectu principis carceris : * Qui tradidit in manu illius univerſos vinctos, alleluja.

℣. Quidquid fiebat, ſub ipſo erat : Dominus enim erat cum illo, & omnia opera ejus dirigebat. Qui.

Lectio iv.

EGreſſus eſt itaque Joſeph ad terram Aegypti (triginta autem annorum erat, quando ſtetit in conſpectu Regis Pharaonis) & circuivit omnes Regiones Aegypti. Venitque fertilitas ſeptem annorum, & in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea Aegypti. Omnis etiam frugum abundantia in ſingulis urbibus condita eſt. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet.

℞. Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo. Non ſum fraudatus aſpectu tuo : Inſuper oſtendit mihi Dominus ſemen tuum, alleluja.

℣. Qui paſcit me ab adoloſcentia mea, benedicat pueris iſtis : & invocetur ſuper eos nomen meum. Inſuper. Gloria Patri. Inſuper.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens : Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſrael : defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri, alleluja.

Pſalmi ſecundi Nocturni de Communi Confeſſoris Pontificis.

℣. Reſpice de cœlo, & vide, & viſita veniam iſtam, alleluja.

℞. Et perfice eam, alleluja.

Sermo ſancti Bernardini Senenſis.

Sermo 1. *de S. Joſeph.* *Lectio v.*

OMnium ſingularium gratiarum alicui rationabili creaturæ communicatarum, generalis regula eſt, quòd quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam ſingularem, ſeu ad aliquem ſublimem ſtatum omnia chariſmata donet, quæ illi perſonæ ſic electæ, & ejus officio neceſſaria ſunt, atque illam copiosè decorant. Quod maximè verificatum eſt in San. Joſeph, putativo Patre Domini noſtri J. C. & vero ſponſo Reginæ mundi, & Dominæ Angelorum, qui ab æterno Patre electus eſt fidelius Nutricius, atque Cuſtos principalium theſaurorum ſuorum, ſcilicet Filii ejus, & Sponſæ ſuę; quod officium fideliſſimè proſecutus eſt. Cui propterea Dominus ait : Serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

℞. Dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ & dextera tua ſuſcepit me, * Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus, alleluja.

℣. Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Protector.

Lectio vi.

SI compares eum ad totam Eccleſiam Chriſti, nonne iſte eſt homo electus, & ſpecialis, per quem, & ſub quo Chriſtus eſt ordinatè & honeſtè introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Eccleſia ſancta debitrix eſt, qui per eam Chriſtum ſuſcipere digna facta eſt : ſic profectò, poſt eam huic debet gratiam, & reverentiam ſingularem. Ipſe enim eſt clavis veteris Teſtamenti, in qua Patriarchalis, & Prophetalis dignitas promiſſum conſequitur fructum. Porrò hic eſt ſolus qui corporaliter poſſedit, quod eis divina dignatio repromiſit. Meritò igitur figuratur per illum Patriarcham Joſeph, qui populis frumenta ſervavit. Sed & hic illum præcellit, quia non ſolùm Aegyptiis panem corporalis vitæ, ſed omnibus electis panem de cœlo, qui cœleſtem vitam tribuit, cum multa ſolertia enutrivit.

℞. Statuet filios ſuos ſub tegmine illius, & ſub ramis ejus morabitur, protegetur ſub tegmine illius à fervore : * Et in gloria ejus requieſcet, alleluja.

℣. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra. Et in gloria. *Lectio vii.*

PRofectò dubitandum non eſt ; Chriſtus familiaritatem, reverentiam, atque ſublimiſſimam dignitatem, quam ſibi exhibuit, dum ageret in humanis, tamquam filius Patri ſuo, in cœlis utique non negavit, quin potiùs complevit, &

conſummavit. Unde non immeritò in verbo propoſito à Domino ſubinfertur: Intra in gaudium Domini tui. Unde, licèt gaudium æternæ beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: Intra in gaudium; ut myſticè innuatur, quòd gaudium illud non ſolùm in eo ſit intra, ſed undique illum circundans, & abſorbens, & ipſum velut abyſſus infinita ſubmergens.

℟. Exaudi vocem meam, qua clamavi ad te: * Miſerere mei, & exaudi me, alleluja. ℣. Adjutor meus eſto, ne derelinquas me. Miſerere.

Lectio viii.

MEmento igitur noſtri, beate Joſeph, & tuæ orationis ſuffragio apud tuum putativum Filium intercede: ſed & Beatiſſimam Virginem Sponſam tuam nobis propitiam redde, quæ Mater eſt ejus, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit, & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

℟. Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum: * Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo, alleluja.

℣. In te cantatio mea ſemper, quoniam tu adjutor fortis. Si exurgat. Gloria Patri. Si exurgat.

IN III. NOCTURNO.

Ad Cantica, *Antiph.* Conſurgens Joſeph accepit puerum & Matrem ejus, & venit in terram Iſrael: & habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, alleluja.

Canticum. Beatus vir. *ut in Communi Confeſs. Pontificis.*

℣. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, alleluja.

℟. Ut non derelinquat me in die tribulationis, alleluja.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Lucam. *Lectio ix. Cap.* 3.

IN illo tempore: Factum eſt autem, cùm baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Lib.2.de Conſenſu Evangeliſtar.

MAnifeſtum eſt illud, quod ait: Ut putabatur filius Joſeph: propter illos dixiſſe, qui eum ex Joſeph, ſicut alii homines naſcuntur, natum arbitrantur. Quos autem movet, quòd alios Progenitores Matthæus enumerat deſcendens à David uſq; ad Joſeph, alios autem Lucas aſcendit à Joſeph uſq; ad David: facile eſt, ut advertant, duos Patres habere potuiſſe Joſeph: unum à quo genitus, alterum à quo fuerit adoptatus. Antiqua eſt enim conſuetudo adoptandi etiam in illo populo Dei, ut ſibi filios facerent, quos non ipſi genuiſſent. Unde intelligitur Lucas Patrem Joſeph, non à quo genitus, ſed à quo fuerat adoptatus, ſuſcepiſſe in Evangelio ſuo, cujus progenitores ſurſum verſus commemorat, donec exiret ad David.

℟. Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt; pariet autem filium: * Et vocabis nomen ejus Jeſum, alleluja.

℣. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Et vocabis.

Lectio x.

CUm enim neceſſe ſit, utroque Evangeliſta vera narrante, & Matthæo ſcilicet, & Luca, ut unus eorum ejus Patris originem teneret, qui genuerat: alter ejus, qui adoptaverat Joſeph; quem probabiliùs intelligimus adoptantis originem tenuiſſe, quàm eum, qui noluit Joſeph genitum dicere ab illo, cujus eum filium eſſe narrabat? Matthæus autem dicens: Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Jacob, atque ita in hoc verbo, quod eſt genuit, perſeverans, donec in ultimo diceret: Jacob autem genuit Joſeph; ſatis expreſſit, ad eum Patrem ſe perduxiſſe originem generantium, à quo Joſeph non adoptatus, ſed genitus erat.

℟. Aſcendit Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth in Iudæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: * Eò quòd eſſet de domo, & familia David, alleluja. ℣. Ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore. Eò quòd eſſet.

Lectio xi.

QUamquam, ſi etiam Lucas genitum diceret Joſeph ab Heli, nec ſic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quàm ab uno Evangeliſta gignentem, ab altero adoptantem Patrem fuiſſe commemoratum. Neque enim abſurdè quiſque dicitur non carne,

ne, ſed charitate genuiſſe, quem filium ſibi adoptaverit. At verò etiam nos, quibus dedit Deus poteſtatem filios ejus fieri, de natura, atque ſubſtantia ſua non nos genuit, ſicut unicum Filium: ſed utique dilectione adoptavit.

℞. Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Aegyptum: Et eſto ibi, uſque dum dicam tibi, alleluja. ℣. Ut adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum. Et eſto.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

Lectio xii. *Cap. 6. b*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 102. in Joannem, ſub finem.

MOdicum eſt hoc totum ſpatium, quo præſens pervolat ſæculum. Unde dicit idem ipſe Evangeliſta in Epiſtola ſua. Noviſſima hora eſt. Ideo namque addidit: Quia vado ad Patrem: quod ad priorem ſententiam referendum eſt, ubi ait: Modicum, & jam non videbitis me: non ad poſteriorem, ubi ait: iterùm modicum, & videbitis me. Eundo quippe ad Patrem, facturus erat, ut eum non viderent. Ac per hoc non ideò dictum eſt, quia fuerat moriturus, & donec reſurgeret, ab eorum aſpectibus receſſurus, ſed quòd eſſet iturus ad Patrem: quod fecit poſteaquam reſurrexit, & cum eis per quadraginta dies converſatus, aſcendit in cœlum.

℣. Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula ejus, allel. quoniam occiſus es, & redemiſti nos Domine * In ſanguine tuo alleluja. ℣. Feciſti enim nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotium. In ſanguine. Gloria Patri. In ſanguine.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Lucam. *Cap. 3.*

IN illo tempore: Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato, & orante apertum eſt Cœlum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut Columba in ipſum, & vox de Cœlo facta eſt: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Joſeph. *Oratio*. Deus, qui ineffabili providentia. *ut ſuprà.*

AD LAUDES.

& per Horas, Antiphona.

JAcob autem genuit Joſeph, virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus, alleluja.

Pſalmus. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiphona. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, alleluja.

Antiphona. Aſcendit autem Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethelehem, alleluja.

Antiphona. Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio, alleluja, alleluja.

Antiphona. Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph, alleluja.

Capitulum. *Gen. 49.*

BEnedictiones Patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus; donec veniret deſiderium collium æternorum: fiant in capite Joſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos.

℞. *breve*. Confitebor nomini tuo, alleluja, alleluja. Confitebor. ℣. Quoniam audiutor, & protector factus es mihi, allejua, alleluja.

Gloria Patri. Confitebor. *Hymnus.*

COelitum Joſeph decus, atque noſtræ
Certa ſpes vitæ, columenq; mundi,
Quas tibi læti canimus, benignus
Suſcipe laudes.

Te ſator rerum ſtatuit pudicæ
Virginis Sponſum, voluitque Verbi
Te Patrem dici, dedit & miniſtrum
Eſſe ſalutis.

Tu Redemptorem ſtabulo jacentem,
Quem Chorus vatum cecinit futurum,
Aſpicis gaudens, humiliſque natum
Numen adoras.

Rex Deus Regum, dominator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur æther,
Se tibi ſubdit.

Laus ſit excelſæ Triadi perennis,
Quæ tibi præbens ſuperos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ.
Gaudia vitæ. Amen.

℣. Dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, alleluja. ℟. Et dextera tua ſuſcepit me, alleluja.

Ad Benedictus, Antiphona.

Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, allel.

Oratio. Deus qui ineffabili providentia.

Et fit commem. Dominicæ, Antiphona. Modicum, & non videbitis me, dicit Dominus: iterùm modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem, alleluja, alleluja.

℣. In reſurrectione tua Chriſte, alleluja.
℟. Cœli, & terra lætentur, alleluja.

Oratio. Deus qui errantibus.

Ad Tertiam, Antiph. Miſſus eſt.

Capitulum. Benedictiones Patris tui. *ut ſuprà.*

℣ Confitebor nomini tuo, alleluja.
℟. Quoniam adjutor, & Protector factus es mihi, alleluja.

Ad Sextam, Antiph. Aſcendit autem.

Capitulum. Geneſ. 49.

DEus patris tui erit adjutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper.

℣. Juſtus germinabit ſicut lilium, alleluja.
℟. Et florebit in æternum ante Dominum, alleluja.

Ad Nonam, Antiph. Et ipſe Jeſus.

Capitulum. Gen. 49.

FIlius accreſcens Joſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum.

℣. Plantatus in domo Domini, alleluja.
℟. In atriis Domus Dei noſtri, alleluja.

In ſecundis Veſperis, omnia ut in primis.

℣. Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, alleluja. ℟. Et fructus ejus dulcis gutturi meo, alleluja.

Ad Magnificat, Antiphona.

Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, allel.

Oratio. Deus, qui ineffabili providentia. *ut ſuprà.*

Et fit commem Dominicæ, Antiphona. Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit, vos verò contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, alleluja.

℣. Mane nobiſcum Domine, alleluja.
℟. Quoniam adveſperaſcit, alleluja.

Oratio. Deus, qui errantibus. *ut ſuprà.*

DIE IV. APRILIS.

In feſto S. Iſidori Epiſcopi, & Confeſſoris. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontificis, præter ea, quæ hìc ponuntur propria.

AD MAGNIFICAT

In utriuſque Veſperis, Antiphona. O Doctor Optime.

Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ ſalutis Beatum Iſidorum Miniſtrum tribuiſti: præſta, quæſumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

Et fit commem. Feriæ, ſi venerit in Quadrageſima.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones, Sapientiam omnium antiquorum, *de Comm. Doctor.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

ISidorus natione Hiſpanus, Doctor egregius, ex nova Carthagine Severiano patre Provinciæ Duce natus, à Sanctis Epiſcopis Leandro Hiſpalenſi, & Fulgentio Carthaginenſi fratribus ſuis piè, & liberaliter educatus, Latinis, Græcis, & Hebraicis literis, diviniſque, & humanis legibus inſtructus, omni ſcientiarum, atque Chriſtianarum virtutum genere præſtantiſſimus evaſit. Adhuc adoleſcens hæreſim Arianam, quæ gentem Gothorum Hiſpaniæ latiſſimè dominantem jam pridem invaſerat, tanta conſtantia palàm oppugnavit, ut parùm abfuerit, quin ab Hæreticis necaretur. Leandro vita functo, ad Hiſpalenſem Cathedram invitus quidem, ſed urgente in primis Reccaredo Rege, magnoque etiam Cleri, Populique conſenſu aſſumitur, ejuſque electionem S. Gregorius Magnus, nedum auctoritate Apoſtolica confirmaſſe, ſed & electum tranſmiſſo de more pallio decoraſſe, quin etiam ſuum, & Apoſtolicæ Sedis in univerſa Hiſpania Vicarium conſtituiſſe perhibetur.

℟. Inveni David.

Lectio vi.

IN Epiſcopatu quantum fuerit conſtans, humilis, patiens, miſericors, in Chriſtiana,

ſtiana, & Eccleſiaſtica diſciplina inſtauranda ſolicitus, eaque verbo, & ſcriptis ſtabilienda indefeſſus, atque omni demum virtutum ornamento inſignitus, nullius lingua enarrare ſufficeret. Monaſtici quoque inſtituti per Hiſpaniam promotor, & amplificator eximius plura conſtruxit Monaſteria, Collegia, itidem ædificavit, ubi ſtudiis ſacris, & lectionibus vacans, plurimos diſcipulos, qui ad eum confluebant, erudivit, quos inter Sancti Ildephonſus Toletanus, & Braulio Cæſarauguſtanus Epiſcopi emicuerunt. Coacto Hiſpali Concilio Acephalorum hæreſim Hiſpaniæ jam minitantem, acri, & eloquenti diſputatione fregit, atque contrivit. Tantam apud omnes ſanctitatis, & doctrinæ famam adeptus eſt, ut elapſo vix ab ejus obitu ſextodecimo anno, univerſa Toletana ſynodo duorum ſupra quinquaginta Epiſcoporum plaudente, ipſoque etiam S. Ildephonſo ſuffragante, Doctor egregius Catholicæ Eccleſiæ noviſſimum decus, in ſæculorum fine doctiſſimus, & cum reverentia nominandus appellari meruerit; eumque S. Braulio non modò Gregorio Magno comparaverit, ſed & erudiendæ Hiſpaniæ loco Jacobi Apoſtoli cœlitus datum eſſe cenſuerit.
℟. Poſui adjutorium.

Lectio vii.

SCripſit Iſidorus libros Ætimologiarum, & de Eccleſiaſticis Officiis, alioſque quamplurimos Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ adeò utiles, ut S. Leo Papa IV. ad Epiſcopos Britanniæ ſcribere non dubitaverit, ſicut Hieronymi, & Auguſtini. Ita Iſidori dicta retinenda eſſe, ubi contigerit inuſitatum negotium, quod per Canones minimè definiri poſſit. Plures etiam ex ejuſdem ſcriptis ſententiæ inter Canonicas Eccleſiæ leges relatæ conſpiciuntur. Præfuit Concilio Toletano IV. omnium Hiſpaniæ celeberrimo.
℟. Iſte eſt.

Lectio viii.

DEnique cùm ab Hiſpania Arianam hæreſim eliminaſſet, morte ſua, & Regni vaſtatione à Saracenorum armis publicè prænuntiata, poſtquam quadraginta circiter annos ſuam rexiſſet Eccleſiam, Hiſpali migravit in Cœlum anno ſexcenteſimo trigeſimo ſexto. Ejus corpus inter Leandrum fratrem, & Florentinam ſororem, ut ipſe mandaverat, primò conditum, Ferdinandus I. Caſtellæ, & Legionis Rex ab Eneto Saraceno Hiſpali dominante magno pretio redemptum Legionem tranſtulit, & in ejus honorem Templum ædificatum eſt, ubi miraculis clarus, magna populi devotione colitur.
℟. Juſtum deduxit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio ix. *Cap. 5.*

IN illo tempore dixit Jeſus Diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Et reliqua.

Homilia S. Iſidori Epiſcopi.

Ex lib. 2. Officiorum ad S. Fulgentium, Cap. 5.

QUi in erudiendis, atque inſtituendis ad virtutem populis præerit, neceſſe eſt, ut in omnibus Sanctus ſit, & in nullo repræhenſibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipſe à peccato debet eſſe alienus. Nam qua fronte ſubjectos arguere poterit, cùm illi ſtatim poſſit correctus ingerere. Antè docete quę recta ſunt? Primitùs quippè ſemetipſum corrigere debet qui alios ad benè vivendum admonere ſtudet, itaut in omnibus ſemetipſum formam vivendi præbeat, cunctoſque ad bonum opus, & doctrina, & opere provocet. Cui etiam ſcientia Scripturarum neceſſaria eſt. Quia ſi Epiſcopi tantùm ſancta ſit vita, ſibi ſoli prodeſt, ſic vivens. Portò ſi & doctrina, & ſermone fuerit eruditus, poteſt cæteros quoque inſtruere, & docere ſuos, & adverſarios repercutere, qui niſi refutati fuerint, atque convicti, facilè poſſunt ſimplicium corda pervertere.
℟. Amavit eum Dominus.

Lectio x.

HUjus ſermo debet eſſe purus, ſimplex, apertus, plenus gravitatis, & honeſtatis, plenus ſuavitatis, & gratiæ, tractans de myſterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de diſciplina juſtitiæ: unumquemque admonens diverſa exhortatione, juxta profeſſionem, morumque qualitatem, ſcilicet, ut prænoſcat quid, cui, quando, vel quomodo proferat.
℟. In medio Eccleſiæ.

Lectio xi.

CUjus præ cæteris ſpeciale officium eſt, Scripturas legere, percurrere Canones, exempla Sanctorum imitari, vigiliis, jejuniis, orationibus incumbere, cum fratribus pacem habere, nec quemquam de membris ſuis diſcerpere: nullum damnare, niſi comprobatum: nullum excommunicare, niſi diſcuſſum. Quique ita humilitate pariter, & auctoritate præeſſe debet, ut neque per nimiam humilitatem ſuam ſubditorum vitia convaleſcere faciat, neque per immoderantiam ſeveritatis poteſtatem exerceat, ſed tantò cautiùs erga commiſſos ſibi, quantò duriùs à Chriſto indagari formidat.

℟. Iſte Sanctus.

Si celebretur in Quadrageſ. xii. Lectio dicitur de Homilia Feriæ, cum ejus commemor. in Laudibus.

Lectio xii.

TEnebit quoque illam ſupereminentem donis omnibus charitatem, ſine qua omnis virtus nihil eſt. Cuſtos enim caſtitatis charitas, locus autem hujus cuſtodis humilitas. Habebit etiam inter hæc omnia caſtitatis eminentiam; itaut mens Chriſto dedita, ab omni inquinamento carnis ſit munda, & libera. Inter hæc oportebit cum ſolicita diſpenſatione curam pauperum gerere, eſurientes paſcere, veſtire nudos, ſuſcipere peregrinos, captivos redimere, viduas ac pupillos tueri, pervigilem in cunctis exhibere curam, providentiam habere diſtributione diſcreta. In quo etiam hoſpitalitas ita erit præcipua, ut omnes cum benignitate, & charitate ſuſcipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelium audire deſiderant, Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me, quantò magis Epiſcopus, cujus diverſorium cunctorum debet eſſe receptaculum?

℟. Elegit te.

In ſecundis Veſperis fit commem. S. Vincentii Ferrerii, & Feriæ, ſi venerit in Quadrageſima.

FESTA MARTII.

Feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis Offic. de Septem Doloribus B. Mariæ Virg. Duplex majus, ut in fine Breviarii.

DIE XIII. APRILIS.

Infeſto Beatæ Idæ Virginis.

Duplex. *Oratio.*

DEus, qui Beatæ Idæ Virginis corpori tuorum vulnerum Stigmata igneo amoris ſtylo impreſſiſti: præſta, quæſumus, ejus interceſſione, ſic nos tuæ Paſſionis Myſteria in terris contemplari, ut redemptionis præmia in cœlo mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

IDa Lovanii in Brabantia honeſtis parentibus nata, penè infans Miſſæ ſacrificio aſſiſtens ſtella quadam fulgidiſſima illuſtrata fuit. Labore manuum, aſpero cilicio, duro lecto, jejuniis, vigiliis, ac quotidianis flagellationibus tenerum corpus in ſervitutem redegit. Tentata à dæmone horrendis ſpectris, teterrimo fœtore, concuſſione conclavis, & illato feretro, munita clypeo Dominicæ Paſſionis, & Euchariſtiæ, de tartareo hoſte triumphavit. A gravi infamia ex mala ſuſpicione ei inuſta divinitùs vindicata, à puerulo Jeſu inter ipſius brachia apparente biduo recreata fuit. Soror illius ſenior ab inferendis eidem injuriis cœleſti lumine deterrita eſt. Corruptum vinum orans priſtino vigori reſtituit, & cerviſiam in vinum convertit. Sororem ſuam juniorem repentina morte extinctam precibus Deo factis coram pluribus ſtupentibus ad vitam revocavit, atque virum ex peſte ſemianimem ſolo ſuo aſpectu ſanum reddidit. Modicos panes Dominus ejus orationibus quandoque multiplicavit.

℟. Propter veritatem.

Lectio vi.

TAnto mentis ardore Chriſti Paſſionem contemplabatur, ut Dominus quinque vulnerum ſtigmata manibus, pedibus, ac lateri ſanctæ virginis igneo amoris ſtylo impreſſerit ad inſtar circulorum diverſi coloris. Per lateris vulnus anhelitum cum acerba punctione attrahebat, & in ſignatis locis nullius rei attactum ferebat. Fruſtrà conata humilis virgo ſignacula illa ſacra abſcondere, oratione tamen à Deo impetravit, externam eorum apparentiam removeri, doloris ſenſu remanente. Capitis quoque circumferentiam vehementiſſimus cruciatus comprimebat, quo corona Chriſti ſpinea videbatur portendi. Habitum

tum ſancti Patris Benedicti in Monaſterio Vallis Roſarum prope Mechliniam induit: & ad perſeverantiam in Ordine à Domino confortata eſt. Ægrota Officium Eccleſiaſticum cum ſocia recitans, illam ſuaviſſimo odore ac ſapore replevit. Secreta cordium, & ſtatus animarum adhuc in mundo verſantium penetravit. In extaſim rapta quaſi choro ſeraphico immixta, nobilitatem animæ comprehendit. Literarum ignara novit quæ latinè dicebantur, atque vidit aureos circulos ſupra capita ſanctimonialium pſallentium, eique à beatiſſima Deipara multoties Divinus Filius oblatus eſt. ℟. Dilexiſti juſtitiam.

Lectio vii.

EX incredibili ſacræ Euchariſtiæ ſumendæ deſiderio ſanguinem frequenter emiſit, & in ejuſdem Sacramenti perceptione, ac in oratione coram ipſo facta tum tempore Miſſæ, tum in feſto Deiparæ aſſumptæ, & aliis, tum in piis colloquiis ſplendidiſſimos radios ex oculis diffudit, ac ſuaviſſimum odorem ſpiravit. Euchariſtia refici cupiens, nec eam à Confeſſario auſa petere, ab Angelo allatam accepit, & quandoque eadem in ipſius os à candida Columba ingeſta eſt. Inter orandum recitans, Verbum caro factum eſt, carnis ſubſtantiam in ore ſenſit. Chriſtum Dominum in Euchariſtia ſalutans, ab ipſo reſalutata eſt, audito valido ictu pyxidi impacto. Ejuſdem Venerabilis Sacramenti memor, cœleſti fervore inflammata, vicinos quaſi igne externo calefecit. Et nimia corporis imbecillitate cùm ad Sacram menſam pergere non valeret, ad eam à Deipara Virgine, & Sancto Joanne Evangeliſta deducta fuit.

℟. Prudentes Virgines.

Lectio viii.

SAlvator ſub peregrini ſpecie ad eam accedens, ſuiſque manibus illius pectus reſerans, per apertum latus ſeſe totum intra ipſam recepit, ac foris diſparuit, mirabilibus divinæ gratiæ effectibus in ejuſdem anima exinde ſecutis. Chriſto quaſi incorporatam ſe ſentiens, & ineffabili charitate fervens, ejus dulcedinem diutiùs ſervavit. Mœſta, quòd non plenè Deo frueretur, nova conſolatione à Domino excitata, de æterna ſua ſalute certior facta eſt. Extra ſenſus frequenter rapiebatur, ac pluries mirabiles extaſes patiebatur, in quibus multis revelationibus, ac viſionibus cœleſtibus à Deo decorata fuit. Denique divinis chariſmatibus locupletiſſima graviſſimum in morbum incidit, & Eccleſiaſticis Sacramentis roborata, inter vitæ æternæ eloquia, & pſallentium Angelorum choros migravit ad Sponſum die decimatertia Aprilis anno ſalutis milleſimo trecenteſimo. Sacrum beatæ Virginis corpus in Eccleſia publico fidelium honori ob crebra miracula ejus interceſſione facta, auctoritate Eccleſiaſtica expoſitum fuit.

℟. Afferentur regi.

In tertio Noct. Homilia in Evang. Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, *ut in communi Virginum.*

DIE V. MAJI.

In feſto Sancti Pii V. Papæ, & Confeſſoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſſoris Pontificis, præter ea quæ ſequuntur.

Oratio.

DEus, qui ad conterendos Eccleſiæ tuæ hoſtes, & ad divinum cultum reparandum, Pium quintum Pontificem maximum eligere dignatus es: fac nos ipſius defendi præſidiis, & ita tuis inhærere obſequiis; ut omnium hoſtium ſuperatis inſidiis, perpetua pace lætemur. Per Dominum.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

PIus in oppido Inſubriæ, quod Boſchum vocant, natus, ſed è Bononia oriundus ex nobili Ghiſleriorum familia, cùm quatuordecim eſſet annorum, Ordinem Prædicatorum ingreſſus eſt. Erat in eo admirabilis patientia, profunda humilitas, ſumma vitæ auſteritas, continuum orationis ſtudium, & regularis obſervantiæ, ac divini honoris ardentiſſimus zelus. Philoſophiæ verò ac Theologiæ incumbens, adeò in jis excelluit, ut illas docendi munus magna cum laude per multos annos exercuerit. Sacras conciones pluribus in locis cum ingenti auditorum fructu habuit. Inquiſitoris officium inviolabili animi fortitudine diu ſuſtinuit: multaſque civitates, non ſine vitæ diſcrimine, ab hæreſi tunc graſſante immunes ſervavit.

℟. Inveni David.

Lectio vi.

A Paulo quarto, cui ob eximias virtutes chariſſimus erat, ad Nepeſinum & Su-

& Sutrinum Epiſcopatum promotus, & poſt biennium inter Romanæ Eccleſiæ Presbyteros Cardinales adſcriptus fuit. Tum ad Eccleſiam Montis Regalis in Subalpinis à Pio quarto translatus, cùm plures in eam abuſus irrepſiſſe cognoviſſet, totam Diœceſim luſtravit, rebuſque compoſitis Romam reverſus, graviſſimis expediendis negotiis applicatus, quod juſtum erat, Apoſtolica libertate & conſtantia decernebat.

℟. Poſui adjutorium.

Lectio vii.

MOrtuo autem Pio, præter omnium expectationem electus Pontifex, nihil in vitæ ratione, excepto exteriori habitu, immutavit. Fuit in eo religionis propagandæ perpetuum ſtudium, in Eccleſiaſtica diſciplina reſtituenda indefeſſus labor, in extirpandis erroribus aſſidua vigilantia, in ſublevandis egentium neceſſitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apoſtolicæ juribus vindicandis robur invictum. ℟. Iſte eſt.

Lectio viii.

SElimum Turcarum tyrannum multis elatum victoriis, ingente comparata claſſe, ad Echinadas inſulas non tam armis, quàm fuſis ad Deum precibus devicit. Quam victoriam ea ipſa hora, quá obtenta fuit, Deo revelante, cognovit, ſuiſque familiaribus indicavit. Dum verò novam in ipſos Turcas expeditionem moliretur in gravem morbum incidit, & acerbiſſimis doloribus patientiſſimè toleratis, ad extrema deveniens, cùm Sacramenta de more ſuſcepiſſet, animam Deo placidiſſimè reddidit anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, ætatis ſuæ ſexageſimo octavo, cùm ſediſſet annos ſex, menſes tres, dies viginti quatuor. Corpus ejus in Baſilica ſanctæ Mariæ ad Præſepe ſumma fidelium veneratione colitur, multis à Deo ejus interceſſione patratis miraculis. Quibus ritè probatis, à Clemente undecimo Pontifice maximo Sanctorum numero adſcriptus eſt.

℟. Juſtum deduxit.

In tertio Nocturno, Homil. S. Gregorii Papæ in Evang. Homo peregrè. *ut in Communi Confeſſ. Pontif.*

DIE XXV. MAJI.

In feſto S. Gregorii ſeptimi Papæ & Conf.

Duplex. Oratio.

DEus in te ſperantium fortitudo, qui beatum Gregor. Confeſſorem tuum atque Pontificem, pro tuenda Eccleſiæ libertate virtute conſtantiæ roboraſti: da nobis ejus exemplo & interceſſione, omnia adverſantia fortiter ſuperare. Per Dominum.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

GRegorius Papa ſeptimus anteà Hildebrandus Soanæ in Etruria natus, doctrina, ſanctitate, omnique virtutum genere cum primis nobilis, mirificè univerſam Dei illuſtravit Eccleſiam. Cùm parvulus ad Fabri ligna edolantis pedes, jam literarum inſcius, luderet, ex rejectis tamen ſegmentis illa Davidici elementa oraculi, Dominabitur à mari uſque ad mare, caſu formaſſe narratur, manum pueri ductante Numine, quo ſignificaretur ejus fore ampliſſimam in mundo auctoritatem. Romam deinde profectus, ſub protectione ſancti Petri educatus eſt. Juvenis Eccleſiæ libertatem à laicis oppreſſam, ac depravatos Eccleſiaſticorum mores vehementiùs dolens, in Cluniacenſi monaſterio, ubi ſub Regula ſancti Patris Benedicti auſterioris vitæ obſervantia eo tempore maximè vigebat, Monachi habitum induens, tanto pietatis ardore Divinæ Majeſtati deſerviebat, ut à ſanctis ejuſdem Cœnobii Patribus Prior ſit electus.

℟. Inveni David.

Lectio vi.

SEd de divina providentia majora de eo diſponente in ſalutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, ac poſtmodum Romanæ Eccleſię Cardinalis creatus, ſub Summis Pontificibus, Leone nono, Victore ſecundo, Stephano nono, Nicolao ſecundo, & Alexandro ſecundo præcipuis muneribus & legationibus perfunctus eſt, ſanctiſſimi, & puriſſimi conſilii vir à beato Petro Damiano nuncupatus. A Victore Papa ſecundo legatus à latere in Galliam miſſus, Lugduni Epiſcopum ſimoniaca labe infectum ad ſui criminis confeſſionem miraculo adegit. Berengarium in Concilio Turonenſi ad iteratam hæreſis abjurationem compulit. Cadolai quoque ſchiſma ſua virtute compreſſit.

℟. Po-

. Poſui adjutorium.

Lectio vii.

MOrtuo Alexandro ſecundo, invitus & mœrens unanimi omnium conſenſu, decimo Kalendas Maji, anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo tertio, Summus Pontifex electus, ſicut ſol effulſit in Domo Dei; nam potens opere & ſermone, Eccleſiaſticæ diſciplinæ reparandæ, fidei propagandæ, libertati Eccleſiæ reſtituendæ, extirpandis erroribus, & corruptelis tanto ſtudio incubuit, ut ex Apoſtolorum ætate nullus Pontificum fuiſſe tradatur, qui majores pro Eccleſia Dei labores moleſtiaſque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acriùs pugnaverit. Aliquot Provincias à ſimoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta, impavidus permanſit, ſeque pro muro domui Iſrael ponere non timuit, ac eumdem Henricum in profundum malorum prolapſum Fidelium communione regnoque privavit, atque ſubditos populos fide ei data liberavit. ℟. Iſte eſt.

Lectio viii.

DUm Miſſarum ſolemnia perageret, viſa eſt viris piis columba è cœlo delapſa humero ejus dextro inſidens alis extenſis caput ejus velare, quo ſignificatum eſt, Spiritus Sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipſum duci in Eccleſiæ regimine. Cùm ab iniqui Henrici exercitu Romæ gravi obſidione premeretur, excitatum ab hoſtibus incendium ſigno Crucis extinxit. De ejus manu tandem à Roberto Guiſcardo Duce Northmanno ereptus, Caſinum ſe contulit: atque inde Salernum ad dedicandam Eccleſiam ſancti Matthæi Apoſtoli contendit. Cùm aliquando in ea Civitate ſermonem habuiſſet ad populum, ærumnis confectus in morbum incidit, quo ſe interiturum præſcivit. Poſtrema morientis Gregorii verba fuere: Dilexi juſtitiam, & odivi iniquitatem, proptereà morior in exilio. Innumerabilia ſunt, quæ vel fortiter ſuſtinuit, vel multis coactis in urbe ſynodis ſapienter conſtituit, vir verè ſanctus, criminum vindex, & acerrimus Eccleſiæ defenſor. Exactis itaque in Pontificatu annis duodecim migravit in cœlum anno ſalutis milleſimo octogeſimo quinto, pluribus in vita & poſt mortem miraculis clarus, ejuſque ſacrum Corpus in Cathedrali Baſilica Salernitana eſt honorificè conditum. ℟. Juſtum deduxit.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Vigilate. *ut in Communi Conf. Pontif.*

DIE XXVIII. MAJI.

In feſto S. Bonifacii IV. Papæ & Confeſſ.

Duplex. *Oratio.*

DEus, qui populo tuo in multis periculis conſtituto, beati Bonifacii Confeſſoris tui atque Pontificis mira vigilantia providiſti: concede propitius, ut cujus glorioſa merita veneramur, perennibus auxiliis muniamur. Per Dominum

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

BOnifacius hujus nominis quartus Joannis Filius, Valeriæ Marſorum natus, ex Monacho Ordinis ſancti Patris Benedicti in Monaſterio ſancti Sebaſtiani ad Catacumbas extra muros Urbis, & Presbytero Cardinale, ſub Imperatore Phoca ad Pontificatum aſſumptus eſt, die Dominica decima octava Septembris, anno Domini ſexcenteſimo ſeptimo; ſeditque annos ſex, menſes octo, dies treſdecim, duabus Ordinationibus peractis menſe Decembri, in quibus Epiſcopos vigintiquinque, Diaconos octo creavit.

℟. Inveni David.

Lectio vi.

ERat Bonifacius ſuper omnes homines mitiſſimus, ac miſericors. Clerum unicè amabat, illumque beneficiis quamplurimis cumulavit. Statim paternam domum in Monaſterium erexit, & fundos ſuos in Monachorum uſus eidem Monaſterio adſcripſit; ſed ut longè majori beneficio hujus Inſtituti homines ſibi obſtringeret, convocatis ad Synodum Italiæ Epiſcopis, ſanctis legibus labentem Monachorum diſciplinam reſtituit, eorumque hoſtes coercuit; qui ipſos, etſi auctos ſacerdotio, ab adminiſtratione Sacramentorum arceri volebant, condito ea de re Synodali decreto. ℟. Poſui adjutorium.

Lectio vii.

SEdente eodem beato Pontifice in Apoſtolico throno, habitum eſt anno ſexcenteſimo decimo, menſe Martio, Concilium Romanum in cauſa Eccleſiæ Anglicanæ. Mellitus enim Londinenſis Epi-

ſcopus

ſcopus (qui unus fuit ex iis Monachis ſanctiſſimis Ordinis Sancti Patris Benedicti, quos à Divo Gregorio Magno beatus Auguſtinus Archiepiſcopus Cantuarienſis ad prædicandum Chriſti Evangelium in Anglia Sodales accepit) Romam petierat de neceſſariis Eccleſiæ Anglorum cauſis cum Summo Pontifice tractaturus, Synodum Bonifacius Epiſcoporum Italiæ coegit, quæque in ea decreta ſunt, auctoritate ſua confirmavit, & ſancto Mellito unà cum epiſtolis beato Laurentio ſancti Auguſtini in Cantuarienſi Archiepiſcopatu ſucceſſori, & clero univerſo tradidit in Britannia obſervanda. ℟. Iſte eſt.

Lectio viii.

AB Imperatore Phoca Sanctiſſimus Pontifex nobile Romæ delubrum Pantheon vocatum obtinuit, ſexcentis triginta duobus propè annis poſtquam illud in idolorum cultum conditum fuerat. Ipſum ad religionem chriſtianam translatum, & ſolemni ritu in Eccleſiam conſecratum, Deo in honorem Deiparæ virginis, & SS. Martyrum dicavit: atque ad majorem venerationem ei conciliandam incredibilem ſacrarum reliquiarum vim ex diverſis arenariis eductam in illud inferri, & juxta principem aram condi curavit. Denique beatiſſimus Pontifex monita, & exempla S. Gregorii Magni opere, ac dignis moribus impensè ſectatus, ſub Heraclio virtute ac meritis clarus obdormivit in Domino octavo kalendas Junii. ℟. Juſtum deduxit.

In tertio Noct. Homilia in Evang. Homo peregrè. *ut in Comm. Confeſs. Pontif.*

DIE XII. JUNII.

In feſto S. Leonis tertii Papæ & Confeſs. Duplex. Oratio.

DEus, qui beatum Leonem Confeſſorem tuum atque Pontificem virtute conſtantiæ in exercendo paſtorali munere contra ſæculi poteſtates corroboraſti: tribue, quæſumus, nobis famulis tuis, & ejus apud te interceſſionibus adjuvari, & ab omni hoſtium impugnatione defendi. Per Dominum.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

LEo hujus nominis tertius, Romanus, ex patre Aſuppio, à pueritia omni Eccleſiaſtica ac divina diſciplina inſtructus, monaſticum habitum ſancti Patris Benedicti induit. Deinde Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Suſannæ creatus, caſtimonia, facundia, animi conſtantia, beneficentia in pauperes, ingenii manſuetudine, & divini honoris, rerumque Eccleſiaſticarum zelo inſignis fuit. His virtutum gradibus ad ſupremam Pontificatus dignitatem novorum meritorum ſplendore ab ipſo deinceps illuſtratam aſcendit in templo Sanctæ Suſannæ ad Thermas Diocletianas, incredibili omnium plauſu, ipſo die obitus Adriani, ſeptimo Kalendas Januarii anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo quinto electus. ℟. Inveni David.

Lectio vi.

BEato Pontifici omnia proſperè initio eveniſſe ſunt viſa: mos tamen factione quorumdam impiorum ipſius felicitati invidentium, oculis & lingua mutilatus, vulneribus penè confectus, ac ſemivivus relictus, poſtridie per inſigne miraculum ſanus inventus fuit. Ex conjuratorum manibus à Spoletano Duce ereptus Leo, ad Carolum Magnum Francorum Regem profectus eſt, ejuſque hæc prima vox fuit ad Regem: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: nempe ſe ſummis licèt affectum injuriis, nuntium pacis, non bellorum aut diſſidiorum adeſſe ſanctiſſimè affirmavit. Sceleris tamen atrocitate permotus Carolus, Romam primò è Germania Pontificem cum honore remiſit, ac ipſemet mox urbem petiit, eique Leo Romanum Imperium detulit, & ſuis perſecutoribus vitam precibus obtinuit. ℟. Poſui adjutorium.

Lectio vii.

PRidie Kalendas Maji, anno Domini octingenteſimo primo, hora ſecunda noctis maximo terræmotu Italia tota concuſſa eſt, multaque ubique ædificia corruerunt, ſed inprimis Romæ tectum Baſilicæ ſancti Pauli procubuit: ob id inſtitutum eſt à Leone, ut præcedentibus tribus Aſcenſionem Dominicam diebus ſupplicationes ad diverſa Templa haberentur, ac ſtatim eandem Eccleſiam priſtino ſplendori reſtituit. Peregrinis ampliſſimum xenodochium extruxit: patrimonium, alioſque fundos pauperibus adſcripſit. In majori à ſe extructo apud Baſilicam Lateranenſem Triclinio, quod ſummorum Pontificum, & Imperatorum conviviis inſtruendis deſignaverat, publicæ

blicæ pacis jam partæ, & Imperii Occidentis in Carolum ab Apoſtolica Sede translati monumentum muſivo opere exprimi voluit. ℟. Iſte eſt.

Lectio viii.

BAſilicas, ſacraſque ædes tum intra, tum extra Urbem inſtauravit, eaſque tot tantiſque divitiis locupletavit, tam ſingulari munificentia ornavit religioſiſſimus Pontifex, ut id fidem omnem ſuperare videatur. Cùm maligni quidam homines ſemina rixarum inter ſanctum Leonem & Carolum Magnum ſpargere conarentur, inter alia ad ipſum ſcripſit Imperator, quòd qui per mendacium, & malas machinationes vult filium ſeparare à matre, judicium habebit cum ipſo Clavigero Regni Cœlorum beato Petro Apoſtolo. Tribus ordinationibus menſe Martio celebratis, quibus Presbyteros triginta, Diaconos undecim, Epiſcopos viginti ſex creavit, ſanctiſſimam vitam pio fine coronavit pridie Idus Junias, anno Chriſti octingenteſimo decimo ſexto, cùm annos viginti, menſes quinque, dies decem, & ſeptem ſediſſet, ac in Vaticana Baſilica ſepultus eſt.

In tertio Noct. Homilia in Evangelium. Homo peregrè. *ut in Communi Confeſſ. Pontif.*

EODEM DIE.

In Feſto S. Joannis à S. Facundo Confeſſoris. Duplex.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter ea quæ hìc aſſignantur.

Oratio.

DEus auctor pacis & amator charitatis, qui beatum Joannem Confeſſorem tuum mirifica diſſidentes componendi gratia decoraſti: ejus meritis & interceſſione concede, ut in tua charitate firmati, nullis à te tentationibus ſeparemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

In primo Nocturno, Lectiones. Juſtus ſi morte. *ut in eodem Communi.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

JOannem Sahaguni in Hiſpania nobili genere natum, parentes cùm diu prole caruiſſent, piis operibus & orationibus à Deo impetrarunt. Ab ineunte ætate egregium futuræ ſanctitatis ſpecimen dedit; nam è loco ſuperiori ad ceteros pueros crebrò verba faciebat, quibus eos ad virtutem & Dei cultum hortabatur, eorumque diſſidia componebat. In patria Monachis ſancti Facundi Ordinis ſancti Benedicti primis litterarum rudimentis imbuendus traditur: dum iis operam daret, curavit pater, ut, Parochus Eccleſiam adminiſtraret; quod munus juvenis nullis rationibus adduci potuit, ut retineret. Inter familiares Epiſcopi Burgenſis adſcriptus, ob ſpectatam ipſius probitatem intimus ei fuit, ab eoque Presbyter & Canonicus factus, multis beneficiis auctus eſt. Sed relicta aula Epiſcopi, ut Deo quietiùs ſerviret, omnibus Eccleſiæ proventibus abdicatis, ſe cuidam Sacello addixit, ubi Sacrum quotidie faciebat, ac de rebus divinis magna cum auditorum ædificatione frequenter concionabatur.

℟. Honeſtum.

Lectio vi.

POſteà ſtudiorum cauſa Salmanticam profectus, in celebre Collegium Divi Bartholomæi cooptatus, Sacerdotis munus ita exercuit, ut ſimul optatis ſtudiis incumberet, & in ſacris etiam concionibus aſſiduè verſaretur. Cùm verò in graviſſimum morbum incidiſſet, arctioris diſciplinæ voto ſe obſtrinxit: quod ut redderet, cùm priùs cuidam pauperi penè nudo ex duabus, quas tantùm habebat veſtes, meliorem dediſſet, ad Cœnobium ſancti Auguſtini ſeveriori diſciplina tum maximè florens ſe contulit, in quo admiſſus, obedientia, animi demiſſione, vigiliis ac oratione provectiores anteibat. Triclinii cura cùm ipſi demandata eſſet; vini doliolum ipſo attingente omnibus Monachis per annum abundè ſuffecit. Exacto tyrocinii anno, Præfecti juſſu munus concionandi ſuſcepit. Salmanticæ id temporis adeò cruentis factionibus divina humanaque omnia permixta erant, ut ſingulis propemodum horis cædes fierent, & omnium ordinum, ac præſertim nobilium ſanguine non viæ ſolùm & fora, ſed templa etiam redundarent.

℟. Amavit eum.

Le-

Lectio vii.

AT Joannes tum concionibus, tum privatis colloquiis civium animos demulcens, ad tranquillitatem urbem reduxit. Virum Principem graviter offendit, quòd illius in ſubditos ſævitiam increpaſſet. Qua de cauſa equites duos immiſit, qui eum in itinere confoderent; jamque ad ipſum propinquaverant, cùm ſtupore divinitus immiſſo, ſimul cum equis immobiles ſteterunt, donec ad pedes ſancti viri provoluti, ſceleris veniam precarentur. Ipſe quoque Princeps repentino terrore perculſus jam de ſalute deſperaverat, cùm revocato Joanne, facti pœnitens incolumitati redditus eſt.

℞. Iſte homo. *Lectio viii.*

FActioſi etiam homines, cùm eum fuſtibus peterent, brachiis diriguere: nec antè redditæ vires, quàm delicti veniam precarentur. Chriſtum Dominum, dum Sacrum faceret, præſentem contueri, atque ex ipſo Divinitatis fonte cœleſtia myſteria haurire ſolitus. Abdita cordis inſpicere, ac futura raro eventu præſagire frequens illi fuit. Fratriſque filiam ſeptennem mortuam excitavit. Denique mortis die prænuntiato, & Eccleſiæ Sacramentis devotiſſimè ſuſceptis, extremum diem clauſit. Multis ante & poſt obitum miraculis glorioſus. Quibus ritè probatis, Alexander octavus Sanctorum numero eum adſcripſit.

℞. Deſiderium.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evangel. Sint lumbi veſtri prçcincti. *de Communi Confeſſ. non Pontif. primo loco.*

DOMINICA III. JULII.

Officium SS. Redemptoris. Duplex Majus.

AD VESPERAS.

Antiphona. Virgam virtutis ſuæ emittet Dominus ex Sion, & regnabit in ſæculum ſæculi.

Pſalmus. Dixit Dominus.

Antiph. Virgam virtutis ſuę emittet Dominus ex Sion, & regnabit in ſęculum ſæculi.

Antiphona. Redemptionem miſit Dominus populo ſuo: mandavit in æternum teſtamentum ſuum.

Pſalmus. Confitebor.

Antiphona. Redemptionem miſit Dominus populo ſuo: mandavit in æternum teſtamentum ſuum.

Antiphona. Miſericordia mea, & refugium meum Dominus: ſuſceptor meus & liberator meus,

Pſalmus. Credidi.

Antifona. Miſericordia mea, & refugium meum Dominus: ſuſceptor meus, & liberator meus.

Antiphona. Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum Redemptio.

Pſalmus. De profundis.

Antiphona. Apud Dominum miſericordia & copioſa apud eum Redemptio.

Capitulum. *Tobiæ 3.*

BEnedictum Nomen tuum Deus Patrum noſtrorum: qui cùm iratus fueris, miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

℞. *breve.* Redime Domine. * & miſerere mei. Redime me.

℣. In Eccleſiis benedicam te Domine. Et miſerere. Gloria Patri. Redime.

Hymnus.

COnditor alme ſiderum,
Æterna lux credentium,
Chriſte Redemptor omnium,
Exaudi preces ſupplicum.

Qui condolens interitu
Mortis perire ſeculum,
Salvaſti mundum languidum,
Donans reis remedium.

Vergente mundi veſpere,
Uti ſponſus de thalamo
Egreſſus honeſtiſſima
Virginis matris clauſula.

Cujus forti potentiæ
Genu curvantur omnia,
Cœleſtia, terreſtria,
Nutu fatentur ſubdita.

Te deprecamur hagie,
Venture judex ſæculi,
Conſerva nos in tempore,
Hoſtis à telo perfidi.

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & ſancto Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo.

℟. Et feciſti nos Deo noſtro Regnum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Salus autem mea in ſempiternum erit, & Juſtitia mea in generationes generationum Alleluja.

Ora-

Oratio.

DEus, qui nos in tantis periculis conſtitutos, pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere: da nobis ſalutem mentis, & corporis: ut ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum noſtrum &c.

Deinde fit commemoratio Dominicæ occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Redemptorem ſæculorum, ipſum Regem Angelorum: Adoremus Dominum.

Pſalmus. Venite, exultemus Domino &c. *Hymnus.*

RErum Creator optime,
Rectorque noſter aſpice:
Nos à quiete noxia
Merſos ſopore libera.
Mentes manuſque tollimus,
Propheta ſicut noctibus
Nobis gerendum præcipit,
Pauluſque geſtis cenſuit.
Te, ſancte Chriſte, poſcimus:
Ignoſce culpis omnibus:
Ad confitendum ſurgimus,
Moraſque noctis rumpimus.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & ſancto Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiphona. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra!

Pſalmus. Domine Dominus noſter, *quod incipit à ſecundo verſu.*
Quoniam elevata eſt &c.

DOmine Dominus noſter, * quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!

QUoniam elevata eſt magnificentia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos: * ut deſtruas inimicum, & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum: * lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum: * & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum:

Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: * oves, & boves univerſas, inſuper & pecora campi.

Volucres cœli, & piſces maris, * qui perambulant ſemitas maris.

Domine Dominus noſter, * quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!

Gloria Patri.

Antiphona. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra!

Antiphona. Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in Cœlo ſedes ejus. *Pſal.* 10.

IN Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: * Tranſmigra in montem ſicut paſſer.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, * ut ſagittent in obſcuro rectos corde.

Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt: juſtus autem quid fecit?

Dominus in templo ſancto ſuo: * Dominus in cœlo ſedes ejus.

Oculi ejus in pauperem reſpiciunt: * palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat juſtum, & impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Pluet ſuper peccatores laqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam juſtus Dominus, & juſtitias dilexit: * æquitatem vidit vultus ejus.

Gloria Patri.

Antiphona. Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in Cœlo ſedes ejus.

Antiphona. Domine exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Pſalmus 19.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de ſancto: * & de Sion tueatur te.

Memor ſit omnis ſacrificii tui: * & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi ſecundùm cor tuum: * & omne conſilium tuum confirmet.

Lætabimur in ſalutari tuo: * & in nomine Dei noſtri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: * nunc cognovi quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo: * in potentatibus ſalus dexteræ ejus.

Hi in curribus, & hi in equis: * nos autem in

in nomine Domini Dei noſtri invocabimus.
Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: * nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.
Domine ſalvum fac regem: * & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.
Gloria Patri.
Antiphona. Domine exaudi nos in die, qua invocaverimus te.
Antiphona. Tu es ipſe Rex meus, qui mandas ſalutes in Jacob.

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra, & plenitudo ejus: * orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo.
Quia ipſe ſuper maria fundavit eum: * & ſuper flumina præparavit eum.
Quis aſcendet in montem Domini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?
Innocens manibus & mundo corde: * qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.
Hic accipiet benedictionem à Domino: * & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.
Hæc eſt generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.
Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: * & introibit Rex gloriæ.
Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio.
Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales; * & introibit Rex gloriæ.
Quis eſt Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.
Gloria Patri.
Antiphona. Tu es ipſe Rex meus, qui mandas ſalutes in Jacob.
Antiphona. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo Vota tua.

Pſalmus 45.

DEus noſter refugium, & virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.
Propterea non timebimus dum turbabitur terra: * & transferentur montes in cor maris.
Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum: * conturbati ſunt montes in fortitudine ejus.
Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: * ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.
Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculò.
Conturbatæ ſunt Gentes, & inclinata ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.
Dominus virtutum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.
Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: * auferens bella uſque ad finem terræ.
Arcum conteret, & confringet arma: * & ſcuta comburet igni.
Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus: * exaltabor in Gentibus, & exaltabor in terra.
Dominus virtutum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob. Gloria Patri.
Antiphona. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo Vota tua.
Antiphona. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio Templi tui.

Pſalmus 47.

MAgnus Dominus, & laudabilis nimis: * in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus.
Fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion, * latera Aquilonis, civitas Regis magni.
Deus in domibus ejus cognoſcetur, * cùm ſuſcipiet eam.
Quoniam ecce reges terræ congregati ſunt, * convenerunt in unum.
Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, * tremor apprehendit eos.
Ibi dolores ut parturientis, * in ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis.
Sicut audivimus, ſic vidimus, in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri, * Deus fundavit eam in æternum.
Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, * in medio templi tui.
Secundùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ, * juſtitia plena eſt dextra tua.
Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ, * propter judicia tua Domine.
Circumdate Sion, & complectimini eam, * narrate in turribus ejus.
Ponite corda veſtra in virtute ejus: * & diſtribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.
Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi: * ipſe reget nos in ſæcula. Gloria Patri.

An-

Antiphona. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio Templi tui.
℣. Redime me Domine, & miſerere mei.
℟. In Eccleſiis benedicam te Domine.

De Iſaia Propheta.

Lectio i. *Cap. 51.*

AUdite me qui ſequimini quod juſtum eſt, & quæritis Dominum: attendite ad petram unde exciſi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis. Conſolabitur ergo Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas ejus: & ponet deſertum ejus quaſi delicias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini. Gaudium, & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Attendite ad me popule meus, & tribus mea audite: quia lex à me exiet, & judicium meum in lucem populorum requieſcet. Prope eſt Juſtus meus, egreſſus eſt Salvator meus, & brachia mea populos judicabunt: me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt.

℟. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum, & plena erat omnis terra majeſtate ejus: * Et ea, quæ ſub ipſo erant, replebant Templum.
℣. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri. Et ea, quæ ſub &c.

Lectio ii.

LEvate in Cęlum oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum: quia Cęli ſicut fumus liqueſcent & terra ſicut veſtimentum atteretur, & habitatores ejus ſicut hæc interibunt: Salus autem mea in ſempiternum erit, & juſtitia mea non deficiet. Audite me qui ſcitis juſtum, populus meus lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanam, ſic devorabit eos tinea: Salus autem mea in ſempiternum erit, & juſtitia mea in generationes generationum.

℟. Aſpice Domine de ſede ſancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi oculos tuos, & vide tribulationem noſtram. ℣. Qui regis Iſrael, intende, qui deducis velut ovem Joſeph. Aperi oculos tuos &c. *Lectio iii.*

COnſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini: Conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſæculorum. Numquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem? Numquid non tu ſiccaſti mare, aquam abyſſi vehementis: qui poſuiſti profundum maris viam, ut tranſirent liberati? Et nunc qui redempti ſunt à Domino, revertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium, & lætitiam tenebunt, fugiet dolor, & gemitus.

℟. Deus, qui ſedes ſuper thronum, & judicas æquitatem, eſto refugium pauperum in tribulatione: * Quia tu ſolus laborem, & dolorem conſideras. ℣. Tibi enim derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adjutor. Quia tu ſolus &c. *Lectio iv.*

EGo, ego ipſe conſolabor vos: quis tu, ut timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quaſi fœnum ita areſcet? Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit Cœlos, & fundavit terram: & formidaſti jugiter tota die à facie furoris ejus, qui te tribulabat, & paraverat ad perdendum: ubi nunc eſt furor tribulantis? Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet uſque ad internecionem, nec deficiet panis ejus. Ego autem ſum Dominus Deus tuus.

℟. Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos ſemper: * Libera Domine Deus Iſrael clamantes ad te. ℣. Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam Nomini tuo. Libera Domine &c.
Gloria Patri. Libera Domine &c.

IN II. NOCTURNO.

Antiphona. Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus ſalvabit me.

Pſalmus 60.

EXaudi Deus deprecationem meam: * intende orationi meæ.
A finibus terræ ad te clamavi: * dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.
Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea: * turris fortitudinis à facie inimici.
Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſæcula: * protegat in velamento alarum tuarum.
Quoniam tu Deus meus exaudiſti orationem meam: * dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum.
Dies ſuper dies regis adjicies: * annos ejus uſque in diem generationis, & generationis.
Permanet in æternum in conſpectu Dei: * miſericordiam, & veritatem ejus quis requiret?

Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi: * ut reddam vota mea de die in diem. Gloria Patri.

Antiphona. Ego autem ad Deum clamavi & Dominus ſalvabit me.

Antiphona. Deus meus, Salvator meus, ſalutare meum, & ſpes mea in æternum.

Pſalmus 74.

CONfitebimur tibi Deus: * confitebimur, & invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua: * cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo.

Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea: * ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis: Nolite iniquè agere: * & delinquentibus: Nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu veſtrum: * nolite loqui adversùs Deum iniquitatem.

Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſertis montibus: * quoniam Deus judex eſt.

Hunc humiliat, & hunc exaltat: * quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto.

Et inclinavit ex hoc in hoc: veruntamen fæx ejus non eſt exinanita: * bibent omnes peccatores terræ.

Ego autem annuntiabo in ſæculum: * cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam: * & exaltabuntur cornua juſti. Gloria Patri.

Antiphona. Deus meus, Salvator meus, ſalutare meum, & ſpes mea in æternum.

Antiphona. Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.

Pſalmus 83.

QUàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: * concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invenit ſibi domum: * & turtur nidum ſibi ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: * Rex meus, & Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: * in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: * aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noſter aſpice Deus: * & reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies una in atriis tuis: * ſuper millia.

Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei: * magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus: * gratiam, & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.

Gloria Patri.

Antiphona. Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.

Antiphona. Benedicite Nomini ejus: annuntiate de die in diem ſalutare ejus.

Pſalmus 95.

CAntate Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem ſalutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus; * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: * terribilis eſt ſuper omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: * Dominus autem cœlos fecit.

Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu ejus: * ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ Gentium, afferte Domino gloriam & honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hoſtias, & introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio ſancto ejus.

Commoveatur à facie ejus univerſa terra: * dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terrę, qui non commovebitur: * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cęli, & exultet rerra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: * gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt.

Tunc exultabunt omnia ligna ſilvarum à facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, * & populos in veritate ſua. Gloria Patri.

An-

Antiphona. Benedicite Nomini ejus: annuntiate de die in diem ſalutare ejus.

Antiphona. In quacunque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem. *Pſalmus* 96.

DOminus regnavit, exultet terra: * lætentur inſulæ multæ.

Nubes & caligo in circuitu ejus: * juſtitia & judicium correctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcedet: * & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, & commota eſt terra.

Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini: * à facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli juſtitiam ejus: * & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant ſculptilia: * & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, & lætata eſt Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ: * propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram: * nimis exaltatus es ſuper omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætitia.

Lætamini juſti in Domino: * & confitemini memoriæ ſanctificationis ejus.

Gloria Patri.

Antiphona. In quacunque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Antiphona. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam.

Pſalmus 97.

CAntate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit ſibi dextera ejus: * & brachium ſanctum ejus.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: * in conſpectu Gentium revelavit juſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: * & veritatis ſuæ domui Iſrael.

Viderunt omnes termini terræ: * ſalutare Dei noſtri.

Jubilate Deo omnis terra: * cantate, & exultate, & pſallite.

Pſallite Domino in cithara, in cithara, & voce pſalmi: * in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Jubilate in conſpectu Regis Domini: * moveatur mare, & plenitudo ejus; orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in juſtitia: * & populos in æquitate. Gloria Patri.

Antiphona. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam.

℣. Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui.

℟. Viſita nos in ſalutari tuo.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Serm. I. *de Jejunio decimi Menſis, & collectis.* *Lectio v.*

SI fideliter, dilectiſſimi, atque ſapienter creationis noſtræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet Auctoris: & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo, Divinæ benignitatis forma reſplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in ſecundo. Cauſa autem reparationis noſtræ non eſt, niſi miſericordia Dei: quem non diligeremus, niſi priùs nos ipſe diligeret, & tenebras ignorantiæ noſtræ, ſuæ veritatis luce diſcuteret.

℟. A dextris eſt mihi Dominus, ne commovear: * Propter hoc dilatatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea. ℣. Dominus pars hæreditatis meæ, & Calicis mei. Propter hoc &c.

Lectio vi.

DIligendo itaque nos Deus, ad imaginem ſuam nos reparat: & ut in nobis formam ſuæ bonitatis inveniat, dat unde ipſi quoque quod operatur operemur, accendens ſcilicet mentium noſtrarum lucernas, & igne nos ſuæ charitatis inflammans, ut non ſolum ipſum, ſed etiam quidquid diligit, diligamus. Nam ſi inter homines ea demùm firma amicitia eſt, quam morum ſimilitudo ſociarit, cùm tamen parilitas voluntatum ſæpè in reprobos tendat affectus, quantùm nobis optandum, atque nitendum eſt, ut in nullo ab iis, quæ Deo ſunt placita, diſcrepamus. De quo dicit

Propheta: Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus: quia non aliter nobis erit dignitas Divinæ Majeſtatis, niſi imitatio fuerit Voluntatis.

℟. Intuere Domine, quia facta eſt deſolata Civitas plena divitiis: ſedet in triſtitia Domina gentium: * Non eſt, qui conſoletur eam niſi tu Deus noſter. ℣. Plorans ploravit in nocte, lacrymæ ejus in maxillis ejus. Non eſt &c. *Lectio vii.*

Dicente itaque Domino: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua; & diliges Proximum tuum ſicut te ipſum, ſuſcipiat fidelis Anima Authoris ſui, atque Rectoris immarceſcibilem Charitatem, totamque ſe etiam ſubjiciat Voluntati, in cujus operibus, atque judiciis nihil vacat à veritate Juſtitiæ nihil à miſeratione clementiæ. Quoniam etſi magnis quis laboribus, & multis fatigetur incommodis, bona eſt illi cauſa tolerandi, qui ſe adverſis vel corrigi intelligit, vel probari.

℟. Ornaverunt faciem Templi Coronis, aureis, & dedicaverunt Altare Domino; * Et facta eſt lætitia magna in Populo. ℣. In hymnis, & confeſſionibus benedicebant Dominum. Et facta eſt &c.

Lectio viii.

Hanc igitur immenſæ largitatis Clementiam oſtendere dignatus eſt Deus erga Populum Venetiarum dira tunc temporis peſtilentia vexatum; ſed Voto facto inviſendi quotannis Templum in honorem ſanctiſſimi Redemptoris à fundamentis Publicæ Magnificentia Pietatis extructum, non multò poſt extincto morbo ſumma totius Civitatis lætitia, priſtinæ incolumitati ſe vidit reſtitutum. Ut autem accepti beneficii recordatio, & cultus erga Servatorem noſtrum augeretur in dies, Officium proprium, & Miſſam ſub titulo Sanctiſſimi Redemptoris, quæ Innocentius XIII. Romanus Pontifex omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus Venetiis exiſtentibus, qui ad horas Canonicas tenentur, ſingulis annis Dominica tertia Julii recurrente recitanda conceſſit, Benedictus XIII. itidem Romanus Pontifex ad totum Statum & Dominium Venetum extendit.

℟. Redemit populum ſuum, & liberavit eum: & venient, & exultabunt in Monte Sion, & gaudebunt de bonis Domini ſuper frumento, vino, & oleo: * Et ultra non eſurient. ℣. Eritque anima eorum tamquam hortus irriguus. Et ultra non &c. Gloria Patri. Et ultra non &c.

IN III. NOCTURNO.

Antiphona. Sicut Moyſes exaltavit Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in illum non pereat: dicit Dominus.

Cantica. Domine miſerere noſtri. *ut in Dominica*.

℣. Notam feciſti in gentibus virtutem tuam. ℟. Redemiſti in brachio tuo Populum tuum.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Joannem. *Lectio ix. Cap. 3.*

In illo tempore dixit Jeſus Nicodemo: Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, Filius hominis, qui eſt in Cœlo. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Ex Tractatu in Cap. 3. Joann.

Nemo aſcendit in Cęlum, niſi qui de Cęlo deſcendit. Deſcendit enim, & mortuus eſt, & ipſa morte liberavit nos à morte. Morte occiſus, mortem occidit. Et noſtis Fratres, quia mors iſta per Diaboli invidiam intravit in Mundum. Deus mortem non fecit, ſcriptura loquitur, nec lætatur, inquit, in perditione vivorum; creavit enim ut eſſent omnia. Sed quid ibi ait? Invidia autem Diaboli mors intravit in Orbem terrarum. Ad mortem à Diabolo propinatam non veniret homo vi adactus; non enim cogendi patentiam Diabolus habebat ſed perſuadendi verſutiam. Si non conſentires, nihil invexerat Diabolus; conſenſio tua, ò homo, te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati, & ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes mortales.

℟. Laudabilis populus: * Quem Dominus exercituum benedixit dicens: Opus manuum mearum tu es: hæreditas mea Iſrael. ℣. Beata gens, cujus eſt Dominus Deus; populus electus in hæreditatem. Quem Dominus &c. *Lectio x.*

Jeſus autem Filius Dei Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, unicus, æqualis Patri, mortalis factus eſt, quia Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis. Si ergo mortem ſuſcepit, & mortem ſuſpendit in Cruce, de ipſa morte liberantur mortales. Quod in figura factum eſt apud antiquos, commemoravit illud Dominus. Et ſicut, inquit, Moyſes exaltavit

vit ſerpentem in Eremo, ita exaltari oportet Filium hominis: Quis eſt ſerpens exaltatus? Mors Domini in Cruce. Quia enim à ſerpente mors, per ſerpentis effigiem figurata eſt mors. Morſus ſerpentum lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur ſerpens. Quid eſt hoc? Attenditur mors, ut nihil valeat mors. Sed cujus mors? Mors Vitæ: Nonne Vita Chriſtus? Et tamen mortuus eſt Chriſtus.

℞. Suſtinuimus pacem, & non venit: quæſivimus bona, & ecce turbatio: cognovimus Domine peccata noſtra: * Non in perpetuum obliviſcaris nos. ℣. Peccavimus, impiè geſſimus, iniquitatem fecimus Domine in omnem juſtitiam tuam. Non in perpetuum &c. *Lectio xi.*

INterim modo, Fratres, ut à peccato ſanemur, Chriſtum Crucifixum intueamur: quia ſicut Moyſes, inquit, exaltavit ſerpentem in Eremo, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quomodo qui intuebantur illum ſerpentem, non peribant morſibus ſerpentum: ſic, qui intuentur Fide mortem Chriſti, ſanantur à morſibus peccatorum. Sed illi ſanabantur à morte ad vitam temporalem: hic autem ait, ut habeant vitam æternam. Hoc enim intereſt inter figuratam imaginem, & rem ipſam: figura præſtabat vitam temporalem: res ipſa, cujus illa figura erat, præſtat vitam æternam.

℞. Cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteritur, & habitatores ejus ſicut hæc interibunt: * Salus autem mea in ſempiternum erit, & juſtitia mea non deficiet.

℣. Audite me qui ſcitis juſtum, populus meus, lex mea in corde eorum, nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. Salus autem &c.

Lectio xi. legitur de Homilia Dominicæ occurrentis.

℞. Præparate &c.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundùm Joannem. *Cap. 3.*

IN illò tempore dixit Jeſus Nicodemo: Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, Filius hominis, qui eſt in Cœlo. Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Qui credit in eum non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt: quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei. *Oratio.*

DEus, qui nos in tantis periculis conſtitutos, pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere: da nobis ſalutem mentis, & corporis: ut ea, quæ pro peccatis noſtri patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum noſtrum &c.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

CAntate Domino, quoniam magnificè fecit: annuntiate hoc in univerſa terra.

Pſalmus. Dominus regnavit. *cum reliquis de Laudibus Dominicæ.*

Antiphona. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam: quia factus eſt mihi in ſalutem. Alleluja.

Antiphona. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & dicetis: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus.

Antiphona. Facta eſt Salus, & Virtus, & Regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus.

Antiphona. Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.

Capitulum. *Tobiæ 3.*

BEnedictum Nomen tuum Deus Patrum noſtrorum; qui cùm iratus fueris miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

℞. *breve.* Redemiſti nos Domine: * In ſanguine tuo. Redemiſti.

℣. Et feciſti nos Deo noſtro Regnum. In ſanguine. Gloria Patri. Redemiſti nos.

Hymnus.

JEſu noſtra redemptio,
Amor, & deſiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum.
Quæ te vicit clementia,
Ut ferres noſtra crimina,
Crudelem mortem patiens,
Ut nos à morte tolleres:
Ipſa te cogat pietas,
Ut mala noſtra ſuperes
Parcendo, & voti compotes
Nos tuo vultu ſaties.

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & ſancto Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Domine refugium factus es nobis.
℟. A generatione, & progenie.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ecce Deus noſter iſte, expectavimus eum, & ſalvabit nos: ſuſtinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in ſalutari ejus. Alleluja.

Oratio. Deus, qui nos in tantis. *ut ſuprà.*

Deinde fit commemoratio Dominicæ occurrentis.

Ad Tertiam, Antiphona.

Ecce Deus Salvator meus.

Capitulum. Benedictum Nomen. *ut ſuprà.*

℣. Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo.
℟. Et feciſti nos Deo noſtro Regnum.

Ad Sextam, Antiphona.

Haurietis aquas.

Capitulum. *1. ad Cor. Cap. 2.*

EX ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis Sapientia à Deo, & Juſtitia, & Sanctificatio, & Redemptio.

℣. Redime me Domine, & miſerere mei.
℟. In Eccleſiis benedicam te Domine.

Ad Nonam, Antiphona.

Exulta, & lauda.

Capitulum. *Apoc. 4.*

DIgnus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & Virtutem: quoniam occiſus eſt, & redimiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro Regnum.

℣. Notam feciſti in populis virtutem tuam.
℟. Redemiſti in brachio tuo populum tuum.

In ſecundis Veſperis, omnia, ut in primis.

℣. Domine refugium factus es nobis.
℟. A generatione, & progenie.

Ad Magnificat, Antiphona.

Regnum tuum Regnum omnium ſæculorum, & Dominatio tua in omni generatione, & generationem. Alleluja.

Oratio ut ſuprà.

Deinde fit comm. Dominicæ occurrentis.

DIE XVI. JULII

Feſtum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo. *Duplex Majus.*

AD VESPERAS.

Antiph. Dum eſſet Rex. *cum reliq. de Laudib. Pſalmus.* Dixit Dominus. Laudate. Lætatus ſum. Niſi Dominus.

Capitulum. *Eccl. 14.*

AB initio, & ante ſæcula creata ſum, & uſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi.

℟. *breve.* Ave Maria. *Hymnus.* Ave maris ſtella. ℣. Dignare me laudare te, Virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Ad Magnificat. Antiphona. Sancta Maria, ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo ſexu: ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſolemnem Commemorationem.

Oratio.

DEus, qui beatiſſimæ ſemper Virginis & Genitricis tuæ Mariæ ſingulari titulo Carmeli Ordinem decoraſti: concede propitius; ut cujus hodie Commemorationem ſolemni celebramus Officio, ejus muniti præſidiis ad gaudia ſempiterna pervenire mereamur. Qui vivis.

Deinde fit commemor. S. Henrici Imperatoris Confeſſ.

In fine Hymnorum Completorii & Horarum dicatur: Gloria tibi Domine, Qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum, Invitator. Sancta Maria Dei genitrix virgo: * Intercede pro nobis. *Pſal.* Venite, exultemus.

Hymnus. Quem terra. *Antiphonæ, & Pſalmi trium Nocturnorum, ut in feſto S. Mariæ ad Nives die 5. Auguſti.*

IN I. NOCTURNO.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.
℟. Intende, proſperè procede, & regna.

Lectiones de Parabolis Salomonis. Ego ſapientia habito. *cum ℟iis, ut in feſto S. Mariæ ad Nives.*

IN II. NOCTURNO.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu ſuo.
℟. Deus in medio ejus, non commovebitur.

Lectio v.

CUm ſacra Pentecoſtes die, Apoſtoli cœlitùs afflati variis linguis loquerentur, & invocato auguſtiſſimo Jeſu nomine, mira multa patrarent: viri plurimi (ut fertur) qui veſtigiis ſanctorum Prophetarum Eliæ ac Eliſei inſtiterant, & Joannis Baptiſtæ præconio ad Chriſti adventum comparati fuerant: rerum veritate perſpecta, atque probata, Evangelicam fidem confeſtim amplexati ſunt, ac peculiari quodam affectu beatiſſimam Virginem (cujus colloquiis ac familiaritate feliciter frui potuere) adeò venerari cœperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim aſcendentem nebulam, Virginis typo inſignem, conſpexerat, eidem puriſſimæ Virgini Sacellum conſtruxerint.

℟. *Sicut cedrus.*

Lectio vi.

AD novum ergo Sacellum ſæpè quotidie convenientes, ritibus piis, precationibus, ac laudibus beatiſſimam Virginem, velut ſingularem Ordinis tutelam colebant. Quamobrem Fratres beatæ Mariæ de Monte Carmelo paſſim ab omnibus appellari cęperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modò confirmarunt, ſed & Indulgentias peculiares iis, qui eo titulo vel Ordinem vel Fratres ſingulos nuncuparent, conceſſere.

℟. Quæ eſt iſta.

Lectio vii.

NEc verò nomenclaturam tantùm magnificentiſſima Virgo tribuit & tutelam; verùm & inſigne ſacri Scapularis, quod beato Simoni Anglico præbuit, ut cęleſti hac veſte Ordo ille ſacer dignoſceretur, & à malis ingruentibus protegeretur. Ac demum cùm olim in Europa Ordo eſſet ignotus, & ob id apud Honorium tertium non pauci pro illius extinctione inſtarent, aſtitit Honorio noctu piiſſima virgo Maria, planèque juſſit, ut Inſtitutum & homines benignè complecteretur.

℟. Ornatam monilibus.

Lectio viii.

NOn in hoc tantùm ſæculo Ordinem ſibi tam acceptum multis prærogativis beatiſſima Virgo inſignivit, verùm & in alio (cùm ubique & potentia & miſericordia plurimum valeat) filios in Scapularis ſocietatem relatos, qui abſtinentiam modicam, preceſque paucas eis præſcriptas frequentarunt, ac pro ſui ſtatus ratione caſtitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne purgatorii expiantur, ſolari, ac in cęleſtem patriam obtentu ſuo quantocyùs piè creditur efferre. Tot ergo tantiſque beneficiis Ordo cumulatus, ſolemnem beatiſſimæ Virginis Commemorationem ritu perpetuo ad ejuſdem Virginis gloriam quotannis celebrandam inſtituit.

℟. Cum jucunditate Commemorationem beatæ Mariæ celebremus: * Ut ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Jeſum Chriſtum. ℣. Corde & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ. Ut ipſa.

Gloria Patri. Ut ipſa.

IN III. NOCTURNO.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Lectiones tertii Nocturni, ut in Feſt. ad Nives 5. Auguſti.

Oratio. Deus, qui beatiſſimæ ſemper Virginis.

A D   L A U D E S,

& per Horas, Antiphona.

DUm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis.

Pſalm. Dominus regnavit. *cum reliquis.*

Antiph. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Antiph. Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem: ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum ſuum.

Antiphona. Jam hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit: ſurge amica mea, & veni.

Antiphona. Specioſa facta es, & ſuavis in deliciis tuis, ſancta Dei genitrix. *Capitulum.* Ab initio.

℟. *breve.* Ave Maria. *Hymnus.* O glorioſa Domina.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus. Antiphona.

Caput tuum ut Carmelus, & comæ capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus, alleluja.

Oratio. Deus, qui.

Ad Tertiam, Antiphona. Læva ejus.

Capitulum. Ab initio. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua. ℟. Intende, proſperè procede, & regna.

Ad Sextam, Antiphona. Nigra ſum.

Capitulum. *Eccl.* 24. *b*

ET ſic in Sion firmata ſum, & in civitate ſantificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea. ℣. Adjuvabit eam Deus vultu ſuo. ℟. Deus in medio ejus, non commovebitur.

Ad Nonam, Antiphona. Speciosa.

Capitulum. *Eccl.* 24. *b*

IN plateis ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

In ſecundis Veſp. Antiph. Pſalmi, Capitulum, ℟. *br. Hymnus &* ℣. *ut in* 1. *Veſp.*

Ad Magnificat, Antiphona.

Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron, alleluja.

Et fit commem. S. Leonis quarti Papæ & Confeſſoris.

DIE XVII. JULII.

In feſto ſancti Leonis quarti Papæ & Confeſſoris. Duplex *Oratio.*

PReces populi tui ſupplicantis, quæſumus, Domine, propitius reſpice: & interceſſione beati Leonis Confeſſoris tui atque Pontificis, cujus hodie ſolemnia colimus, flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte. Per Dominum.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

LEo hujus nominis quartus, natione Romanus, patre Radulpho, in Monaſterio ſancti Martini Ordinis ſancti Patris Benedicti literis imbutus, vitam religioſam profeſſus eſt. Ex quo ob virtutum decora ad Lateranenſe Patriarchium à Gregorio quarto evocatus, Subdiaconus ordinatus eſt. Deinde à Sergio ſecundo Presbyter Cardinalis conſtitutus, titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum præpoſitus fuit. Poſt ejuſdem Sergii obitum eadem die (invitus licèt) omnium votis ad ſanctam Sedem promotus eſt. Leonem Pontificatu digniſſimum fecere religio, pietas, innocentia, humilitas, benignitas, juſtitiæ amor, charitas in plebem, beneficentia in pauperes, aſſiduitas in vigiliis, & orationibus, eruditio ſacra, & prudentiæ cum ſimplicitate morum admirabilis conjunctio.

℟. Inveni David. *Lectio vi.*

NE deinceps liceret Eccleſiæ hoſtibus Baſilicam ſancti Petri una vel levi incurſione ſpoliare, & incendere, ut antè conſueverant, mœnibus Vaticanum cinxit: & primo Pontificatus ſui anno novam civitatem inchoavit, ſexto abſolvit: eamque Leoninam de ſuo nomine appellavit, ſacra prece luſtravit, tres ſuper muros orationes fundens: illamque beati Petri patrocinio commendavit. Alia quoque męnia, arces, portaſque urbis reparavit, tiberinam oram turribus munivit, direptas Baſilicas reſtauravit, & ornatum Domus Dei ſublatum reſtituit. Saracenos ad alteram urbis direptionem jam accinctos ſuis precibus fregit, & eorum claſſem diſſipavit, compluribus in ipſo prælio deſideratis, pleriſque captivis Romam perductis.

℟. Poſui adjutorium.

Lectio vii.

NOn terrenis dumtaxat munitionibus, ſed cœleſtibus præſidiis contra hoſtes Chriſtiani nominis urbem vallavit Beatiſſimus Pontifex; nam plurima in ipſa invexit Sanctorum corpora, & inter alia ſanctorum Quatuor Coronatorum, quorum Eccleſiam in pulchriorem, ſplendidioremque ſtatum à fundamentis erexit, Baſilicas, Altaria, Monaſteria, atque in primis cænobium ſanctorum Stephani & Caſſiani, in quo Græcos conſtituit monachos, reſtauravit, ornavit, ditavit. Synodum ſexaginta ſeptem Epiſcoporum in Baſilica ſancti Petri convocavit, & complures canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes condidit. Sæpiùs ſacras Conciones habuit ad populum, dignum Summo Pontifice oſtendens, ut ipſemet Divini Verbi panem populo Chriſtiano diſtribueret, ac Apoſtolos non ſolùm in regimine, ſed & in prędicatione imitaretur.

℟. Iſte eſt.

Lectio viii.

MIraculis ejus eſt ſanctitas comprobata: nam & baſiliſcum, cujus halitu, & veneno jam multi extincti fuerant, ſuis precibus præſens occidit, & maximum incendium Baſilicæ Vaticanæ imminens ſigno Crucis extinxit. Ejus-

ſanctitate permotus Rex Angliæ Arnulphus Regnum ſuum Romanæ Eccleſię tributarium fecit, & cenſum annuum conſtituit. Octavam Aſſumptionis Deiparæ Virginis celebrari juſſit. Ludovicum ſecundum Imperatorem unxit. Etelvulphum Occidentalium Saxonum in Anglia Regem ad Apoſtolorum limina profectum honorificè ſuſcepit, filiumque ejus juniorem Helfridum ſanctiſſimis præceptis inſtitutum Regem coronavit. Vir ſanè de Urbe, totaque Republica Chriſtiana optimè meritus obiit decimo ſexto Kalendas Auguſti anno octingenteſimo quinquageſimo quinto, & ſepultus eſt ad S. Petrum.

℟. Juſtum deduxit.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Homo peregrè. *ut in Communi Confeſſ. Pontif.*

DIE XXX. AUGUSTI.

In Feſto S. Roſæ à S. Maria Virginis Limanæ. Duplex.

Omnia de Communi Virginum, præter ea quæ ſequuntur.

Oratio.

BOnorum omnium largitor omnipotens Deus, qui beatam Roſam, cœleſtis gratiæ rore præventam, virginitatis & patientiæ decore Indis floreſcere voluiſti: da nobis famulis tuis; ut in odorem ſuavitatis ejus currentes, Chriſti bonus odor effici mereamur. Qui tecum vivit.

Et fit Commemoratio Decollationis S. Joannis Baptiſtæ.

Antiphona. Miſit Rex incredulus miniſtros deteſtabiles, & amputari juſſit caput Joannis Baptiſtæ.

℣. Juſtus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani.

Oratio.

SAncti Joannis Baptiſtæ Præcurſoris & Martyris tui, quæſumus, Domine, veneranda feſtivitas, ſalutaris auxilii nobis præſtet effectum.

Deinde Commemoratio SS. Felicis, & Adaucti Martyrum.

Antiphona. Iſtorum eſt enim regnum Cęlorum, qui contempſerunt vitam Mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino, &c.

℟. Et gloriamini omnes, &c.

Oratio

MAjeſtatem tuam, Domine, ſupplices exoramus: ut ſic nos jugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita ſemper ſupplicatione defendas. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

PRimus Americæ Meridionalis flos ſanctitatis virgo Roſa, Chriſtianis parentibus Limæ progenita, mox ab incunabulis claruit futuræ ſanctimoniæ indiciis: nam vultus infantis mirabiliter in roſæ effigiem transfiguratus, huic nomini occaſionem dedit: cui poſteà virgo Deipara cognomen adjecit, jubens vocari deinceps Roſam à Sancta Maria. Quinquennis votum perpetuæ virginitatis emiſit. Adultior, ne à parentibus ad nuptias cogeretur, clam ſibimet venuſtiſſimam capitis cæſariem præſcidit. Jejuniis ſupra humanum modum addicta, integras Quadrageſimas tranſegit pane abſtinens, ac dietim ſolis quinque granulis mali citrini victitans. ℟. Propter veritatem.

Lectio vi.

HAbitu Tertii Ordinis ſancti Dominici aſſumpto, priſtinas vitæ auſteritates duplicavit: oblongo aſperrimoque cilicio ſparſim minuſculas acus innexuit: ſub velo coronam denſis aculeis introrſus obarmatam interdiu noctuque geſtavit. Sanctæ Catharinæ Senenſis ardua præmens veſtigia, catena ferrea, triplici nexu circumducta, lumbos cinxit. Lectulum ſibi è truncis nodoſis compoſuit, horumque vacuas commiſſuras fragminibus teſtarum implevit. Cellulam ſibi anguſtiſſimam ſtruxit in extremo horti angulo, ubi cœleſtium contemplationi dedita, crebris diſciplinis, inedia, vigiliis corpuſculum extenuans, at ſpiritu vegetata, larvas dæmonum, frequenti certamine victrix, impavidè protrivit, ac ſuperavit. ℟. Dilexiſti juſtitiam.

Lectio vii.

ÆGritudinum tormentis, domeſticorum inſultibus, linguarum morſibus dirè agitata, nondum ſatis pro merito ſe affligi querebatur. Per quindecim annos ad pluſculas horas deſolatione ſpiritus & ariditate miſerrimè contabeſcens, forti

animo

animo tulit agones omni morte amariores. Exinde cœpit ſupernis abundare deliciis, illuſtrari viſionibus, colliqueſcere Seraphicis ardoribus. ℟. Prudentes Virgines.

Lectio viii.

ANgelo tutelari, Sanctæ Catharinæ Senenſi, virgini Deiparæ inter aſſiduas apparitiones mirè familiaris, à Chriſto has voces audire meruit: Roſa cordis mei tu mihi ſponſa eſto. Denique ſponſi hujus Paradiſo feliciter invectam, plurimiſque ante & poſt obitum miraculis coruſcam, Clemens decimus Pontifex Maximus ſanctarum Virginum catalogo ritu ſolemni adſcripſit. ℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Homil. ut in Communi Virginum primi loci.

Lect. xii. Pro SS. Felice, & Adaucto Mart.

Et fit de eis commemoratio in Laudibus. Antiph. Veſtri capilli. ℣. Exultabunt. ℟. Lætabuntur. *Oratio ut ſuprà.*

Veſperæ à Capitulo de S. Raymundo Nonnato cum commemoratione S. Roſæ.

DOMINICA I. OCTOBRIS.

Officium novum in Feſto SS. Roſarii B. M. Virginis. Duplex majus.

Omnia dicuntur ut in Breviario notatur, exceptis iis quæ hìc aſſignatur propria.

Oratio.

DEus, cujus Unigenitus, per Vitam, Mortem, & Reſurrectionem ſuam, nobis ſalutis æternæ præmia comparavit; concede quæſumus, ut hæc myſteria Sanctiſſimo beatæ Mariæ Virginis Roſario recolentes, & imitemur quod continent; & quod promittunt, aſſequamur. Per eumdem Dominum.

Et fit commemor. Dominicæ occurrentis.

Ad Matutinum, Invitatorium. Sancta Maria Dei Genitrix virgo, * Intercede pro nobis. *Pſalmus.* Venite exultemus. *Hymnus.* Quem terra. *Antiphonæ, Pſalmi & ℣. Nocturnorum ut in Officio parvo B. Mariæ.*

In primo Nocturno, Lectiones de Parabolis Salomonis. Ego ſapientia habito. *cum ſuis Reſponſoriis, ut habetur in eodem feſto in Breviario.*

IN II. NOCTURNO.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu ſuo.
℟. Deus in medio ejus, non commovebitur.

Lectio v.

CUm Albigentium hæreſis per Toloſatium regionem impiè graſſaretur, atque altiùs in dies radices ageret; Sanctus Dominicus, qui nuper Prædicatorum Ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id ut præſtaret validiùs, auxilium Beatæ Virginis, cujus dignitas illis erroribus impudentiſſimè petebatur: cuique datum eſt cunctas hæreſes interimere in univerſo Mundo, enixis precibus imploravit: à qua (ut memoriæ proditum eſt) cùm monitus eſſet, ut Roſarium Populis prædicaret, velut ſingulare adverſus hæreſes, ac vitia præſidium; mirum eſt, quanto mentis fervore, & quàm felici ſucceſſu injunctnm ſibi munus ſit executus. Eſt autem Roſarium certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum Salutationum decades, oratione Dominica interjecta, diſtinguimus, & ad earum ſingulas totidem noſtræ reparationis myſteria pia meditatione recolimus. Ex eo ergo tempore pius hic orandi modus mirabiliter per Sanctum Dominicum promulgari, augerique cœpit; quem ejuſdem inſtitutorem, Authoremque fuiſſe Summi Pontifices, Apoſtolicis litteris, paſſim affirmarunt.
℟. Sicut cedrus.

Lectio vi.

INnumerabiles porrò fructus ex hac tam ſalutari inſtitutione in Chriſtianam Rempublicam dimanarunt, inter quos Victoria illa meritò numeratur, quam Sanctiſſimus Pontifex Pius Quintus, & ab eo inflammati Chriſtiani Principes apud Echinadas Inſulas de Turcarum Tyranno potentiſſimo reportarunt. Nam, cùm illa ipſa die ea Victoria relata ſit, qua die Sanctiſſimi Roſarii Sodalitates per univerſum Orbem conſuetas ſupplicationes peragerent, ſtatutaſque preces de more funderent: iis precibus haud immeritò refertur accepta. Quod quidem, cùm etiam Gregorius tertius decimus teſtatus eſſet, ut pro tam ſingulari beneficio Beatæ Virgini ſub appellatione Roſarii perennes gratię ubique Terrarum haberentur; in Eccleſiis omnibus, in quibus Altare Roſarii foret, prima quaque Octobris Dominica Officium ritu duplici majori perpetuò celebrandum indixit: aliique Pontifices Roſarium recitantibus ejuſdemque Roſarii Sodalita-

dalitatibus Indulgentias penè innumeras conceſſere. ℟. Quæ eſt iſta.

Lectio vii.

NUper verò Clemens Undecimus animo reputans inſignem pariter victoriam anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſexto in Hungariȩ regno à Carolo Sexto in Imperatorem Romanorum electo, de innumeris Turcarum copiis relatam, eo die contigiſſe, quo Feſtum Dedicationis Sanctæ Mariæ ad Nives celebraretur, atque eodem fermè tempore, quo Sanctiſſimi Roſarii Confratres publicam,ſolemnemq; ſupplicationem in Alma Urbe ingenti Populi concurſu, magnaq; religione peragentes, fervidas ad Deum preces pro Turcarum depreſſione funderent, ac potentem opem Deiparæ Virginis in auxilium Chriſtianorum humiliter implorarent; eam ob rem, Victoriam illam, necnon liberatam paulò poſt eorumdem Turcarum obſidione Corcyrenſem Inſulam ejuſdem Beatȩ Virginis patrocinio piè cenſuit adſcribendam. ℟. Ornatam monilibus.

Lectio viii.

QUamobrem, ut hujus quoque tam inſignis beneficii perennis ſemper, & memoria extaret, & gratia; Sanctiſſimi Roſarii Feſtum eadem die, eodemque ritu celebrandum ad Eccleſiam univerſam extendit. Hȩc omnia Benedictus decimus tertius in Breviario Romano noviſſimè apponi juſſit. Sanctiſſimam ergo Dei Genitricem cultu hoc eidem gratiſſimo jugiter veneremur, ut quæ toties Chriſtifidelibus, Roſarii precibus exorata, terrenos Hoſtes profligare dedit, ac perdere, infernos pariter ſuperare concedat. ℟. Diffuſa eſt gratia.

In iii. Nocturno dicitur Homilia Venerabilis Bedȩ Presbyteri in Evangelium. Loquente Jeſu. *Cum reliquis, ut notatur in dicto Feſto in Breviario.*

Lectio xii. de Homilia Dominicæ occurrentis, & commem. de ea in Laudibus, & in ſecundis Veſperis.

DIE V. OCTOBRIS.

In feſto SS. Placidi, & Sociorum Martyrum Ordinis Sancti Benedicti.

Dupl. ii. Claſſis.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, exceptis quæ ſequuntur.

Oratio.

DEus, qui beatum Placidum in aquis penè demerſum mirabiliter eripuiſti, ut fidem inde, quam cum pluribus ſociis coram perſecutoribus confeſſus eſt, proprio ſanguine confirmaret: ipſorum nobis interceſſionem concede; ut animas noſtras propter te perdere non timentes, eas apud te feliciter invenire mereamur. Per Dominum.

In primo Noct. Lectiones, Fratres, debitores ſumus. *ut in eodem Communi.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

PLacidus Romanus, Tertullo Patre ex nobiliſſima Aniciorum Familia natus, puer Deo oblatus, & ſancto Benedicto traditus, tantum morum integritate, & monaſticæ vitæ inſtitutis profecit, ut inter præcipuos ejus Diſcipulos numeraretur. In ſolitudine Sublacenſi eidem Divo Benedicto fontem divinitùs impetranti adfuit. Adoleſcentulus ad hauriendam aquam egreſſus, & in lacum prolapſus, ejuſdem ſancti Patris imperio per Maurum Monachum ſuper aquas ſicco pede currentem ſalvus mirabiliter extractus fuit. In Caſinum Montem cum illo deinde veniens annum agens alterum & vigeſimum mittitur in Siciliam, ut bona, & poſſeſſiones, quas Pater ipſius Monaſterio Caſinenſi donaverat, ab improba quorumdam cupiditate defenderet. Quo in itinere cùm plurima, maximaque miracula feciſſet, ſanctitatis fama percelebris Meſſanam venit; conſtructoque non longè à portu in paterna poſſeſſione Cœnobio, monachis triginta congregatis monaſticam diſciplinam primus ea in Inſula propagavit.
℟. Sancti mei.

Lectio vi.

NIhil eo placidius, nihil humilius erat: prudentia, gravitate, miſericordia, animique perpetua tranquillitate ſuperabat omnes. In divinarum rerum contemplatione ſæpiſſimè pernoctabat, paulùm ſedens, cùm eum neceſſarius ſomnus oppreſſiſſet. Silentii præcipua cura; ubi autem loquendum eſſet, ſermo omnis ad mundi deſpicientiam, Chriſtique imitationem accommodatus. Jejunium verò ita coluit ut carne omnique opere lactario totis annis abſtineret; per Quadrageſimam autem tertia, quintaque feria, & Dominica

pane dumtaxat, frigidaque contentus, cæteros dies ſine ullo cibo traduceret. Vinum bibit nunquam, cilicium perpetuò geſtavit. ℟. Verbera carnificum.

Lectio vii.

TOt autem, tantiſque Placidus miraculis coruſcabat, ut non ſolùm ex vicinis locis, ſed ex Etruria & Africa ægroti ad eum ſanitatis cauſa confluerent; quamquam is ab inſigni quadam animi humilitate, miraculis quæ faceret omnibus, ſancti Benedicti nomen, meritaque prætendere ſolitus erat. Cùm igitur ſanctitatis exemplo, & miraculorum magnitudine rem Chriſtianam augeret, quinto anno poſtquam in Siciliam venit, ſubita Saracenorum irruptione cum Eutychio & Victorino fratribus, Flaviaque ſorore Virgine [qui fortè per dies ad Fratrem viſendum Roma uſque contenderant] necnon Donato, Fauſto, Firmatoque Diacono, monachiſque triginta noctu pſallens in Eccleſia opprimitur. Ex quibus Donatus capite illicò cæſus eſt: reliqui ante Manucham archipyratam ducti, cùm ſe idolis cultum ullum adhibere conſtanter negarent, cæſi virgis, manibus, pedibuſque vincti ſine ullo cibo contruduntur in carcerem ac inſuper quotidie flagellis conciduntur. Sed divinitùs ſuſtentati, poſt multos dies rurſus ad Tyrannum adducuntur, atque in eadem fide conſtantes iterum, ac ſæpiùs affecti verberibus, nudi, capite demiſſo ſuſpenduntur, ingentique fumo os eorum obruitur. Qui cùm omnium opinione mortui relicti fuiſſent, poſtridie vivi, ſanatis mirabiliter vulneribus, reperti ſunt. ℟. Tamquam aurum.

Lectio viii.

DEinde Flaviam virginem ſeparatim Tyrannus aggreſſus, cùm nihil aut terrendo, aut pollicendo proficeret, jubet illam nudam pedibus alta ex trabe ſuſpendi. Cui cùm Tyrannus inſultans nuditatis turpitudinem exprobraret; Unus eſt, inquit virgo, maris fœminæque auctor conditorque Deus: quare neque ſexus, neque nuditas hæc fraudi mihi apud illum futura eſt, quippe quam pro illius amore ſuſtineo, qui mea cauſa non nudari ſolùm, ſed cruci etiam affigi voluit. Quo reſponſo Manucha incitatus virginem fuſtibus cæſam, ſubjectoque fumo excruciatam lenonibus conſtuprandam tradidit. Virgine autem Deum deprecante divinitùs factum eſt, ut quotquot eam attingere vellent, ſubito membrorum omnium dolore, ſtuporeque corriperentur. Poſteà Placidum Virginis Fratrem Tyrannus invadit, eique idolorum vanitatem arguenti, os, denteſque lapidibus contundi, linguamque radicitùs abſcindi jubet. Sed cùm nihilominus ille avulſa lingua clarè, & expeditè loqueretur, ipſo miraculo magis furens Barbarus, Placidum cum ſorore, ac fratribus, immanibus anchorarum, molarumque ponderibus obrui reſupinos imperat. Cùmque ex iis etiam tormentis integri evaſiſſent, ad extremum ex una Placidi familia ſex & triginta in portus Mamertini litore, capitibus abſciſſis martyrii palmam cum duce ſuo, & aliis etiam pluribus retulere tertio nonas Octobris, anno ſalutis humanæ quingenteſimo trigenteſimo uno. Horum omnium corpora poſt aliquos deinde dies Gordianus Monachus ex eodem Monaſterio fuga elapſus intacta cùm reperiſſet, cum lacrymis ſepelivit. Tyranni autem non multò poſt ultricibus maris undis abſorpti crudelitatis ſuæ pœnas dederunt. ℟. Certamen magnum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

Lectio ix. *Cap. 12. d*

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 51. in Joannem, ſub medium.

IPſe Dominus Jeſus erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum. Jam verò exhortans nos ad paſſionis ſuæ ſectanda veſtigia, Qui amat, inquit, animam ſuam, perdet eam. Quod duobus modis poteſt intelligi. Qui amat, perdet: ideſt, ſi amas, perdes. Si cupis vitam tenere cum Chriſto, noli mortem timere pro Chriſto. Item alio modo: Qui amat animam ſuam, perdet eam: noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.

Le-

Lectio x.

HOc autem quod poſteriùs dixi, magis videtur habere Evangelicus ſenſus. Sequitur enim: Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Ergo, quod ſuprà dictum eſt, qui amat (ſubintelligitur in hoc mundo) ipſe utique perdet: qui autem odit (utique in hoc mundo) in vitam æternam ipſe cuſtodit eam. ℟. Hæc eſt vera fraternitas.

Lectio xi.

MAgna & mira ſententia, quemadmodum ſit hominis in animam ſuam amor ut pereat, odium ne pereat. Si malè amaveris, tunc odiſti: ſi benè oderis, tunc amaſti. Felices qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.

Lectio xii.

SEd vide ne tibi ſubrepat, ut teipſum velis interimere, ſic intelligendo, quòd debes odiſſe in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni, atque perverſi homines, & in ſeipſis crudeliores, & ſceleratiores homicidæ, flammis ſe donant, aquis ſe præfocant, præcipitio ſe collidunt, & pereunt. Hoc Chriſtus non docuit; imò etiam diabolo præcipitium ſuggerenti reſpondit: Redi retrò ſatanas: ſcriptum eſt enim: Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus erat Deum: Cùm eſſes junior, cingebas te, & ambulabas, quò volebas: cùm autem ſenueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Ubi ſatis expreſſit, non à ſeipſo ſed ab alio debere occidi, qui veſtigia ſequitur Chriſti.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundùm Joannem.

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Amen, amen dico vobis: niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipſum ſolum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.

DIE XXX. OCTOBRIS.

In Commemoratione ſanctorum Martyrum, & aliorum SS. quorum reliquiæ in Eccleſiis noſtri Ordinis aſſervantur.

Duplex.

Ad Veſperas, Antiphona.

Omnes Sancti. *cum reliquis de Communi plurimor. Martyrum. Pſalmi de Dominica.*

Capitulum. *Rom. 8.*

SI ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis.

℟. *Br.* Exultent juſti *ut in eodem Communi.*

Hymnus.

ADeſte Sancti, plurimo
Dum thure, veſtra dum piis
Coluntur oſſa ritibus,
Votis favete ſupplicum.
Non illa, quamquam triſtibus
Imum redacta in pulverem
Dudum ſepulchris ſqualleant,
Divina virtus deſerit.
Sed ſancta præſenti fovet,
Impletque templa numine;
Sed & futuræ ſpiritus
Poſt ſæcla ſervat gloriæ.
Hinc ille, qui noſtris latet
Cinis ſub aris conditus,
Ægris medetur efficax,
Torquet, fugatque dæmones.
Sit ſumma, Chriſte, laus tibi,
Venture judex ſæculi,
Cum Patre, cumque Spiritu,
In ſæculorum ſæcula. Amen.

℣. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum.
℟. Unum ex his non conteretur.

Ad Magnificat, Antiphona.

Iſtorum eſt enim, *&c.* *Oratio*

DEus, qui hanc ſacroſanctam Eccleſiam tot voluiſti Sanctorum decorari reliquiis: auge in nobis reſurrectionis fidem, & fac nos immortalis gloriæ participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Deum vivum, in quem cor & caro Sanctorum exultant, * Venite, adoremus

Hymnus ut ad Veſp.

Antiphonæ & Pſalmi primi & ſecundi Nocturni, ut in eodem Communi plurimor. Mart.

IN I. NOCTURNO.

℣. Dormiunt in terræ pulvere.

℟. Evigilabunt in vitam æternam.

Lectiones de Epiſtola beati Pauli Apoſtoli ad Romanos. Fratres, debitores ſumus. *ut in eodem communi.*

IN II. NOCTURNO.

℣. Juſti quaſi virens folium germinabunt.

℟. Non commovebitur radix eorum.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

Serm. 4. in feſto omnium Sanctorum.

Lectio v.

QUamquam, dilectiſſimi, honorum noſtrorum Sancti non egent, nec quidquam eis noſtra devotione præſtatur, planè quòd eorum memoriam veneramur, noſtra intereſt, non ipſorum. Vultis ſcire quantum intereſt noſtra? Ego in me, fateor, ex hac recordatione ſentio deſiderium vehemens inflammari, & deſiderium triplex. Primum deſiderium, quod in nobis Sanctorum memoria vel excitat, vel incitat magis, hoc eſt, ut eorum tam optabili ſocietate fruamur, & mereamur concives & contubernales eſſe ſpirituum beatorum, & collætari communione Sanctorum. ℟. Sancti tui, Domine.

Lectio vi.

SIngulorum verò recordationes quaſi ſcintillæ ſingulæ, imò quaſi ardentiſſimæ faces devotos accendunt animos, ut eorum & conſpectum ſitiant, & complexum, adeout plerumque etiam inter eos eſſe ſe reputent, modò ad omnes ſimul, modò ad hos, vel ad illos tota aviditate & vehementia corda vibrantes. Non tantummodò ſocietas, ſed etiam felicitas nobis eſt optanda Sanctorum; gloriam quoque ferventiſſimo ſtudio ambiamus. Hoc ergo ſecundum deſiderium, quod ex Sanctorum commemoratione flagrat in nobis, ut ſicut illis, ſic nobis etiam Chriſtus appareat vita noſtra, & nos quoque cum ipſo appareamus in gloria. ℟. Verbera carnificum.

Lectio vii.

SAnè ut eam gloriam nobis ſperare liceat, & ad tantam beatitudinem adſpirare, ſummoperè nobis deſideranda ſunt ſuffragia quoque Sanctorum, ut, quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eorum nobis interceſſione donetur. Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei. Noſtis ipſi periculum noſtrum, noſtis ignorantiam noſtram, dolos adverſariorum, noſtis eorum impetus, & noſtram fragilitatem. Vobis enim loquor, qui in eadem tentatione fuiſtis, qui eoſdem ſuperaſtis conflictus, eoſdem laqueos evaſiſtis; qui didiciſtis ex his, quæ paſſi eſtis, compaſſionem. Ampliori fiducia ad vos confugio, vos habeo in ipſa humanitate conſortes, ut oporteat vos familiariùs, & ſpecialiùs miſereri oſſi de oſſibus veſtris, & carni de carne veſtra. ℟. Tamquam aurum.

Lectio viii.

DEnique tranſeuntes ex hoc mundo ad Patrem, ſancta nobis pignora reliquerunt. Apud nos ſiquidem corpora eorum in pace ſepulta ſunt, quorum nomina vivent in ſæculum, ideſt, quorum numquam gloria ſepelitur. Abſit, abſit à vobis, animæ ſanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincernæ Pharaonis, qui in gradum priſtinum reſtitutus, ſtatim oblitus eſt Joſeph ſancti, qui in carcere tenebatur: non enim erant unius capitis membra, nec aliqua pars fidelis cum infideli, aut ulla ſocietas Iſraelitæ ad Aegyptium, non pluſquam luci ad tenebras. Interpretatur enim Aegyptus Tenebræ, Iſrael autem Videns Deum: atque ideò ubicumque Iſrael erat, lux erat. Hæc verò noſtra, & Sanctorum cohærentia eſt, ut nos congratulemur eis, ipſi compatiantur nobis: nos devota meditatione regnemus in eis, ipſi in nobis & pro nobis militent pia interventione. ℟. Certamen magnum.

In tertio Nocturno, Ad Cantica, Antiph. Laudate, qui habitatis in pulvere: cùm eduxero vos de tumulis veſtris, ſcietis quia ego Dominus, alleluja.

Canticum. Juſtorum animæ. *ut in eodem Communi.*

℣. Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra.

℟. Tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Deſcendens Jeſus de monte. *ut in Communi plurimorum Martyrum,*

Ad Laudes, & per Horas, Antiphonæ, ut in eodem Communi plurimorum Martyr. Capitul. Si ſpiritus ejus. *ut ad Veſperas.* ℟. *breve.* Lætamini in Domino.

Hymnus.

QUos unanimes Chriſtianum chori,
Sanctorum tumulos, & cineres Patrum,

Cha-

Charas exuvias pignora Cœlitum
Lætis dicite cantibus.
Cœlo quando piis æqua laboribus
Felices animæ gaudia poſſident,
Pœnarum ſociis debita redditur
Hìc laus & decus oſſibus.
Paſſim ſparſa Deus, polliciti memor
Cuſtos, ne pereant, pignora colligit,
Electoſque ſuis providus aggerit
Aptandos lapides locis.
Quin & reliquias, & tumulos ſibi
Aras ipſe Deus conſecrat hoſtia;
Conjungenſque ſuis ſe caput artubus,
Hos ſecum ſimul immolat.
Vos, quorum cineres ſupplicibus pia
Tutum præſidium plebs colit oſculis,
Si vos noſtra movent, ſubſidium boni
Veſtri ferte clientibus.
Ut cùm noſtra novis ſplendida dotibus
Surget juncta choris ſpirituum caro,
Indiviſa Trias ſit Deus omnia
Nobis ſemper in omnibus. Amen.

℣. Sit memoria juſtorum in benedictione.
℟. Et oſſa eorum pullulent de loco ſuo.

Ad Benedictus, Antiphona.

Exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem: ſemper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.

Oratio, Deus, qui hanc. *ut ſuprà.*

Ad Tertiam, Capitulum. Phil. 3.

NOſtra converſatio in cœlis eſt, unde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.

℣. Sapientiam Sanctorum narrent populi.
℟. Et laudes eorum nuntiet Eccleſia.

Ad Sextam, Capitulum. 1. *Pet.* 4.

SI exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcit.

℣. Non derelinquet Dominus ſanctos ſuos.
℟. In æternum conſervabuntur.

Ad Nonam, Capitulum. 1. *Pet.* 3.

QUis eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? ſed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati.

℣. Glorioſus Deus in Sanctis ſuis.
℟. Mirabilis in majeſtate, faciens prodigia.

Ad Veſperas, Antiph. Iſti ſunt Sancti.

Pſalmi. Dixit Dominus. Beatus vir. Laudate pueri. Credidi, propter quod.

Capitulum, ℟. breve, & Hymnus, ut in primis Veſperis.

℣. Conſolabor vos, & gaudebit cor veſtrum.
℟. Et oſſa veſtra quaſi herba germinabunt.

Ad Magnificat, Antiphona.

Gaudent in cœlis. *ut in Communi plurimorum Martyrum.*

Oratio. Deus, qui hanc. *ut ſuprà.*

DIE X. NOVEMBRIS.

In Feſto S. Andreæ Avellini Confeſſoris. Semiduplex.

Omnia dicuntur de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter Orationem & Lectiones ſecundi Nocturni, quæ hìc aſſignantur propriæ.

Oratio.

DEus, qui in corde beati Andreæ Confeſſoris tui per arduum quotidie in virtutibus proficiendi votum, admirabiles ad te aſcenſiones diſpoſuiſti: concede nobis ipſius meritis, & interceſſione ita ejuſdem gratiæ participes fieri, ut perfectiora ſemper exequentes, ad gloriæ tuæ faſtigium feliciter perducamur. Per Dominum.

Deinde fit commem. SS. Martyrum Triphonis, Reſpicii, & Nymphæ virginis, ut in Breviario.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

ANdreas Avellinus, dictus anteà Lancellottus, apud Caſtrum Novum Lucaniæ pagum natus, inter ipſa infantiæ primordia futuræ ſanctitatis non obſcura præbuit indicia. Adoleſcens ad litteras addiſcendas paterna è domo egreſſus, lubricam illius ætatis ſemitam inter bonorum artium ſtudia ita peregit, ut ſapientiæ initium, quod eſt timor Domini, ob oculos potiſſimùm habere numquam prætermiſerit. Cum egregia proinde forma eximium caſtitatis ſtudium conjunxit, quo impudicas ſæpè mulierum inſidias eluſit, interdum etiam apertam vim propulſavit. Clericali militiæ jampridem adſcriptus, Neapolim ſe contulit, ut legalibus diſciplinis vacaret; ibique juris prudentiæ lauream adeptus, atque intereà ad ſacerdotalem dignitatem evectus, cauſarum patrocinia in Foro dumtaxat Eccleſiaſtico, proque privatis quibuſdam

buſdam perſonis, juxta Sacrorum Canonum ſanctiones agere cœpit. Verùm cùm aliquando inter cauſam agendam leve ei mendacium excidiſſet, mox verò fortuita ſacrarum Scripturarum Lectione in illa verba incidiſſet: Os quod mentitur, occidit animam; tanto ejus culpæ dolore, ac, pœnitentia correptus eſt, ut ſtatim ab ejuſmodi vitæ inſtituto ſibi recedendum eſſe duxerit.

℟. Honeſtum fecit. *Lectio vi.*

ITaque abdicatis forenſibus Curis, ſe totum divino cultui ſacriſque miniſteriis mancipavit: cùmque Eccleſiaſticæ virtutis exemplis emineret, ſanctimonialium regimini à tunc exiſtente Archiepiſcopo Neapolitano præfectus fuit. Quo in munere cùm pravorum hominum odia ſubiiſſet, primò quidem intentatæ ſibi necis, periculum declinavit, mox verò per ſicarium tribus in facie acceptis vulneribus, injuriæ atrocitatem æquo animo pertulit. Tunc perfectioris vitæ deſiderio flagrans, ut inter Clericos Regulares adſcriberetur ſuppliciter poſtulavit; votique compos factus, ob ingentem, quo æſtuabat, Crucis amorem, ut ſibi Andreæ nomen imponeretur, precibus impetravit.

℟. Amavit eum.

Lectio vii.

ARctioris itaque vitæ curriculum alacri ſtudio ingreſſus, in eas maximè virtutis exercitationes incubuit, ad quas ſeſe arduis etiam emiſſis votis obſtrinxit, altero ſcilicet ſuæ ipſius voluntati jugiter obſiſtendi, altero verò in via Chriſtianæ perfectionis ſemper ulteriùs progrediendi. Regularis diſciplinæ cultor aſſiduus, & in ea promovenda, cùm aliis præeſſet, ſtudioſiſſimus fuit. Quidquid ab Inſtituti ſui Officii & Regulę pręſcripto ſupererat temporis, orationi & animarum ſaluti tribuebat. In Confeſſionibus excipiendis mira ejus pietas & prudentia enituit, vicos & oppida Neapoli finitima Evangelicis miniſteriis magno cum animarum lucro frequens luſtrabat. Quam ardentem erga proximos ſancti viri charitatem ſignis etiam Dominus illuſtravit. Cùm enim intempeſta nocte ab audita ægri confeſſione domum rediret, ac pluviæ ventorumque vis prælucentem facem extinxiſſet, non ſolùm ipſe cum Sociis inter effuſiſſimos imbres nihil madefactus eſt, verùm etiam inuſitato ſplendore, è ſuo corpore mirabiliter emicante. Sociis inter denſiſſimas tenebras iter monſtravit. Abſtinentia & patientia, nec non abjectione, atque odio ſui ſummoperè præſtitit. Necem fratris filio illatam imperturbato animo tulit, ac ſuos ab omni ulciſcendi cupiditate compeſcuit, imò etiam pro interfectoribus opem, & miſericordiam Judicum imploravit.

℟. Iſte homo. *Lectio viii.*

PLuribus in locis Clericorum Regularium Ordinem propagavit, eorumque domicilia Mediolani & Placentiæ inſtituit. Illius operam ſanctus Carolus Borromæus, & Paulus de Aretio Clericus Regularis Cardinales, quibus erat acceptiſſimus, in Paſtoralis muneris curis adhibuerunt. Deiparam Virginem ſingulari amore, & cultu proſequebatur. Angelorum colloquio perfrui meruit, quos, cùm divinas laudes perſolveret, è regione concinentes ſe audiſſe teſtatus eſt. Denique poſt heroica virtutum exempla, Prophetiæ quoque dono illuſtris quo & ſecreta cordium, & abſentia & futura proſpexit, annis gravis, & laboribus fractus, ad Aram celebraturus in verbis illis tertiò repetitis: Introibo ad Altare Dei, repentino Apoplexiæ morbo correptus eſt; mox Sacramentis ritè munitus, placidiſſimè inter ſuos animam efflavit. Ejus corpus Neapoli in Eccleſia ſancti Pauli ad hęc uſque tempora eo frequentiſſimo Populi concurſu colitur, quo fuit elatum. Illum denique inſignibus in vita & poſt mortem miraculis clarum Clemens Undecimus Pontifex Maximus ſolemni ritu Sanctorum Catalogo adſcripſit.

℟. Deſiderium animæ.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium. Sint lumbi veſtri præcincti, *de eodem Communi, ſed xii. Lectio legitur de SS. Mart. Tryphone, Reſpicio, & Nympha, cum commem. de eis in Laudibus, ut in Brev.*

DIE IV DECEMBRIS.

In Feſto S. Petri Chryſologi Epiſcopi, & Confeſſoris. Duplex.

Omnia de Communi Confeſs. Pontificis, præter ea, quæ hìc habentur propria.

AD VESPERAS.

In Hymno dicitur: Meruit ſupremos, &c.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Doctor optime.

Ora-

Oratio.

DEus, qui Beatum Petrum Chryſologum Doctorem egregium, divinitus præmonſtratum ad regendam, & inſtruendam Eccleſiam tuam eligi voluiſti: præſta quæſimus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in Cœlis. Per Dominum.

Deinde fit commem. S. Franciſci Xaverii, & Feriæ Adventus, ac S. Barbaræ Virginis & Martyris.

AD MATUTINUM.

In primo Nocturno, Lectiones de Communi Confeſs. Pontif primo loco. Fidelis ſermo.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

PEtrus, qui ob auream ejus eloquentiam Chryſologi cognomen adeptus eſt, foro Cornelii in Æmilia honeſtis parentibus natus, à prima ætate animum ad Religionem adjiciens, Cornelio Romano tunc ejuſdem Urbis Cornelienſis Epiſcopo operam dedit: à quo etiam ſcientia, & vitæ ſanctitate cum brevi profeciſſet, Diaconus creatus eſt. Poſtmodum contigit, ut Ravennates ob mortem Archipræſulis ſui alium, (ut moris erat) ab eis electum Romam ad Sanctum Sixtum Papam Tertium pro confirmatione miſerint unà cum Legatis ſuis, & cum prædicto Cornelio, qui eumdem Levitam ſecum perduxit. Interim Sanctus Petrus Apoſtolus, & Martyr Apollinaris Summo Pontifici in ſomnis apparuerunt, mediumque habentes hunc Juvenem, juſſerunt, ut illum, & non alium, in Archiepiſcopum Ravennæ crearet. Hinc Pontifex, mox ut vidit Petrum cognovit eum à Domino Deo prælectum: propterea rejecto illo, quem ipſi offerebant, hunc ſolum, anno Chriſti quadrigenteſimo trigeſimo tertio, illi Metropolitanæ præfecit Eccleſiæ. Quod cùm Legati Ravennatenſes ægrè ferrent, audita viſione, Divinæ voluntati libenter acquieſcentes novum Archiepiſcopum maxima cum reverentia ſuſceperunt.

℟. Inveni David.

Lectio vi.

PEtrus igitur, licèt invitus in Archipræſulem conſecratus Ravennam deducitur: ubi à Valentiniano Imperatore, & à Galla Placidia ejus matre, ac ab univerſo Populo maxima lætitia exceptus eſt. Et ille ab eis id unum petere dixit, ut quando tantum oneris pro ipſorum ſalute ſubire non recuſavit, ſtuderent ipſi monitis ſuis obtemperare, Diviniſque præceptis non obſiſtere. Duorum Sanctorum tunc ibi defunctorum corpora, optimis unguentis condita ſepelivit, Barbatiani videlicet preſbyteri, & Germani Antiſiodorenſis Epiſcopi, cujus etiam cucullam, & cilicium ſibi vendicavit in hæreditatem. Projectum, & Marcellinum in Epiſcopos ordinavit. In Claſſe fontem extruxit magnitudinis verè admirabilis, & Templa quædam magnificavit tum Beato Andreæ Apoſtolo, tum aliis Sanctis. Ludos ab hominibus perſonatis cum variis ſalutationibus Kalendis Januarii fieri ſolitos concione cohibuit acerrima; ubi inter alia illud præclarè dixit: Qui jocari voluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Chriſto. Juſſu ſancti Leonis Papæ Primi ſcripſit poſteà ad Chalcedonenſe Concilium adverſus Hæreſim Eutychetis. Reſpondit præterea ad Eutychen ipſum, & alia epiſtola, quæ eidem Concilio in novis editionibus præfixa, & in Annales Eccleſiaſticos relata fuit. ℟. Poſui adjutorium.

Lectio vii.

DUm publicè ſermones haberet ad populum, adeò vehemens erat in dicendo, ut præ nimio ardore vox illi interdum defecerit: ſicut contigit in concione mulieris Hemorrhoiſſæ. Unde Ravennates commoti, tot lacrymis, clamoribus, & orationibus locum repleverunt, ut poſteà ipſe gratias ageret Deo, quòd in lucrum amoris verterit damnum ejuſdem ſermonis.

℟. Iſte eſt qui.

Lectio viii.

CUm tandem annos circiter decem, & octo eam Eccleſiam ſanctiſſimè rexiſſet, laborum ſuorum finem adeſſe divinitùs prænoſcens, in Patriam ſe contulit. Ubi ſancti Caſſiani Templum ingreſſus, magnum Diadema aureum, gemmis diſtinctum pretioſiſſimis offerens, ſuper Altare majus poſuit, nec non aureum craterem, & patenam argenteam, quam tum rabidi Canis morſus, tum febres ſanare ſæpius expertum eſt, aqua inde demiſſa. Ex tunc Ravennates, qui eundem ſecuti fuerant, dimiſit; admonens, ut in eligendo

optimo Paſtore invigilarent attentè. Mox Deum humiliter precatus, & ſanctum Caſſianum Patronum, ut benignè animam ejus exciperet, tertio nonas Decembris placidè ex hac vita migravit, anno Domini circiter quadringenteſimo quinquageſimo. Sacrum illius Corpus communi totius Civitatis fletu, ac pietate, prope Corpus ejuſdem Sancti Caſſiani honorificè conditum noſtris etiam temporibus religioſè colitur; cujus tamen brachium, auro, & gemmis ornatum Ravennam delatum in Urſiana Æde veneratur.

℟. Juſtum deduxit.

IN III. NOCTURNO.

Hom. Vos eſtis ſal terræ. *ut in communi Doctorum.*

In Laudibus fit comm. Feriæ Adventus, & S. Barbaræ Virg. & Martyris.

IN II. VESPERIS.

Ad Magnificat, Antiphona. O Doctor optime, *& Oratio ut ſuprà in primis.*

Deinde fit commem. Feriæ Adventus, & S. Sabbæ Abbatis.

DIE X. DECEMBRIS.

In Feſto translationis Almæ Domus B. Mariæ Virginis. Duplex Majus.

AD VESPERAS.

Antiphona. Domum tuam, &c. *cum reliquis de Laudibus.*

Pſalm. Dixit Dominus, *cum reliquis, ut in Officio parvo Beatæ Mariæ Virginis.*

Capitulum. *Eccl.* 24.

IN omnibus requiem quæſivi, & in hereditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

℟. *breve.* Domum tuam Domine, * Decet ſanctitudo. Domum tuam.

℣. In longitudinem dierum. Decet. Gloria Patri. Domum tuam.

Hymnus. Ave Maris ſtella, *prout in Officio parvo Beatæ Mariæ Virginis*

℣. Hæc eſt Domus Domini firmiter ædificata.

℟. Benè fundata eſt ſupra firmam petram.

Ad Magnificat, Antiphona.

Sanctificavit Dominus tabernaculum ſuum: quia hæc eſt Domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo ſcriptum eſt: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

Oratio.

DEus, qui beatæ Mariæ Virginis Domum per incarnati Verbi myſterium miſericorditer conſecraſti, eamque in ſinu Eccleſiæ tuæ mirabiliter collocaſti: concede, ut ſegregati à tabernaculis peccatorum digni efficiamur habitatores Domus ſanctæ tuæ. Per eumdem Dominum noſtrum.

Deinde fit commemoratio Feriæ, & S. Melchiadis Papæ & Martyris.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Salvatorem mundi in Domo Virginis de Spiritu ſancto conceptum, * Venite adoremus. *Pſalm.* Venite, exultemus.

Hymnus. Urbs Jeruſalem beata, *ut in Feſto Dedicationis Eccleſiæ.*

In i. Nocturno Antiphona.

Elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.

Pſalm. Domine Dominus noſter, *cum reliquis ut in Communi Virginum.*

Antiph. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

Pſalm. Cęli enarrant.

Antiph. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde.

Pſalm. Domini eſt terra.

Antiph. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum, & in ſæculum ſæculi.

Pſalm. Eructavit cor meum.

Antiph. Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

Pſalm. Deus noſter refugium.

Antiph. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.

Pſalm. Magnus Dominus.

℣. Hic Domus Dei eſt, & Porta cæli.

℟. Dt vocabitur Aula Dei.

De libro tertio Regum.

Lectio i *Cap.* 8.

STetit autem Salomon ante altare Domini in conſpectu Eccleſiæ Iſrael, & expandit manus ſuas in cœlum, & ait: Ergo ne putandum eſt, quòd verè Deus habitet ſuper terram? Si enim cœlum, & cœli cęlorum te capere non poſſunt: quantò magis Domus hæc, quam ædificavi? Sed reſpice ad orationem ſervi tui, & ad preces ejus, Domine Deus meus: audi hymnum & orationem, quam ſervus

vus tuus orat coram te hodie: ut ſint oculi tui aperti ſuper Domum hanc nocte ac die: ſuper Domum, de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias deprecationem ſervi tui, & populi tui Iſrael, quodcunque oraverint in loco iſto: & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, & cùm exaudieris, propitius eris.

℟. Vidi ſpecioſam ſicut columbam, aſcendentem deſuper rivos aquarum: cujus inæſtimabilis odor erat nimis in veſtimentis ejus: * Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium.

℣. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris? Et ſicut.

Lectio ii.

SI fugerit populus tuus Iſrael inimicos ſuos (quia peccaturus eſt tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo venerint, & oraverint, & deprecati te fuerint in Domo hac: exaudi in cœlo, & dimitte peccatum populi tui Iſrael, & reduces eos in terram, quam dediſti patribus eorum. Si clauſum fuerit cęlum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco iſto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis ſuis converſi fuerint propter afflictionem ſuam: exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata ſervorum tuorum, & populi tui Iſrael: & oſtende eis viam bonam, per quam ambulent, & da pluviam ſuper terram tuam, quam dediſti populo tuo in poſſeſſionem.

℟. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, * Terribilis ut caſtrorum acies ordinata?

℣. Filia Sion tota formoſa, & ſuavis es pulchra ut luna, electa ut ſol. Terribilis.

Lectio iii.

FAmes ſi oborta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locuſta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus ejus portas obſidens, omnis plaga, univerſa infirmitas: ſi quis cognoverit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in Domo hac, tu exaudies in cęlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies ut des unicuique ſecundùm omnes vias ſuas, ſicut videris cor ejus (quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum) ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt ſuper faciem terræ, quam dediſti patribus noſtris.

℟. Quę eſt iſta, quæ proceſſit ſicut ſol, & formoſa tamquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt.

Lectio iv.

INſuper & alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſrael, cùm venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum ubique) cùm venerit ergo, & oraverit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena, ut diſcant univerſi populi terrarum nomen tuum timere, ſicut populus tuus Iſrael, & probent quia nomen tuum invocatum eſt ſuper Domum hanc.

℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, * Dedi ſuavitatem odoris.

℣. Et ſicut cinnamomum & balſamum. Dedi.

Gloria Patri. Dedi.

IN II. NOCTURMO.

Antiph. Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cęlo proſpexit.

Pſalm. Benedixit.

Antiph. Homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus.

Pſalm. Fundamenta ejus.

Antiph. Tollite hoſtias, & introite in atria ejus: adorate Dominum in aula ſancta ejus.

Pſalm. Cantate.

Antiph. Viderunt omnes populi gloriam ejus.

Pſalm. Dominus regnavit, exultet.

Antiph. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus, alleluja.

Pſalm. Cantate.

Antiph. Introibo in Domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Pſalm. Dominus regnavit, iraſcantur.

℣. Domum tuam, Domine, decet ſanctitudo.

℟. In longitudinem dierum.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermone 52. de diverſ.

Lectio v.

SApientia, quæ Dei erat, & Deus erat, de ſinu Patris ad nos veniens ædificavit ſibi Domum, ipſam ſcilicet Matrem ſuam Virginem Mariam, in qua ſeptem columnas excidit. Quid eſt in ea ſeptem columnas excidere, niſi ipſam dignum ſibi habitaculum fide & operibus præparare? nimirùm ternarius numerus ad fidem propter ſanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quòd autem in beata Maria ſancta Trinitas fuerit, fuerit dico per præſentiam majeſtatis, ubi ſolus Filius erat per ſuſceptionem humanitatis, teſtatur Nuntius cœleſtis, qui ei arcana myſteria referans, ait: Ave gratia plena, Dominus tecum; & poſt pauca: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ecces habes Dominum, habes virtutem Altiſſimi, habes Spiritum ſanctum, habes Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.

℟. O quàm metuendus eſt locus iſte: * Verè non eſt hìc aliud, niſi Domus Dei, & porta cęli.

℣. Hæc eſt Domus Domini firmiter ædificata, benè fundata eſt ſupra firmam petram. Verè non.

Lectio vi.

UTrùm autem, & quatuor principales virtutes, tamquam quatuor columnas poſſederit, inquiſitione dignum videtur. Primùm ergo videamus, an fortitudinem habuerit, quæ nimirùm virtus quomodo illi abeſſe potuit, quæ abjectis ſæcularibus pompis, ſpretiſque voluptatibus carnis, ſoli Deo in virginitate vivere propoſuit? Ni fallor hæc Virgo eſt, quæ apud Salomonem legitur, Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Porrò, quòd temperans & juſta fuerit, ex Angeli collocutione, & ſui ipſius reſponſione, luce clarius comprobamus. Salutata quippè tam venerabiliter ab Angelo: Ave gratia plena, Dominus tecum: non ſe extulit, quaſi quæ ex ſingulari gratiæ privilegio benediceretur, ſed ſiluit, & qualis eſſet inſolita hæc ſalutatio ſecum cogitavit. Qua in re, quid, niſi temperans fuit?

℟. Fundata eſt Domus Domini ſupra verticem montium, & exaltata eſt ſuper omnes colles, * Et venient ad eam omnes Gentes, & dicent, Gloria tibi Domine.

℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Et venient.

Lectio vii.

AT verò cùm de cœleſtibus myſteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quæſivit: Quomodo conciperet, ac pareret, quæ virum utique non cognoſceret, & in hoc ſine dubio prudens extitit. Juſtitiæ autem præſefert inſigne, ubi ſe ancillam Domini confitetur. Nam quòd juſtorum ſit confeſſio, teſtatur qui ait: Verumtamen juſti confitebuntur nomini tuo. Fuit igitur beata virgo Maria fortis in propoſito, temperans in ſilentio, prudens in interrogatione, juſta in confeſſione. His itaque quatuor morum columnis, & tribus fidei prædictis extruxit in ea ſibi Domum Sapientia cœleſtis, quæ adeò mentem ejus replevit, ut plenitudine mentis fœcundaretur & caro.

℟. Domus mea Domus orationis vocabitur dicit Dominus: in ea omnis qui petit, accipit; & qui quærit, invenit: * Et pulſanti aperietur.

℣. Petite, & accipietis: quærite, & invenietis. Et pulſanti.

Lectio viii.

IPſius autem Virginis natalis Domus divinis myſteriis conſecrata, Angelorum miniſterio ab Infidelium poteſtate, in Dalmatiam priùs deinde in Agrum Lauretanum Picenæ Provinciæ translata fuit, ſedente ſancto Cœleſtino Quinto; eamdemque ipſam eſſe, in qua Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, tum Pontificiis diplomatibus, & celeberrima totius Orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute, & cœleſtium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius duodecimus, quò ferventiùs erga Matris amantiſſimæ cultum Fidelium memoria excitaretur, ejuſdem ſanctæ Domus Translationem anniverſaria ſolemnitate in tota Piceni Provincia veneratam, Miſſa etiam, & Officio proprio celebrare præcepit.

℟. Orantibus in loco iſto, * Dimitte peccata

cata populi tui Deus, & oſtende eis viam bonam, per quam ambulent, & da gloriam in loco iſto.

℣. Qui regis Iſrael, intende, qui deducis velut ovem Joſeph, qui ſedes ſuper Cherubim. Dimitte. Gloria Patri. Dimitte.

IN III. NOCTURNO.

Ad Cantica, Antiphona.

Beati qui habitant in Domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Canticum. Obaudite. *de Communi Virginum.*

℣. Domine dilexi decorem Domus tuæ.
℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.

Lectio ix. *Cap. 1 26.*

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Ex Homil. 1. ſuper Miſſus eſt.

QUæ eſt hæc Virgo tam venerabilis, ut ſalutetur ab Angelo, tam humilis, ut deſponſata ſit Fabro? Pulchra permixtio virginitatis, & humilitatis, nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem: ſed quanta putas veneratione digna eſt, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem. Audis virginem, audis humilem? laudabilis virtus virginitas, ſed magis neceſſaria humilitas: illa conſulitur, iſta præcipitur.

℟. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis: * Proptereà benedixit te Deus in æternum.
℣. Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ Regum in honore tuo. Proptereà.

Ex Homil. 2. ſuper eodem loco.

Lectio x.

MIſſus eſt, inquit, Angelus ad Virginem, virginem mente, virginem profeſſione, virginem denique, qualem deſcribit Apoſtolus, mente: & corpore ſanctam, nec noviter, nec fortuitò inventam, ſed à ſæculo electam, ab Altiſſimo præcognitam, & ſibi præparatam, ab Angelis ſervatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promiſſam, ut pauca loquar de pluribus, quam ſibi aliam prædixiſſe Deus videtur, quando ad ſerpentem ait: Inimicitias ponam inter te, & mulierem? Et ſi adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi quod ſequitur: Ipſa conteret caput tuum; cui hæc ſervata victoria eſt, niſi Mariæ? Tu autem.

℟. Beata es Virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidiſti Domino, perfecta ſunt in te, quæ dicta ſunt tibi: ecce exaltata es ſuper choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum.
℣. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Intercede.

Ex homil. 3. ſuper eodem loco.

Lectio xi.

ET ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum. Quò ingreſſus ad eam? Puto in Sacrarium pudici Cubiculi, ut illa fortaſſis clauſo ſuper ſe oſtio orabat Patrem in abſcondito. Solent Angeli adſtare orantibus, & delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione. Holocauſtum ſanctæ devotionis gaudent ſe offerre Deo in odorem ſuavitatis. Mariæ autem orationes quantum placuerint in conſpectu Altiſſimi, Angelus indicavit, qui ingreſſus ad eam tam reverenter ſalutavit.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. ℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Lectio xii.

INgreſſus ergo Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum. Legimus in Actibus Apoſtolorum, & Stephanum plenum gratia, & Apoſtolos fuiſſe repletos Spiritu Sancto. Sed longè diſſimiliter à Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter, quemadmodum Maria: Ave, inquit, gratia plena: Dominus tecum: Quid mirum, ſi gratia plena erat, cum qua Dominus erat?

℟. Benedicta, & venerabilis es virgo Maria, * Cujus viſcera meruerunt portare Dominum Chriſtum.
℣. Benedicta tu in Mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Cujus.
Gloria Patri. Cujus.

Evangelium. Miſſus eſt Angelus, *ut in feſto Annunt. B. M. Virg.*

Oratio. Deus, qui beatæ. *ut ſuprà.*

AD LAUDES,
& per Horas, Antiphona.

DOmum tuam Domine decet ſanctitudo, in longitudinem dierum.

Pſalm. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Domus mea, Domus orationis vocabitur, in ea omnis qui petit, accipit; & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur.

Antiph. Propter Domum Domini Dei noſtri, quæſivi bona tibi.

Antiph. Domine Deus exaltaſti ſuper terram habitationem meam.

Antiph. Domum majeſtatis meæ, & locum pedum meorum glorificabo.

Capitulum. In omnibus requiem, *ut ſuprà.*

℟. *breve.* Hìc Domus Dei eſt * Et Porta Cœli. Hìc Domus.

℣. Et vocabitur Aula Dei. Et Porta Cœli. Gloria Patri. Hìc.

Hymnus. Angularis fundamentum, *ut ad Laudes Dedicationis Eccleſiæ.*

℣. Introibimus in tabernaculum ejus.

℟. Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.

Oratio. Deus, qui beatæ Mariæ, *ut ſuprà.*

Deinde fit commem. Feriæ, & S. Melchiadis Papæ, & Mart.

Ad Tertiam, Antiph. Domus mea.

Capitulum. In omnibus requiem quæſivi, *ut ſuprà.*

℣. Hìc Domus Dei eſt, & Porta Cœli.

℟. Et vocabitur Aula Dei.

Ad Sextam, Antiph. Propter Domum Domini.

Capitulum. *Eccli. 24.*

ET ſic in Sion firmata ſum, & in civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea.

℣. Domum tuam Domine decet ſanctitudo.

℟. In longitudinem dierum.

Ad Nonam, Antiph. Domum majeſtatis meæ.

Capitulum. *Eccli. 24.*

IN plateis ſicut cynnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.

℣. Domine, Dilexi decorem Domus tuæ.

℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

In ii. Veſperis omnia ut in primis.

AD MAGNIFICAT.

Antiphona. O quàm metuendus eſt locus iſte! Verè non eſt hìc aliud, niſi Domus Dei & Porta Cœli.

Oratio. Deus, qui beatæ Mariæ, *ut ſuprà.*

Deinde fit commem. S. Damaſi Papæ & Confeſſ. ac Feriæ.

DIE XIV. DECEMBRIS.
In feſto S. Spiridionis Epiſcopi & Confeſſ. Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſſoris Pontificis, præter ea, quæ hìc habentur.

Oratio.

DA, quæſumus, omnipotens Deus, ut beati Spiridionis Confeſſoris tui, atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & devotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.
Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.
Lectio v.

SPiridion Trimythuntis Urbis Cypri Epiſcopus, unus fuit ex iis Confeſſoribus, qui, Maximino Imperatore, dextero oculo eruto, & ſiniſtro poplite ſucciſo, ad metalla relegati ſunt. Hic, Conſtantino Imperatore, Nicæno Concilio cùm intereſſet, Philoſophum Ethnicum Chriſtianæ Religioni inſultantem miro prorſus modo devicit, & ad Fidem perduxit. Sardicenſium Patrum conſeſſum ſua quoque præſentia, ut beatus Athanaſius teſtatur, ornavit. Triphillium Ledrenſem Epiſcopum Virum omnium ſuæ ætatis eloquentiſſimum in Synodo orantem, quòd ſimplici divinæ ſcripturæ voce uti dedignatus eſſet, palàm reprehendit. Intereà Beatus Spiridion Eccleſiam ſibi commiſſam cùm ſanctiſſimè regeret, non prophetiæ dono ſolùm, ſed etiam miraculorum virtute clarus

rus extitit, nam charitate fervens, ut innocentem capite damnatum liberaret viam agebat, ac torrente valdè exundante impediebatur: At imperio Spiridionis ſtetit torrens, & ſibi, aliiſque viatoribus patuit via.

℞. Inveni David.

Lectio vi.

QUadam nocte cùm ad caulas ovium fures veniſſent (factus enim Epiſcopus propter ſingularem animi modeſtiam, oves etiam pavit) & manus improbas, quo aditum educendis ovibus facerent, extendiſſent, inviſibilibus quibuſdam vinculis reſtricti, uſque ad lucem, velut traditi tortoribus permanſerunt. Cùm verò oves ducturus ad paſcua matutinus ſe ageret ſenior, videt juvenes abſque humanis vinculis in caulis pendere diſtrictos. Cùmque cauſam noxæ comperiſſet, abſolvit ſermone quos meritis vinxerat: & ne eis inanis nocturna cederet occupatio; Tollite, inquit, ò juvenes unum vobis arietem, ne ſine cauſa veniſſe videamini, quem meliùs prece, quàm furto quæſiviſſe convenerat. Antiochiam juſſu Conſtantii Imperatoris profectus, eundem morbo laborantem ſolo tactu ſanavit, ubi cùm quidam Aulicus illius ſacræ maxillæ incuſſiſſet colaphum, promptus ad Dominicam legem implendam illi præbuit & alteram.

℞. Poſui adjutorium.

Lectio vii.

FIliam habuit Sanctus Epiſcopus Irenem nomine (duxerat enim ipſe dum laicus eſſet, uxorem; cum qua paucos annos honeſtè traduxit] quæ ei cùm benè miniſtraſſet, virgo defuncta eſt. Poſt ejus obitum venit quidam, dicens, ſe ei quoddam depoſitum commendaſſe. Rem geſtam ignoraverat Pater. Perquiſitum in tota domo nuſquam quod poſcebatur, inventum eſt. Perſiſtebat tamen ille, qui commendaverat, & fletu, ac lacrymis perurgebat: Vitæ ſuæ quoque illaturum ſe eſſe exitium, niſi commendata reciperet, teſtabatur. Permotus lacrymis ejus ſenex ad ſepulchrum filiæ properat, atque eam ex nomine clamitat. Tum illa de ſepulchro: Quid vis (ait) Pater? Commendatum, inquit, illius, ubi poſuiſti? At illa locum deſignans, illic (ait) invenies defoſſum: Regreſſus domum, rem ſicut filia de ſepulchro reſponderat, repertam tradidit repoſcenti.

℞. Iſte eſt, qui ante Deum.

Lectio viii.

HIs aliiſque rebus divinitus geſtis, clarus prudentia pariter, & Chriſtiana ſimplicitate, ſingularique erga peregrinos, & pauperes pietate admirandus, cùm Eccleſiam Trimythuntinam mirificè gubernaſſet, plenus dierum, obdormivit in Domino. Ejus corpus, ad quod multa miracula facta leguntur, longo poſt tempore ex loco, ubi primùm ſepulturæ traditum fuerat, Corcyram delatum, pia fidelium veneratione colitur. Celebratur Beati Spiridionis dies feſtus apud Græcos pridie Idus Decembris.

℞. Juſtum deduxit.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Homo peregrè proficiſcens. *ut in Communi Confeſſ. Pontif.*

DIE XVI. DECEMBRIS.

In Feſto Sancti Euſebii Epiſcopi Vercellenſis, & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris præter ea, quæ hìc habentur propria.

Oratio.

DEus, qui nos beati Euſebii Martyris tui, atque Pontificis annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejuſdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum noſtrum.

Deinde fit commemoratio Feriæ Adventus.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

EUſebius natione Sardus, Romanæ Urbis Lector, poſt Vercellenſis Epiſcopus, ad hanc regendam Eccleſiam meritò eſt creditus divino electus judicio; nam quem numquam ante conſtituti Electores cognoverant, poſthabitis civibus, ſimul ut viderunt, & probaverunt, tantùmque interfuit, ut probaretur, quantùm ut videretur. Primus in Occidentis partibus in eadem Eccleſia eoſdem Monachos inſtituit eſſe, quos Clericos, ut eſſet in ipſis viris & con-

tem-

temptus rerum, & accuratio Levitarum. Arianis impietatibus ea tempeſtate per Occidentem longè, latèque traductis, adversùs eas viriliter ſic dimicavit, ut ejus invicta fides Liberium Summum Pontificem ad vitæ ſolatium erigeret. Quare hic ſciens, in ipſo fervere Spiritum Dei, cùm ei ſignificaſſet, ut penes Imperatorem unà cum ſuis legatis patrocinium Fidei ſuſciperet, mox cum illis profectus eſt ad Conſtantium, apud quem enixiùs agens, quidquid legatione petebatur, obtinuit, ut Epiſcoporum nempè cœtus celebraretur. ℟. Honeſtum. *Lectio vi.*

COllectum eſt Mediolani anno ſequenti Concilium ad quod à Conſtantio invitatum Euſebium, concupitumque, ac vocatum à Liberii legatis, tantum abeſt, ut malignantium Synagoga Arianorum contra Sanctum Athanaſium furentium in ſuas partes adduceret, ut potiùs diſertè ſtatim ipſe declarans, è præſentibus quoſdam ſibi compertos hæretica labe pollutos, Nicænam imò fidem propoſuerit iis ſubſcribendam, antequàm cætera tractarentur: Quod Arianis acerbè iratis negantibus, nedùm in Athanaſium recuſavit ipſe ſubſcribere, quin Sancti Dionyſii Martyris, qui deceptus ab ipſis ſubſcripſerat, captivatam ſimplicitatem ingenioſiſſimè liberavit. Quamobrem illi graviter indignantes, poſt multas illatas injurias, exilio illum mulctarunt; ſed Sanctus vir excuſſo pulvere, nec Cæſaris minas veritus, nec enſes obſtrictos, exilium veluti ſui Miniſterii officium accepit, miſſuſque Scythopolim, famem, ſitim, verbera, diverſaque ſupplicia perpeſſus, pro fide ſtrenuè vitam contempſit, mortem non metuit, corpus carnificibus tradidit.

℟. Deſiderium.

Lectio vii.

QUanta in eum tunc Arianorum crudelitas fuerit, ac effrons inverecundia, oſtendunt graves litteræ plenæ roboris, pietatis, ac religionis, quas è Scythopoli ſcripſit ad Vercellenſem Clerum, & populum, alioſque finitimos, è quibus etiam eſt exploratum, ipſorum nec minis, inhumanaque ſævitia potuiſſe unquam eum deterreri, nec ſerpentina blanda ſubtilitate ad eorum ſocietatem perduci. Hinc in Cappadociam, poſtremòque ad ſuperiores Aegypti Thebaidas præ conſtantia ſua deportatus, exilii rigores tulit ad mortem uſque Conſtantii, poſt quem ad gregem ſuum reverti permiſſus, non priùs redire voluit, quam reparandis fidei jacturis ad Alexandrinam Synodum ſeſe conferret, poſtque Medici præſtantis inſtar peragrans Orientis provincias in fide infirmos ad integram valetudinem reſtitueret, eos inſtituens in Eccleſiæ doctrina.

℟. Stola jucunditatis.

Lectio viii.

INde ſalubritate pari digreſſo in Illyricum, tandemque in Italiam delato, ad ad ejus reditum lugubres veſtes Italia mutavit, ubi poſtquam Pſalmorum omnium expurgatos à ſe commentarios Origenis edidit, Euſebiique Cæſareenſis, quos verterat de Græco in Latinum, demum tot egregiè factis illuſtris ad immarceſcibilem gloriæ coronam tantis ærumnis promeritam ſub Valentiniano, & Valente, Vercellis migravit. ℟. Poſuiſti Domine.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium. Si quis vult poſt me venire, *ut in Communi unius Martyris ſecundo loco.*

℟. Domine prævenisti.

F I N I S.

DIE XXIII. FEBRUARII.

OFFICIUM IN FESTO S. MARGARITÆ DE CORTONA,

Recitandum ſub ritu Semiduplici ab omnibus Eccleſiaſticis, totius Italiæ tantùm, tam Sæcularibus, quàm Regularibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas tenentur.

JUXTA RITUM MONASTICUM.

Omnia de Communi nec Virginum nec Martyrum, præter ea quæ hìc habentur propria.

In ii. Veſp. de Cathed. S. Petri fit priùs comm. S. Pauli; deinde S. Margaritæ, Antiph. Simile eſt regnum Cœlorum, *ut in ejus Communi.*

Oratio.

DEus qui famulam tuam Margaritam de perditionis via ad ſalutis tramitem miſericorditer deduxiſti; eadem nobis miſeratione concede; ut quam priùs errantem ſectari non erubuimus, mox pœnitentem impigrè ſequi gloriemur. Per Dominum noſtrum.

In i. Noct. Lectiones de Script. occurr. ſed ſi venerit in Quadrageſ. dicuntur Lect. Mulierem fortem, *de Communi nec Virginum nec Martyrum.*

In ſecundo Nocturno.

Lectio v.

MArgarita, à loco dormitionis Cortonenſis appellata, Laviani in Tuſcia ortum habuit. Primis adoleſcentiæ ſuæ annis mundi voluptatibus capta in Montis Politiani Civitate vanam, & lubricam vitam duxit; ſed cùm amaſium ab hoſtibus fœdè transfoſſum indicio canis in fovea ſub ſtrue lignorum tumulatum fortuitò reperiſſet, illicò facta eſt manus Domini ſuper eam, quæ magno culparum ſuarum mœrore tacta, exiit foras, & flevit amarè. Itaque Lavianum reverſa, crine detonſo, neglecto capite, pullaque veſte contecta, erroribus ſuis, mundique illecebris nuntium miſit; inque ædibus Deo ſacris fune ad collum alligato, humi procumbens, ab omnibus, quos anteà moribus ſuis palàm offenderat, veniam exoravit. Mox Cortonam profecta in cinere, & cilicio ab ſe læſam Dei Majeſtatem placare ſtuduit; donec poſt triennale virtutum experimentum à Fratribus Minoribus ſpiritualis viæ

ducibus Tertii Ordinis habitum impetravit.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: *Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna. Et.

Lectio vi

Uberes exinde lacrymæ ei familiares fuerunt, atque ima ſuſpiria tanta animi contritione ducta, ut diù elinguis conſiſteret. Lectulus nuda humus, cervical lapis, aut lignum porrexit, atque ita noctes inſomnes in cœleſtium meditatione trahere conſuevit, nullum ampliùs pravum deſiderium perpeſſa, dum bonus ſpiritus promptior infirmam carnem ad ſubeundos labores erigebat. A Dæmone inſidiis, funeſtiſque conatibus laceſſita Mulier fortis hoſtem ex verbis detectum ſemel, atque iterùm invicta repulit. Ad eludendum vanæ gloriæ lenocinium, quo à malo ſpiritu petebatur, præteritos mores ſuos per vicos, & plateas alta voce accuſare non deſtitit, omni ſupplicio ſe ream inclamans: nec niſi à Confeſſario deterrita in ſpecioſam faciem olim impuri amoris cauſam ſævire abſtinuit, ægrè ferens ſuam formam longa carnis maceratione non aboleri. Quibus, aliiſque magnæ pœnitentiæ argumentis ſuorum criminum labe expiata, atque ita de ſe triumphatrix, ut ſenſus planè omnes à mundi illecebris cuſtodiret, digna facta eſt, quæ ſæpè Domini conſuetudine frueretur.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea.

Lectio vii.

Ejuſdem quoque Chriſti, & Virginis Matris dolorum, quod ipſa ardenter expetierat, particeps facta, cunctis ſenſibus deſtituta, & verè mortua interdum viſa eſt. Ad eam proinde veluti ad perfectionis magiſtram ex diſſitis etiam regionibus plurimi conveniebant: ipſa verò, cœleſti, quo erat perfuſa lumine, cordium ſecreta, conſcientias hominum, imò & peccata in remotis licèt partibus Deum offendentium cum dolore, & lacrymis detegens, ſummaque in Deum, & Proximum charitate fervens ingentem animarum fructum operata eſt. Ægris ad ſe venientibus ſalutem, obſeſſis à dæmone liberationem impetravit. Puerum defunctum lugente matre ad vitam reduxit. Imminentes bellorum tumultus aſſiduis orationibus ſedavit. Denique ſummæ pietatis operibus vivos, & mortuos ſibi demeruit. Tot ſanctis operibus occupata, de rigore, quo aſſiduè corpus ſuum exercebat, nihil remiſit, neque ſtudio cœleſtia meditandi ſe avelli paſſa eſt, in utroque vitæ genere planè admiranda, utramque ſororem Magdalenam, & Martham referens.

℟. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipſa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier timens.

Gloria Patri. Mulier timens.

Le-

Lectio viii.

TAndem pro ſe Dominũ orans, ut ex hac valle lacrymarum ſurſum in cœleſtem patriam revocaretur; exaudita eſt oratio ejus, die, atque hora dormitionis ei patefactis. Meritis itaque, & laboribus plena, ac cœleſtibus donis cumulata cœpit corporis viribus deſtitui, perque dies decem & ſeptem nullo cibo, ſed divinis tantùm colloquiis refecta eſt: tum, ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis ritè ſuſceptis, vultu hilari, atque oculis in Cœlum converſis octavo Kalendas Martias anno ætatis quinquageſimo, ſuæ converſionis vigeſimo tertio, humanæ verò ſalutis milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo felix migravit ad ſponſum. Corpus in hanc uſque diem vegetum, incorruptum, illæſum, & ſuaviter olens, ſumma Religione colitur in Eccleſia Fratrum Minorum, quæ jam ab eadem Margarita appellatur. Miraculis continuò floruit; quibus permoti Romani Pontifices ad augendum ejus cultum plurima liberaliter indulſerunt: Benedictus verò decimus tertius in feſto Pentecoſtes die ſextadecima Maji anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi octavi ſolemnem ejus Canonizationem religioſiſſimè celebravit.

℟. Quàm pulchra es.

In iii. Noctur. legitur Homilia in Euang. Theſauro, *ut in communis, nec Virg. nec Mart. ſed dicitur ix. Lect. de Vigil. S. Math. Apoſt. in Anno communi, nam in Anno Biſſextili Vigilia celebratur die xxiv. At ſi Feſtum venerit in Quadrag. ix. Lect. erit de Fer. & nihil de Vigil. in Offic.*

In Laudib. ad Benedictus Antiph. Ut cognovit, reſipuit Seraphici Ordinis Magdalena: dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum.

Deinde fit comm. Vigil. niſi venerit in Quadrag. quia tunc fit comm. Fer. & non Vigil.

Veſpere in Anno communi ſunt de S. Mathia, ſine comm. S. Margarit. Sed fit commem. Fer. ſi venerit in Quadrag.

In Anno verò Biſſextili, in ii. Veſp. de Sancta Margarita. Ad Magnif. Antiphona. Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus: inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

Et fit commemor. Fer. ſi venerit in Quadrag.

Miſſa. Cognovi, *ut in Communi nec Virg. nec Martyr. in qua* Gloria; 1. *Oratio propria,* 2. *Vigil. &* 3. A cunctis, *cum Euang. Vigil. in fine, in Anno communi: nam in Anno Biſſextili Vigilia celebratur die xxiv. At ſi venerit in Quadrag. tunc* 2. *Oratio Fer. &* 3. *Vigil. cum Euang. Fer. in fine.*

TOTIUS ITALIÆ.

Plis Sereniſſimi Regis Catholici, & Magni Ducis Etruriæ precibus, nec non enixis, humillimiſque Reverendiſſimi Archiepiſcopi Florentini, Epiſcoporum Cortonen., & Tiphernaten., ac Fr. Cajetani de Laurino Commiſſarii Generalis Curiæ Ordinis Minorum Obſervantium S. Franciſci ſupplicationibus pro extenſione Officii, & Miſſæ S. Margaritæ de Cortona ad Eccleſiam Univerſalem Sanctiſs. Domino Noſtro porrectis, & à Sanctitate Sua ad Sac. Rituum Congregationem remiſſis, in eaque per Eminentiſs., & Reverendiſs. D: Card. Corradinum Ponentem relatis. Sacra eadem Congregatio ſupraſcriptas Orationem, Lectiones Secundi Nocturni, & Antiphonas proprias ad Benedictus, & ad Magnificat, jam pro toto Ordine S. Franciſci approbatas, ſingulis annis die XXIII. *Februarii tam in Officio, quàm in Miſſa ejuſdem Sanctæ ab omnibus Eccleſiaſticis totius Italiæ tantùm Sæcularibus, & Regularibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſervatis tamen Rubricis, ſub Ritu Semiduplici recitari, & Miſſam reſpectivè celebrari poſſe cenſuit, Sanctiſs. Domino Noſtro viſum fuerit die quinta Maji* 1736.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die XI. *ejuſdem menſis, & anni* 1736.

A. F. Card. Zondadari Pro-Præf.

Loco ✠ Sigilli.

T. Patriarcha Hieroſolymitanus S. R. C. Secr.

SPECIAL 93-B
2435

THE GETTY CENTER
LIBRARY